FRANC. XAV. MANNHART

SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA DOMESTICA

BONARUM ARTIUM

AC ERUDITIONIS

STUDIOSORUM USUI

INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS

SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS

ACCOMMODATUM.

TOMULUS III.

DE HISTORIA SACRA ET PROFANA.

DEQUE RE NUMARIA.

ILEG

FRANC. XAV. MANNHART
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA DOMESTICA

BONARUM ARTIUM
AC ERUDITIONIS
STUDIOSORUM USUI
INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS
SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS
ACCOMMODATUM.

TOMULUS III.
DE HISTORIA SACRA ET PROFANA,
DEQUE RE NUMARIA.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.
MDCCLXII.

EPITOME
LIBRI V.
DE HISTORICE.

CAPUT I.
INDOLES, FINIS, ET UTILITAS HUJUS ARTIS.

§. I.
Indoles & finis.

I.

Historicen ab historia differre, ac peculiarem distinctamque a Grammatica, Poesi, & Rhetorica artem esse ostenditur. Praecepta hujus artis quinam complexi sint. Amplitudo, materia, & forma historices patefit.

secuti sunt in concinnanda historia sacra Duces, Reges, Prophetæ in Veteri Testamento: in novo autem Evangelistæ.

VIII.

Profana historia originem duxit e sacra. Primus profanæ conditor historiæ apud Græcos fuit Herodotus, quem secuti sunt Thucydides, Xenophon, Polybius & alii, quorum characteres recensentur.

IX.

Apud Latinos in cultiore historia primas tulit Julius Cæsar: post hunc Cornelius Nepos, Sallustius, Livius, Tacitus &c. horum encomia & dotes.

§. II.

Historices felix progressio.

X.

Historia longe lateque dilatare se cœpit. Enumerantur inprimis illi, qui præ-

præclare ſcripſerunt de ipſa arte hiſtorica.

XI.

Incrementa Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Hegeſippus primus fuit Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor poſt tempora Apoſtolorum. Hunc magna ſerie ſecuti ſunt alii.

XII.

Incrementa profanæ hiſtoriæ, ejusque ſcriptores, tum qui hiſtoriam hanc univerſam, tum qui particularem, tum qui ſingularem illuſtrarunt.

XIII.

Recenſentur ſcriptores e Societate Jeſu, qui Europam, Aſiam, Africam, & Americam hiſtoriis ſuis celebrarunt. Inſigne Opus Alphonſi Laſſorii a Varea, cui titulus: univerſus terrarum orbis ſcriptorum calamo delineatus.

CAPUT III.

OECONOMIA HISTORIÆ.

§. I.

Definitio & Partitio illius.

XIV.

Varietas Auctorum in finienda historiæ natura. Discrimen inter historiam, Annales, & Ephemerides. Amplissimi fines historiæ.

XV.

Partitio Historiæ a rebus, quas tractat. Divisio alia in universalem, in particularem, in singularem, & in sejunctam: alia in divinam, naturalem, & humanam: rursus alia in Chronologicam, Geographicam, Genealogicam, & Historiam proprie dictam. Quinam has partes tractarint.

§. II.

§. II.

Materia Historiæ.

XVI.

Materia historiæ amplissima & æqualis ipsi mundo est. Qualis materia seligi debeat pro historia scribenda, & quomodo sit ordinanda. Quid ad veritatem historiæ requiratur.

XVII.

Narratio.

Ad narrationem rite faciendam debent concurrere magna prudentia, magna vis imaginandi, magna dexteritas ingenii, & magnum judicium: præterea ordo in narrando. Exemplum præstantis narrationis ex Livio, & Maffeio.

XVIII.

Descriptiones.

De multiplici genere descriptionum: Topographicæ, & Chorographicæ,

Poliographicæ, Machographicæ, Patographicæ. Quando & quomodo descriptiones sint adhibendæ. Exemplum ex Curtio, & Wagnero.

XIX.

Conciones.

Seu oratiunculæ aliæ sunt directæ, indirectæ aliæ. Refellitur opinio illorum, qui negant locum concionibus in historia, & contraria mens ostenditur e probatissimis Auctoribus. Exemplum ex Livio, Strada, & Mariana.

XX.

Encomia atque Judicia.

Quid rei sint. Leges, quæ in iis adhibendis observari debent. Exempla e Livio, & Strada. Quædam breviora epiphonemata e variis scriptoribus.

§. III.

§. III.

Forma Historiæ.

XXI.

Consistit maxime in rebus & verbis. Ad res pertinent transitiones, caussæ ac circumstantiæ, affectus, characteres: de singulis tractatur. Historicorum, & Novellistarum discrimen.

XXII.

Agitur seorsim de affectionibus animi exprimendis. Affectuum ciendorum utilitas commendatur. Exemplum e Livio & Maffeio.

XXIII.

De forma exteriore, seu de verbis & stilo historico. Dotes stili seu dictionis historicæ: puritas, brevitas, claritas, ornatus. In historia stili simplicitas cum granditate conjungi debet.

CAPUT IV.

INFORMATIO TUM DE SCRIBENDA, TUM DE LEGENDA HISTORIA.

§. I.

Observanda in Scriptione.

XXIV.

Difficultas scribendi historiam, & grandia requisita ad munus historici: vastum ingenium, magnum judicium, æquitas inexpugnabilis. Illustre testimonium Annæ Comnenæ de æquitate historici. Exempla hac in parte peccantium. Historicus cæteroqui aptus absterreri non debet a difficultate.

XXV.

Fundamentum historiæ scribendæ debet esse veritas, contra quam peccari potest tum citra modum, *id est, reticentia vel laudis vel vituperii promeriti, tum* ultra modum, *narrando falsum, aut alia ratione, quam res gesta est. Regulæ ad characterem veritatis observandum.*

XXVI.

XXVI.

Refellitur opinio eorum, qui conjecturis & judiciis propriis locum negant in historia.

XXVII.

Structura historiæ ex Halicarnasseo & Lipsio,

XXVIII.

Item ex Rapino & Possevino, horum Quatuorvirorum præceptis illustrata.

§. II.

Observanda in lectione historiæ.

XXIX.

Lipsii informatio utilissima, quam Nobili adolescenti Nicolao Hacquevillio dedit circa lectionem historiæ. Adversaria seu Notata historica quomodo sint conficienda.

XXX.

Quatuor classes lectorum: 1. *eorum qui Politicam.* 2. *qui artem militarem.* 3. *qui eruditionem.* 4. *qui historiam universalem, vel Græcam vel Romanam addiscere cupiunt.*

CAPUT

CAPUT V.
HISTORIA SACRA.

§. I.
Studium Sacræ Historiæ.

XXXI.

Sublimis character S. Historiæ, utpote quæ enarrat divinas perfectiones, divina opera, & eventus summe admirandos.

XXXII.

Comparatio historiæ sacræ cum profana: hæc vel fabulis, vel actionibus vanis plena est: illa veritatem & sublimem doctrinam de Ecclesia continet.

§. II.
Observationes ad historiam sacram.

XXXIII.

Quinque observationes: 1. *circa sensum latentem.* 2. *circa partitionem.* 3. *circa usus peculiares populi Dei.* 4. *circa mores Israelitarum.* 5. *circa morem narrandi.*

XXXIV.

Tres aliæ observationes: 1. circa exempla virtutum & vitiorum. 2. circa perfectiones divinas, præcipue justitiam & providentiam. 3. circa religionis immutabilem statum.

CAPUT VI.

CRITICA HISTORIÆ.

§. I.

Querelæ contra libros, vulgo Romanos, aliosque historicos.

XXXV.

Origo librorum, vulgo Romanzen. Mala gravissima, quæ moribus bonis adferunt, præsertim juventutis.

XXXVI.

Geminus error eorum, qui omnia, quæ produnt historici, passim credunt: & illorum, qui omnia temere rejiciunt. Indicia, quibus veræ historiæ a falsis discerni possunt. Cur modo tam pauci, qui veram & sinceram scribere velint, aut possint historiam.

§. II.

§. II.

Querela contra ſcriptores Acatholicos, & Lectores Catholicos.

XXXVII.

Acatholicorum quorundam Hiſtoricorum mendacia, fabulæ, & calumniæ palam fiunt, præſertim Puffendorfii in ſua introductione hiſtorica, juventuti ſummæ noxia.

XXXVIII.

Dialogus, quo oſtenditur, quam parum multi ex lectione hiſtoriarum proficiant in cultu virtutum, & fuga vitiorum: Optima legimus, peſſima facimus.

LIBER V.

DE HISTORICE.

CAPUT I.

INDOLES, FINIS, ET UTILITAS HUJUS ARTIS.

§. I.

Indoles, & finis Historices.

I.

Historicen dum nomino, grande illud discrimen, & ut ita dicam intervallum in ipso libri hujus vestibulo palam facere cogor, quod historiam inter, & quam dixi historicen intercedit. Prior enim est, quæ præcepta tradit, quibus narrationis conficiendæ ratio continetur: altera vero, ut Aristotelis doctrinæ

insistam, cujus ope scimus & cognoscimus ea, quæ narrantur, ita ut inter utramque discrimen sit, quale inter filiam & matrem esse solet, quum historia sit nobilis quidam partus fœcundissimæ matris, scilicet Historices. Fateri nihilominus oportet, proximam esse affinitatem inter eum, qui scribit historiam, & illum qui legit. Quippe scribenti opus est multiplici & vasta rerum cognitione, acri judicio, & egregia facultate proponendi ea, quæ narranda suscipit, propriis characteribus insignita, decenterque vestita: nec minus legentis (si tamen cum fructu & emolumento legere velit) legentis inquam est, adferre secum ad hoc studii genus felicem atque fidelem memoriam, in cujus sinum tuto reponere queat ea, quæ legendo percipit; artificii cognitionem non mediocrem, quæ tollat fastidium, animumque dulcedine quadam perliniat; & sano quod vocant citerio, ne veri specie decipiatur, & spurias merces pro genuinis ex ejusmodi officina comparet. Fuerunt tamen, quod mirere, qui ut discrimen hoc Historicen inter & Historiam everterent, nullam esse in rerum natura artem historicam contendebant, sed totum hoc, quantum est, opus scribentis memoriæ, fidelitati, & calamo adjudicarunt: memoriæ quidem,

quæ

quæ præterita velut præsentia sisteret; fidelitati, quæ curaret, ne falsi quid se immisceret; demum calamo, qui res gestas cum decoro ad posteritatem transmitteret. Inter hos est Jacobus Zabarella (a), hac nixus ratione, quod nec ab Aristotele, nec ab alio quoquam ars hæc aut ejus præcepta fuisse tradita reperiantur. Sed fallit sane, si non alios, certe se ipsum scriptor hic. Ut nihil dicam de veterum doctis hac in re conatibus: Luciani, Dionisii Halicarnassei (b); Varronis (c), Ciceronis (d), fuerunt e recentioribus Jovianus Pontanus (e), Hermolaus Barbarus, Franciscus Patricius, Joannes Antonius Viperanus, Ubertus Folieta, Famianus Strada Soc. Jesu (f) qui saluberrimis legibus, illustribus exemplis, & observationibus exquisitis historicam artem plurimum promoverunt ac illustrarunt: Gerardus autem Vossius, ut ipse de se testatur (g), quæ alii præclare de Historia scribenda sparsim edidere, in unum veluti corpus collegit, ac integrum ejus ædificium construxit atque perfecit. Et quidni artem histo-

(a) *De natur. Logic.* (b) *In Thucydide.* (c) *In Libro sisenna, sive de historia.* (d) *Lib.* I. *de Legibus.* (e) *In Actio.* (f) *In Prolus. Academ.* (g) *In Art. Hist.*

historicam dicamus, cujus definitionem ac divisionem in Divinam & Humanam, in Publicam & Privatam, in eam, quæ de temporibus, ut est Chronologia, quæ de locis, ut Geographia, quæ de familiis, ut Genealogia, quæ de actionibus & rebus, ut Historia proprie dicta: cujus partes, scilicet Narrationem gestorum, Descriptionem rerum, Introductionem concionum & deliberationum, encomiorum ac judiciorum expressionem: cujus materiam, quæ ad actiones omnes hominum se extendit, & formam, quæ in ornatu & stilo, ejusque dotibus sita est, cujus inquam hæc omnia e memoratis paullo ante auctoribus, eorumque præceptis in promtu habemus, & Capite tertio ac quarto hujus libri sumus intellecturi? Neque audiendi sunt, qui hanc artem, ne peculiarem admittere cogantur, vel ad Grammaticam, uti Robertelius (h), vel ad Rhetoricam, ut Marcellinus (i), vel ad Poeticam, ut alii, pertinere invita Clio historiæ Præside voluerunt. Quippe Grammatices est, sermonem certis legibus regere, ejusque integritatem custodire: Rhetorica vero apte ad persuadendum dicit, quod verosimilibus argumentis, quæ falsa

(h) *Disput. de facult. Hist.*
(i) *In vita Thucyd.*

falsa etiam esse possunt, obtinet; Poesis multa fingit, resque narrat, non quomodo fiunt, sed quomodo fieri potuerunt. Hæc omnia longissime absunt ab Historia, cujus character proprius est veritas, & officium narrare res gestas haud aliter, quam ut gestæ sunt.

II.

Stabilita Historices arte, ut magis perspecta reddatur illius indoles, ad finem eidem præfixum accedamus. Non minus heic ipsi, qui de Historice scripserunt, auctores quidam hallucinantur circa finem, quam priore loco circa artis adpellationem. Lucianus in libello hac de re edito unum ait esse opus Historiæ, unumque finem, *utilitatem: jucundum vero, si & ipsum sequatur, melius hoc esse, perinde ac in Athleta vires requiruntur, forma & venustas laudatur.* Verum si sola utilitas finis foret historiæ, non video, cur non fas sit Historico prout lubet fingere, quum id liceat Poetis non sine utilitatis proventu, qui ex eorum figmentis percipitur, quandoquidem multa ad similitudinem veri conformare, & illustrium factorum exempla comminisci optime norunt. At major est Græcorum error, qui Historiam manifeste cum Poetica confuderunt, duplicem

prioris finem adſignantes, nimirum *delectare & prodeſſe*, ſeu utilitatem ac delectationem. Quapropter & recte dixit Fabius (k): *Græcis hiſtoriis plerumque Poeticæ ſimilis eſt licentia*, & recte cecinit Juvenalis (l):

Et quidquid Græcia mendax
Audet in Hiſtoria.

Quippe dum placere nimium ſeculo ſuo, ſuæque genti narratiunculis in medium allatis ſtuduerunt, vera falſis miſcendo, tot aliis ſeculis, totique poſteritati merito diſplicuerunt, ubique *græcam fidem* exprobranti, nec delectando multum profuerunt. Hoc tamen non prohibet, quo minus Hiſtorico liceat adferre delectabilia quædam in narrationis ſuæ contextu; immo faciet hæc etiam cum laude, modo non ad veritatem corrumpendam, ſed ad eam decorandam, faciliusque in legentium animis recipiendam condimenti genus iſtud adhibeat. Non minus erraſſe videntur Latini quidam, inter quos ipſe Cicero, dum Græcorum errorem corrigere voluerunt, veritatem tanquam finem hiſtoriæ ſtatuentes. *Alias in hiſtoria*, inquit Tullius (m), *leges obſervandas, alias in poema-*

(k) *Lib.* 2. *cap.* 4. (l) *Satyr.* 10.
(m) *Lib.* 1. *de leg.*

mate: in illa ad veritatem quæque, in hoc ad delectationem referri pleraque. Verum pace tanti viri dixerim, veritatem nequaquam esse finem, sed solummodo conditionem historiæ, sine qua utique historia non differet a fabula, dum res non ut gestæ fuerunt, sed ut geri potuissent, narrantur. Veritatem quidem omnes amant in historia, veluti lucem in pictura; sed ea etiam inventa non ideo quiescit animus, qui utilitatem ex veritate, veluti aquam ex fonte cupit haurire, ne alias sicco gutture discedere cogatur. Et sane nescio, qua ratione ista cohæreant cum illis, quæ idem Tullius alio loco (n) protulit, dum in historiæ laudes effusus eam nuncupat *Magistram vitæ.* Quare melius ex hac ipsa summi Oratoris sententia verum ac genuinum historiæ finem deduci posse, ac deducendum esse existimo, qui nimirum duplex est: primo quidem, ut conservetur & vigeat memoria eorum, quæ acciderunt; dein ut erudiamur in iis, quæ nobis agenda sunt, quæve cavenda. Audiamus ipsum Ciceronem, dum historiam definitionibus, quas *conglobatas* vocant Rhetores, describit: *Temporum testem, lucem veritatis, vitam memoriæ, magi-*

(n) *Lib. 2. de Orat.*

magistram vitæ, nuntiam vetustatis. Ex his palam est tum primus historiæ finis, quem dixi, quique per verba illa *temporum testis, vitæ memoriæ, nuncia vetustatis* significatur, scilicet perpetuitas & immortalitas rerum gestarum, quarum transmissione ad posteros facilius homines ad id, quod honestum est ac salutare, concitentur, absterreantur a turpibus & noxiis, atque in universum discant, ex præteritis consilia capere in posterum, remque suam tam privatam quam publicam regere exemplis. Quisquis enim animum adplicat ad scribendam rerum sive suarum sive aliarum historiam, id eo primum consilio facit, ut illa factorum memoria facile interitura literarum beneficio longe lateque se se diffundat, & permaneat penes posteros tanquam nobile depositum: tum alter finis non minus præcipuus, quem exprimunt voces: *Magistra vitæ*, ita tamen ut veritas quasi lucem affundat, sine qua historia plane mortua foret, veluti pictura. Nam si quis Historicum interpellare ausit, quæratque, cur hæc facta conetur apud posteritatem literis propagare, respondebit opinor (si tamen odium amoremque, ac similes animi adfectiones pravas in operis sui molitione procul habeat) respondebit, se id agere, ut aliena per exem-

exempla compendio doceat, ac futuris ſeculis ad rectam vitæ rationem inſtituendam proſit. Nimirum ars hæc geminam inſtar Jani faciem præſefert, unam anteriorem, poſteriorem alteram, quibus & præterita intueatur, & futura proſpiciat: intuetur præterita, dum præclare geſta a majoribus recenſet, ne unquam oblivioni dentur, neve veteres Heroes jure conqueri poſſint de Hiſtoricis, quod Horatius de Poetis (o):

Vixere fortes ante Agamemnona.
Multi, ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte carent, quia Vate ſacro.

Futura proſpicit, dum præclaris aliorum factis, dictis & exemplis decenter recenſitis ad virtutum imitationem & vitiorum fugam etiam absque voce legentium animos vehementer excitat & inflammat, ne contingat, quod Ovidius cecinit.

Video meliora, proboque,
Deteriora ſequor.

Profecto non ſatis erat Alexandro M. legiſſe hiſtoriam Homeri, nec Scipioni Africano Xenophontis ſermones, quibus Cyrum Regem informabat; parum profeciſſent;

(o) *Carm. l. 4. Ode 9.*

ſent, nec Heroum nomen famamque ſibi comparaſſent, ſi memoriæ duntaxat mandaſſent geſta inſignia in libris iſtis expreſſa, earumque veritate contenti ultra progredi ad ipſam imitationem non voluiſſent, tacito quodam gloriæ ſtimulo incitati. Nimirum in generoſis animis hiſtoria ut par eſt lecta efficit, quod in Temiſtocle viſa Miltiadis trophæa effecerunt, quibus cupidum gloriæ pectus ita urgebatur, ut quietem capere non potuerit, antequam æquaret vel ſuperaret famam Miltiadis. Quare verbis nonniſi quatuor duplicem, de quo memini, hiſtorices finem complecti fas erit, dicendo eum eſſe *memoriam Majorum*, & *imitationem Poſterorum*.

III.

Ne autem nihil omnino tribuere Tullio videar, ajo, veritatem, quamvis ad rationem finis non adſurgat, conditionem eſſe adeo neceſſariam hiſtoriæ, ut absque illa placere, finemque ſuum conſequi haud poſſit; immo hiſtoria eſſe deſineret, ac in fabulam migraret, ſi veritate deſtitueretur. Hinc merito idem Tullius *lucem hiſtoriæ* nuncupavit, quoniam ſine lucis adminiculo, quid rerum geratur, videre nequaquam poſſumus. Sed ubinam hanc eſt invenire? heic Rhodus; heic Saltus, ut

ut nihil dicam, rerum gestarum veritatem multis tenebris esse involutam, ut accessus ad eam sæpe non pateat, vel certe ægerrime, idque ob simulationes & fallacias hominum, foris longe aliam induentium faciem, quam quæ intus abscondita latet: non raro debile lumen est intellectus penes illos, qui scribunt, ita ut falsa inter & vera parum discernant: quid fiet, si præjudicatæ opiniones, sinistræ adfectiones, adulandi studium, metus vel spes a potentibus, aut omnino mala fides accedant? Quum igitur veritas partim sit suapte natura hominibus admodum incognita, partim ab his ipsis vel ignorantia vel malitia corrumpatur, res plena difficultatis est, ut ea casta & integra in publico compareat. Unde Vopiscus (p) adserere non dubitavit, *neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum.* Idem ironice loquens: *scribe securus,* ait, *dicas quidquid velis, habiturus mendaciorum comites, quos historicæ eloquentiæ miramur Auctores.* Itaque qui veritati servire in scribendo desiderat, laudemque promereri, quam Thucydides tulit a Cicerone (q), quod sit *rerum gestarum pronunciator sincerus,* omnium primo animum a minus puris affecti-

(p) *In Præfat. ad hist.* (q) *De Clar. Orat.*

ctibus liberum reddere debet; tum sagaci ingenio venatoris instar e latibulis veritatem extrahere, aut si hoc nequeat, illa quæ rem gestam circumstant, ita fideli sermone legentium oculis exhibere, ut ipsorum potius sententiam exspectet, quam suam prior obtrudat. Patet igitur, veritatem non esse *finem*, sed conditionem seu *lucem* historiæ.

§. II.

Utilitas Historices.

IV.

A fine historices ad utilitatem venio, cujus maximam rationem esse habendam jam olim pronunciavit Plinius (r), ubi veterum Historicorum sinceram in scribendo mentem laudavit inquiens: *Utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi.* Hanc utilitatem, simulque artis istius præstantiam, ejusque dotes Focas Grammaticus, idem & Poeta, nobilissima Ode celebravit, quæ ob elegantiam suam sane locum hoc in paragrapho meretur.

Apostrophe ad Musam Clio dictam, Historices Præsidem.

O Vetustatis memoranda Custos,
Regios actus simul, & fugaces

Tem-

(r) *Præfat. ad Hist. Natur.*

Temporum curſus docilis referre
Aurea Clio.
Tu nihil magnum ſinis interire,
Nil mori clarum pateris, reſervas
Poſteris priſci monumenta ſecli
Condita libris
Sola fucatis variare dictis
Paginas neſcis: ſed aperta quidquid
Veritas prodit, recinis per ævum
Simplice lingua.
Tu ſeneſcentes titulos laborum
Flore durantis reparas juventæ.
Militat virtus tibi, te notante
Crimina pallent.
Tu fori turbas, ſtrepitusque litis
Effugis dulci moderata cantu,
Nec retardari pateris loquelas
Compede metri

Ne vero encomium hoc Poeticæ tribuamus licentiæ, quæ res etiam tenues ſolita ſibi metamorphoſi in grandes convertere novit, conſideremus nonnihil attentius emolumenta: primum quidem ea, quæ communi hominum generi, tum illa quoque, quæ variæ illorum conditioni ex Hiſtoria, quæ ejusdem opus eſt, obvenire ſolent, plane maxima. Quid obſecro accedere hominibus poteſt jucundius, quam animi cogitationes in ſecula ante acta retro reflectere, perque totius Antiquitatis

regnum

regnum latiſſime patens curioſa mentis indagine vagari? Ibi urbes, Respublicas, regna, Monarchias exiguis initiis ſurgentes, heic funeſtis caſibus inter ſe colliſas & cadentes intueri? Iſthinc Philoſophorum, Poetarum, Oratorum oracula auribus percipere: illinc Magiſtratuum Procerum, Principum Ordines, leges tribunalia, honorum gradus, variasque regiminum formas velut coram ſpectare? quanta aviditate ancipites bellorum eventus inter alios atque alios Reges ac populos temere exultantes, iſtorum clades, illorum triumphi percipiuntur? heic maria, portus, claſſes quaſi natantes in Oceano urbes ante oculos verſantur: ibi palatia, caſtra, munimenta, porticus, amphitheatra ſe ſiſtunt; alibi urbium clariſſimarum ruinæ, pyramides, mauſolea, & heroum exuviæ cernuntur: ubique pretioſa vetuſtatis monumenta cedrinis notata membranis occurrunt. Hiſtoria una eſt, quæ in his ampliſſimis humanitatis finibus tam grandia rerum ſpectacula, tam jucunda priſci ævi theatra nobis præbet & intuenda & ſuſpicienda. Hiſtoria una eſt, quæ efficit, ut præteritis non minus videamur interfuiſſe, quam præſentibus, illisque uti poſſimus, perinde ac noſtris. Quidni igitur utilitatem hanc percipit maxime

xime juventus, quum hac sola ratione senium prævertere possit? nam ut Tullius loquitur: *Nescire, quid antequam natus sis, acciderit, est semper esse puerum*, & Sacerdos ille Ægyptius, vel ut alii scribunt, Gymnosophista Indus, Græcos, quantumvis provectæ ætatis, qui recordationem priscæ memoriæ non tenerent, pueros adpellavit. Profecto historia si adsit, ex pueris facit senes; si absit, e senibus pueros. Est enim *testis temporum, & nuncia vetustatis*. Quis jam non miretur, fuisse quosdam (nunquam enim desunt malarum caussarum patroni) in tanta veritatis hujus luce ac pleno meridie, qui veteris memoriæ cognitionem inutilem esse sibi persuaderent? & en! gravissimum, si superis placet, argumentum, quo ducuntur ad rem adeo heteroclitam adserendam. Mutatus est modo, ajunt, rerum ordo in hoc universo, longeque alia nostris temporibus facies est, quam antiquis: alia ratio victus, cultus, morum: alius habitandi, gerendi bella, populus & civitates administrandi usus: alia studiorum, rituum, Civilis ac Ecclesiasticæ politiæ forma. Si Soloni, Lycurgo, Ciceroni, Alexandro, Hannibali, Scipioni, Julio Cæsari, Augusto ex inferis in hunc orbem emergendi venia daretur, cernendique

ea,

ea, quæ nunc in illo geruntur, tantopere diverſa a temporum ſuorum moribus, ſe ipſos non caperent, mallentque reverti, unde venerant, quam intueri tantam rerum metamorphoſin. Ad quid ergo in nobis tam inſana cognoſcendi veteris ævi cupido, qui noſtro rite noſcendo vix ſufficimus? Quæ utilitas intelligere, quid olim egerint homines, quum modo homines longe aliter agant, aliter vivant? Verum quidem hoc eſt, mutata eſſe ac mutari quotidie pleraque, quæ ſunt voluntatis noſtræ atque induſtriæ, ſemper inquietæ nunquam fixæ ac ſtabilis: non tamen mutantur prima rerum principia, quæ mentibus hominum indidit natura, & naturæ Auctor Deus, nimirum cauſſæ affectuum animi, eorumque actiones & effecta, virtutum ac vitiorum ſemina, quæ eadem ſemper manent, licet diverſis ſub formis, diverſoque habitu pro temporum viciſſitudine adpareant. Idem ardor, qui olim, nunc quoque militares accendit animos: idem eſt honeſti ſtimulus, eadem potentiæ vis, eadem beate vivendi cupiditas eadem in dominis imperandi licentia, in ſervis obſequendi religio: idem ambitionis, luxus, avaritiæ ſtudium, eadem vitiorum pœna, idem virtutum honos & præmium. Multa tamen, quin plurima,

in utramque partem discere possumus ex antiquis moribus, quæ in nostris desideramus: historia est veluti exemplar eorum quæ sequaris, quæve devites. Quam felicius est alienis malis admonitum sapere, quam propriis.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Libentius quoque ac promptius imitatur quisque, quod admiratur. Quis non citius adducitur, ait Ludov. Vives (s) ad fidem servandam unico M. Attilii Reguli exemplo, quam viginti ea de re documentis? tum ad fortiter perferenda quæque durissima pro Christo cruentis Martyrum vestigiis, quam centum Theologorum monitis? magisque a sceleribus absterremur tristi hominum flagitiosorum exitu, cujus rei tot monumenta in Veteris ac Novæ legis historia occurrunt, quam mille de criminum detestatione libris Philosophorum?

V.

Sed a communi ad privatam, quæ ex historia manat, utilitatem pergamus, quam ipsa historia & historicorum volumina nobis declarant. Æneas Sylvius (t) &

(s) *De corrupt. art.*
(t) *De dictis Alphonsi Regis.*

& Antonius Panormitanus (u) referunt de Alphonſo Hiſpaniarum & Siciliæ Rege, eum Capuæ gravi morbo correptum decubuiſſe, quem nulla Machaonum induſtria, nulla pharmacorum vis levare poterat. Unicum erat ægro ſolatium (ut erat Princeps literarum & librorum amans) Q. Curtii de rebus ab Alexandro M. geſtis lectio, qua per dies plures continuata non animo duntaxat, ſed & corpori vires redire ſenſit, ita ut brevi temporis ſpatio priſtinæ valetudini reſtitutum ſe viderit, plaudente Aula, ſtupentibus Medicis; ipſe vero Rex jam ſanus & ſoſpes pronunciare palam non dubitavit: *Valeat Avicenna, valeat Hippocrates, valeant Medici; vivat Curtius ſanitatis reſtaurator meæ;* Ecce! nobiliſſimum pharmacum non e myropolio, ſed e bibliotheca depromtum. At ſi fuit ita corpori, quomodo erit animo ſalutaris hiſtorica lectio? Profanum ac ſacrum ſubminiſtro exemplum. Expertus eſt id L. Lucullus homo militaris literarum pene rudis, qui teſte Cicerone, quum ex Urbe in exteras regiones profectus totum iter terra marique partim percontando a rerum peritis, partim heroum geſta legendo impendiſſet, in Aſiam poſtmodum venit Imperator tantus, ut Mithridates Rex poſt Alexandrum M.

(u) *De rebus geſtis Ejusdem.*

M. maximus majorem hoc belliducem se cognovisse negarit. Expertus est idem D. Ignatius Lojola: hic quum Pampelonam obsessam adversus Gallos strenue defenderet, missilis globi impetu fracta tibia æger decubuit. Itaque affixus lectulo fallendi temporis caussa quum profanum quempiam librum poposcisset ex iis, quos antea per otium lectitare consueverat, divino plane consilio factum est, inquit Petrus Maffejus, nullus ut eo tempore domi liber esset ejusmodi: at vero longe meliores alii duo reperti sunt, Hispanico sermone conscripti, quorum alterius *Vita Christi*, alterius quo selecta virtutum exempla continebantur, *Sanctorum Flores* erat inscriptio. Ea videlicet lectio salutis initium adtulit homini: dum enim oblatos sibi libros variis locis quasi aliud agens delibat, sensim capi cœptus est pulchritudine eorum, quæ scripta reperiebat, atque adeo inter ipsam lectionem, ubi quidpiam insigne cognoverat, subsistere, secum ipse deliberans: quid si præclarum hoc Sancti Dominici facinus, quid si hoc Sancti Francisci Deo fretus aggrediar? His demum animatus, & melioris sacratiorisque militiæ Dux effectus vitiis & hæresi bellum indixit, triumphis & prodigiis clarus. Sed non solum in castris militat, ve-

tum etiam in soliis regnat Historia: hujus studio Basilius Imp. tantum detulit, ut libellum conscribere non dubitarit, cui titulum præfixit κεφάλαια παραινετικά. In isto historiæ studium Leoni filio suo his verbis memoratu dignissimis commendat (x): „ Per veteres historias ire ne „ recusa; ibi enim reperies sine labore, „ quæ alii cum labore collegerunt; atque „ illinc hauries & bonorum virtutes, & „ improborum vitia: varias humanæ vitæ „ mutationes, & rerum in ea conversio- „ nes: mundi hujus instabilitatem, & „ Imperiorum præcipites casus: & ut „ verbo complectar, malorum facinorum „ pœnas, & bonorum præmia, quorum „ illa fugies, ne in justitiæ divinæ manus „ incidas: hæc amplecteris, ut præmiis, „ quæ ea comitantur, potiaris. „ Informaturus in Principe filio Principem numeris suis absolutum arbitratus est Imperator, non fore melius atque potentius monitum, quam ab historiæ studio, & historicorum lectione petitum. Nam historia est *Magistra vitæ*, ut audivimus ex Tullio, ac *morum gubernatrix*. Reges ibi inveniunt optima documenta recte administrandi regnum, amplificandi, beatos reddendi subditos: Belliduces artem fortiter

(x) *Cap.* 56.

titer milites in officio continendi, provide præliandi, feliciter obtinendi victorias: Viri fortes stimulum ad magna audenda, & ardua sustinenda; segnes exempla, quibus excitentur: vitiosi flagitia punita deprehendunt, quum historia instar gravissimi censoris libere atque licenter de illis objurget. Hinc Demetrius Phalereus, uti memorant Plutarchus (y) & Lucretius (z), Ptolemæum Regem adhortari solitus est, ut libros sibi pararet, de regno deque militari disciplina tractantes, eosque diligenter evolveret, propterea quod in istis ea, de quibus Amici & Purpurati non audent admonere Reges, sit lecturus, quin irascatur, & amplexurus, quin verecundetur. Nihil autem ad historiæ utilitatem explicandam, nihil ad artis hujus studium commendandum adferri potest jucundius simul ac magnificentius, quam Parænesis illa, qua Claudianus Honorium Imperatorem interpellavit tanquam de re Viro Principe dignissima, ita canens:

Interea Musis animus, dum mollior instat,
Et quæ mox imitere, legas, nec desinat unquam

Tecum

(y) *In Græc. Apophtegm.* (z) *Lib.* 5. *c.* 5.

Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.

Antiquos evolve Duces, assuesce futuræ

Militiæ, Latium retro te confer in ævum.

Libertas quæsita placet? Mirabere Brutum.

Perfidiam damnas? Metii satiabere pœnis.

Triste rigor nimius? Torquati despice mores.

Mors impensa bonum? Decios venerare ruentes.

Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto

Oppositus Cocles, Mutii te flamma docebit.

Quid mora perfringat, Fabius. Quid rebus in arctis

Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus.

Discitur hinc nullos meritis obsistere casus.

Prorogat æternum feritas tibi Punica famam.

Regule: Successus superant adversa Catonis.

Discitur hic, quantum paupertas sobria possit,

Pauper Fabricius, Pyrrhi dum sperneret aurum,
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.

CAPUT II.
HISTORIA HISTORICES.

§. I.
Origo Historicæ.

VI.

Nilum fluvium, etsi fæcundissimum celebrent Poetæ: *Qui totam Ægyptum stagnantibus alluit undis*, & septem ostiis in mare se exonerantem prædicent Historici:

Septemplicis ostia Nili.

Utrique tamen, si de veteribus sermo sit, ortum illius & fontem haud potuerunt deprehendere, immo negotium hoc humana indagine majus esse crediderunt. Idem historiæ contingere mihi videtur: adeo diversæ scriptorum de illius origine, seu potius de primo ejus auctore opiniones circumferuntur. Quidam omnium scientiarum & artium primordia a temporibus fabu-

fabulosis repetentes Musarum uni, Clio dictæ, inventionis hujus gloriam tribuunt, inter hos Apollonii Scholiastes erat, dum inquit (a): *Clio Musarum una historiam invenisse scribitur.* Ægyptii, gens superstitiosa, & Sacerdotum suorum venerationi nimium quantum obnoxia, credentes, nihil quod sapientiam olet, nisi ex illorum ore profluxisse, primos historiæ conditores eos ipsos celebrarunt, quibus favere videtur Flavius Josephus in primo contra Apionem libro. Græci principem inter Historiographos locum Cadmo Milesio deferunt, quibus adsentitur Plinius (b) dicens: *Cadmus Milesius omnium primus historiam condidit.* Sed Josephus (c) Cadmum hunc inter Græcos duntaxat primum, qui historiam scripserit, fuisse tradit. Apuleius (d) Pherecydem Syrum primum soluta oratione res gestas narrasse tradit, atque ita historiæ initium, quæ soluta oratione conscribitur, eidem adjudicat tanquam parenti. Sed male: nam Pherecydes teste Eusebio circa prima Olympiadis tempora floruit; Moses autem, quem postea Historicæ conditorem dicemus, vixit annos 788. vel 811. ante Joathan Judæorum Prin-

(a) *Lib.* 3. (b) *Lib.* 7. (c) *Volum.* 1. *Antiqui.* (d) *In Floridis.*

Principem, cujus tempore, vel potius paullo ante Olympiades cœperunt. Strabo (e) non solum ad Pherecydem, sed ad Cadmum etiam & Hecatæum historiæ originem refert: Laertius vero Diogenes auctor est, ex Philosophis primum historias composuisse Xenophontem. Verum hos omnes Mose posteriores fuisse constat. Latini demum Saturno suo, postquam e Creta insula a Jove filio pulsus in Italiam adpulit, honorem hunc vendicant, jactitantes cum Macrobio (f), ante Saturni in Italiam adventum nullam dignationem habuisse historiam; sed postquam is rudem populum collegisset, illam quasi vocalem redditam fuisse. Atque hanc ob rem olim Romæ fastigio Fani Saturno dicati Tritones superimpositi cernebantur, ea forma, ut buccinas manibus tenerent, ore inflatas, caudas vero humi repentes & absconditas gestarent; quo velut symbolo volebant indicare, ante Saturnum omnia occulta, post illum omnia per observationem & historiam clarissima fuisse reddita & palam facta. Alii vero Romanorum post Numam Pompilium ortam esse historiam contendebant, scilicet ex

(e) *Lib.* 1. *Geograph.*
(f) *Lib.* 1. *Saturn. c.* 8.

ex Annalibus Pontificum, in quos res gestæ Romanorum ab his referri solebant. En diversas admodum opiniones diversarum veteris ævi Nationum, quavis historiæ repertæ palmam pro se suisque ambiente: nec deerant Scriptores, ut vidimus, qui adularentur illis.

At ævi Christiani Auctores fere omnes consentiunt, Mosen non solum prima hujus artis fundamenta jecisse, sed & præ omnibus aliis primum fuisse historicum Scriptorem. Inprimis enim fateri oportet, pleraque de rebus Græcorum ante Olympiades, & de rebus Romanorum ante Urbem a Gallis captam fluxa incertaque fuisse. Dein, licet Josephus favere videatur Ægyptiis & Babylonicis Sacerdotibus, vix non gentis suæ oblitus, quum ait (g): *Quoniam vero apud Ægyptios & Babylonios ex longissimis olim temporibus circa conscriptiones diligentia fuit, quando sacerdotibus erat injunctum, & circa eas ipsi philosophabantur*, mox tamen quasi ad se rediens subjunxit: *De nostris vero Progenitoribus, qui eandem, quam prædicti habuerunt in conscriptionibus diligentiam, desino dicere etiam potiorem, Pontificibus & Prophetis imperantes &c.* ex quibus illud duntaxat argutari licet, antiquissimum fuisse

(g) *Volum.* 1. *Antiqu.*

fuisse tum apud Ægyptios & Babylonios, tum apud Hebræos sacerdotes morem conscribendi Annales, qui tamen ab Historia, ut suo loco dicemus, multum differunt. Denique quid multis opus est? habemus ante oculos historicum opus, scilicet Pantateuchum, cujus Auctorem omnes agnoscunt Mosen. Hic autem & Cadmum, & Pherecydem, & Hecatæum, & Xenophontem, & Saturnum, cunctosque, quos primos historiæ inventores celebrat ambitiosa vetustas Græcorum & Latinorum, ætate antegressus est. Quapropter antiquissimus Seculi IV. Scriptor Eusebius Cæsareensis (h) fidenter asserit: *Unde Sapientissimus ille Moses, qui primus cujusque hominis vetustissimi vitas Hebræorum conscripsit, civilem atque in actione positum vivendi modum narratione historica docuit.*

VII.

Et vero Moses primus Hebræorum gesta conscripsit, & vivendi modum narratione historica docuit: atque ita & Historici munus, & historiæ finem plene adsecutus est, utpote quem non ita pridem diximus esse duplicem, nimirum *memoriam Majorum*, & *imitationem Posterorum.* Ne-

(h) *Lib.* II. *de præpar. Evangel.*

Neque etiam veritas defuit, aut deesse potuit scriptori nostro. Non inquam defuit, quum rerum ante se gestarum notitiam e puris fontibus hauserit, scilicet ab Adamo communicatam Lamecho Nepoti, a Lamech Noemo filio suo, ab hoc Abrahamo, ab Abrahamo Isaaco, ab isto Jacobo, a Jacob Levi, a Levi Caath, a Caath Amramo, qui Mosis Pater exstitit. Quivis enim horum vel a Patre, vel ab Avo aut Proavo adhuc in vivis agente mirabilium Dei operum, & rerum ab hominibus gestarum seriem excepit, suisque denuo filiis & nepotibus instar hæreditariæ portionis reliquit. Neque etiam veritas deesse potuit, quum seu inspirante seu dirigente, ne quid falsi interveniret, Spiritu Sancto, veritatis omnis fonte, historiam suam scripserit Moses, ita ut non tam hujus, quam ipsius Dei Verbum sit. Nihil porro partitionis, aut artificii, quibus etiam ævo nostro historices Magistri utuntur, in Pentateucho desideratur. Solent partiri historiam in Chronologicam, Geographicam, Genealogicam, & eam, quæ actionum, ac rerum est, seu Historicam proprie dictam. Nemo sane Mose exactior in ineunda temporum ratione, in generationum ac familiarum recensione, ut patet ex libris Genesis & Numerorum: nemo peritior

illo

illo in descriptione regionum, urbium, & locorum, castrorum &c. quemadmodum liber Exodi palam facit: nemo fidelior & admirabilior in enarrandis prodigiis Dei, gestis & dictis Patriarcharum, sacrificiis, bellis, faustis & felicibus eventis &c. Ad artificium quod adtinet, quo minus adparet prima fronte, eo majus est, quum non quæsitum, sed velut sponte natum sit. Certe narrationes sunt patheticæ, descriptiones vivæ, characteres personarum nobiles, conciones seu oratiunculæ energeticæ, sententiæ gravissimæ, digressiones mirabiles, affectus dominantes, stilus vel ipsa simplicitate sua magnificus, quemadmodum omnes fateri debent, qui in legendis intelligendisque S. Bibliis diu multumque sunt versati, id quod pluribus in libro *de Theologia Positiva* demonstrabo. Huic autem labori historico immortuus est Auctor * Moses anno centesimo vigesimo ætatis suæ, mundi vero bis millesimo quingentesimo vigesimo tertio, ut Bellarminus computat, vel ut probabilius Labbe, octogesimo quarto. Itaque palam est, primus historiæ scriptor, primumque opus historicum, hoc nomine dignum, idque sacrum; ut agnoscamus, historiam sacram & tempore, & rerum gestarum magnitudine, & narrationis veritate profanam lon-

* Vallemont mortem Moysis refert ad ann. ætatis 120um ac anno vulg. ... 1447

longiſſimo intervallo anteceſſiſſe ac ſuperaſſe.

Aperta ſemel via per Moſen, longo agmine ſecuti ſunt, ſacræque hiſtoriæ ſcribendæ ſe accinxerunt Duces, Reges, & Prophetæ populi Iſraelitici. Et quidem Joſue, Moſis in Principatu Hebraico ſucceſſor, ea memoriæ prodidit, quæ ab obitu Moſis in Deuteronomio continentur, uti plerique exiſtimant: librum præterea compoſuit, ſuo nomine inſignitum, videlicet *Joſue*. Samuel vero, ultimus populi Judex libros Judicum & Ruth: Gad & Nathan (uterque a ſecretis Davidi Regi) libros Regum: Esdras & Nehemias libros *Esdræ* nuncupatos: alii (nam de Auctorum nomine non ſatis certa eſt fama) libros Tobiæ, Judith, Eſther, & Job elucubrarunt. David & Daniel tum præterita tum futura partim narrando, partim vaticinando complexi ſunt: Salomon Rex pulcherrimas morum doctrinas addidit in libris Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, Canticorum, & Sapientiæ: Prophetæ majores & minores tum plana & aperta narratione res geſtas, tum involuta & vatidica gerendas deſcripſere, monitis & minis pleni: Joannes Hircanus, & Jaſon Cyrenæus fortia Machabæorum facta palam fecerunt, & laudarunt. His merito ac cen-

censentur (licet fide multo minores sint, nec majores humana) duo Judaicarum rerum, bellorum, rituum, legum, victimarum &c. ad veterem Religionem spectantium Scriptores historici, datoque etiam de Messiæ adventu testimonio celebres, Philo Hebræus, qui sub Cajo Caligula floruit, & Flavius Josephus Matathiæ filius. Novæ autem Religionis historiam omnem, tum Christi Dei-hominis vitam, doctrinam, miracula & mortem, gloriosam anastasin, & in cœlos ascensum: tum Apostolorum Acta & labores pro Ecclesia Dei exantlatos calamo suo illustrarunt Evangelistæ. Hæc facies erat nascentis historiæ sacræ, & Ecclesiasticæ.

VIII.

Ad profanæ primordia, ejusque scriptores transire lubet. Ubi Mosis libri late sparsi fuerunt, nec solum per Judæorum sed & finitimarum gentium manus circumferebantur, incidentes in eos quidam Poetarum Græcorum, seu rerum quæ legebant mirabilium amore capti, seu suopte ad fingendum & placendum ingenio stimulati, non pauca e sacris illis libris decerpsere, & vera falsis miscentes historiam in fabulam migrare jusserunt. At post tempus aliquod Philosophi melioris

notæ

notæ detractis fictionum larvis veritatem nudam sistere, suamque morum doctrinam & præcepta inde cœperunt eruere, quamvis veræ fidei luce destituti & ipsi errores suos non parca manu inspersserint. Alii demum ingenii & scribendi facultate præstantes, quum non sine voluptate Patriarcharum res præclare gestas, populi electi mores, itinera, sacrificia, bella, aliosque eventus admiratione dignos in his libris sacris descriptos perlegissent, adjecerunt animum & calamum ad suorum quoque Heroum facta celebranda, ad populorum gentilium mores & ritus, ad regnorum & rerum publicarum vicissitudines describendas. Hunc laborem suscepere maximi quique Viri post institutas Olympiades. Nam *omnis Græcorum historia, quæ has præcessit, Varroni visa est fabulosa*, inquit Musantius (i). Primus qui nomen Historici profani meretur, Herodotus fuit, qui Halicarnassi, Cariæ urbe, primam lucem aspexit anno M. 3520. seu Olympiadis LXXIII. ultimo. Historia, quam condidit, vastum argumentum complectitur, nimirum plurima, quæ in Asia, Africa, Persica, Scythia, Græcia, variisque regionibus aliis per ducentos & quadraginta annos

(i) *In Face Chronolog.*

annos gesta fuere: novem libris, quibus totum opus constat, singulis singula Musarum nomina imposuit. Plutarchus quidem malæ fidei, Ctesias ignorantiæ, Strabo fabularum postulat Herodotum; sed Cicero & Quinctilianus, aliique apud Aldum Manutium summis ejus historiam laudibus extollunt. Certe Tullius (k) Herodotum *historiæ Patrem* vocat: Fabius (l) *Historiam*, ait, *multi scripsere præclare, sed nemo dubitat, duos* (Herodotum & Thucydidem nominat) *longe cæteris præferendos, quorum diversa virtus laudem pene parem est consecuta.* Thucydides illustri Athenienses inter cives genere editus circa annum M. 3503. Olympiadis LXXVII. primum, Herodoti historiam dum legi audiret adolescens, in lacrymas effusus totum se studio huic consecravit. Tum bello Peloponnesiaco primis octo annis præsens, postmodum omnia per viginti & unum annum in eodem ab Atheniensibus & Spartanis gesta posteritati reliquit. Fidei ac sinceritatis, exactæque in scribendo methodi laudem ab omnibus tulit: *fabulosum* inquit Dionysius Halicarnasseus (m) *in suos libros nihil in-*

(k) *Lib.* 1. *de Leg.* (l) *Lib.* 10. *Instit.*
(m) *In Judic. de Thucid.*

induxit, neque in eam partem deflexit, ut multitudini fraudem & tanquam imposturam faceret, quo in genere superiores omnes peccaverunt: & Cicero (n) *Thucydides* inquit *omnes dicendi artificio vicit.* Xenophon in lucem editus anno M. 3511. & Olympiadis LXXVIII. quarto, Cyropædiam seu Institutiones Cyri Regis octo libris comprehendit: scripsit idem de expeditione Cyri Junioris libros septem, totidem de Hellenica, seu Græca historia: unum de Agesilao, de Lacedæmoniorum Republica, uti & Atheniensium, pluraque alia. Cicero quidem & alii judicant, Xenophontem non ea, quæ Cyrus re ipsa egit, sed quæ a Rege optimis dotibus instructo agi oporteret, sua in Cyropædia exponere voluisse. At non desunt, qui octo libros illos majorem, quam ea quæ Herodotus recenset, fidem promereri existimant. Cætera Tullius (o) *Xenophontis ore Musas locutas esse* ait, & Quinctilianus: *quid ego commemorem Xenophontis jucunditatem, illam inaffectatam, sed quam nulla possit affectatio persequi? ut ipsas finxisse sermonem Gratiæ videantur, & quod de Pericle veteris Comœdiæ testimonium est, in hunc transferri justissime possit: in labiis ejus sedisse quandam persuaden-*

den.

(n) *Lib.* 2. *de Orat.* (o) *Lib.* 6. *de Orat.*

dendi Deum. Polybius Megalopoli oriundus anno M. 3756., quarto Olympiadis CXLIII. non minus calamo, quam gladio strenuus erat, variis Romanorum bellis ac præliis ipse præsens. Historia, quam maxima ex parte Romæ elaborasse creditur, ea complectitur, quæ belli Punici initio usque ad ejus finem & Macedonici regni interitum variis in orbis partibus memoratu digniora evenerunt. Ex quadraginta ejusdem libris primi duntaxat quinque, & duodecim sequentium synopsis ad nos pervenit. Id præcipue ab omnibus scriptoribus laudi datur Polybio, quod in conscribenda historia majorem illo industriam nullus impenderit, ne quid in libros suos irreperet a veritate alienum. Diodorus Siculus Romæ floruit Julii Cæsaris & Augusti temporibus, ubi sua in historia perficienda annos triginta insumsisse fertur. Huic Bibliothecæ nomen indidit, quod ea quæ a veteribus scriptoribus Theopompo, Ephoro, Beroso, Callisthene, atque Timæo literis consignata fuere, in unum ipse opus collegerit: sed ex bibliotheca hac libros quadraginta complectente nonnisi quindecim præter nonnulla fragmenta modo comparent. In his Ægyptiorum, Assyriorum, Indorum, Scytharum, Arabum, Æthiopum, Græ-

corum, & res Siculas refert. Etsi autem vitio illi detur, quod materiam justo ampliorem sine debito rerum delectu pertractarit, ejus tamen Bibliotheca historica plurimi fit a plerisque, ac Rapinus Noster in antiquis scriptoribus versatissimus eum magni characteris virum adpellat. Dionysius eandem cum Herodoto patriam nactus, & Halicarnasseus est dictus. Ex viginti antiquitatum Romanarum libris undecim tantum una cum quibusdam laciniis edaci tempori fuerunt subtracti. Multi scriptorum, qui Dionysii hujus historiam accuratius evolverunt, summam in eo eruditionem, miram judicii vim, præstantiam ingenii ac facilitatem, mentem omni disciplinarum genere excultam, constans veritatis studium, animum præjudiciis vacuum, impiorum Numinis providentiam rejicientium acre odium suspexerunt. Profecto Henricus Stephanus Romanam historiam non potuisse elegantius conscribi censet, quam græco sermone a Dionysio, & latino a Livio. Plutarchum Cheronæa urbe Bæotiæ oriundum opera ejusdem edita insignem Philosophum, Historicum summum, & facundissimum Oratorem fuisse commonstrant. Præcipuum & elegantissimum ex iis, quæ reliquit, sunt vitæ virorum illustrium,

Roma-

Romanorum æque ac Græcorum, ob quas præstantissimi Historici nomen apud omnes obtinuit. Quippe tum publicam tum privatam horum vitam ad justitiæ, temperantiæ, prudentiæ, ac fortitudinis leges solicite expendit, unde vera gloria & existimatio dimanat: & licet stili ratio apud Plutarchum nec elegans, nec sublimis videatur, miram tamen vim habet perpaucis vivas rerum imagines, sensusque grandes exprimendi, & suos etiam aculeos defigendi. Post hos memorandi veniunt Arrianus, qui septem libros de expeditione Alexandri M. exaravit, (octavus enim de Indiis est, velut priorum appendix) & ob stili amœnitatem novi Xenophontis nomen adeptus est: Appianus, qui Romanam historiam vulgavit in tot libros divisam, quot nationes sunt, quas Romani subegerunt. Pretium ferunt ejus orationes ad concitandos militum animos aptissimæ: Diogenes Laertius Philosophorum vitas libris decem spectandas exhibuit, qui magnæ utilitatis sunt Eruditorum judicio: Herodianus octo libros historiæ, scilicet ab obitu M. Aurelii usque ad Gordianum III. posteritati reliquit. Si Photio fides est, cunctis dotibus, quæ historico conveniunt, rite expensis, paucos invenire est, qui Herodianum superent: Dio

Cassius Romanam historiam octoginta libris ab ipsa urbis origine usque ad Alexandrum illustravit; sed reliquis deperditis trigesimus quintus nobis primus est: in prodigiis quibusdam enarrandis Rapini judicio non tantum a veritate, sed etiam a verosimili discessit.

IX.

A Priscis, qui primi profanam historiam græco sermone condiderunt, ad veteres Latinos, ejusdem scriptores fama celebriores venio. Omnium vetustissimi censentur Quinctus Fabius Pictor, L. Cincius Alimentus, M. Porcius Cato, & L. Calpurnius Piso: sed Historicorum nomen hi vix, ac ne vix quidem merentur. Nam ut Cicero (p) ait: *Sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt*, ita ut eorum lucubrationes annalibus potius quam justæ historiæ similes adparerent. Ab ævo autem Ciceronis Latina historia, suo in ortu agrestis, postea decenti ornata vestitu admirationem æque ac amorem sibi conciliavit. C. Julius Cæsar toga sagoque nobilissimus Commentariis seu libris septem de bello Gallico, tribus de civili inclaruit,

(p) *Lib. 2. de Orat.*

ruit, qui licet ornamentis quibusdam carere videantur, summa tamen illis inest sermonis integritas, elegantia, & brevitas, de his grave Ciceronis testimonium habemus: *Ineptis fortassis*, inquit (q), *gratum fecit, qui volent illa calamistris inurere; sanos quidem homines a scribendo deterruit: nihil enim est in in historia pura & illustri brevitate dulcius.*

Cornelii Nepotis, Ciceroni & Attico familiarissimi, vitæ tum Græcorum tum Romanorum e multis aliis, quæ scripsit, ad nostram ætatem pervenerunt. Non vulgaris ejus laus est, quod veri honoris, probitatis, ac boni publici studium cum sermonis elegantia singulari, & fidei candore in scribendo conjunxerit. Hoc opus Theodosio Imperatori Æmilius Probus tanquam a se elucubratum obtulisse fertur: unde diu Æmilii Probi nomen gessit, sed detecta tandem fraude suus Cornelio restitutus partus, Æmilius vero perpetua plagii ignominia notatus fuit.

Crispus Sallustius Amiternus, in Vestinis oriundus, præter conjurationem Catilinæ, & bellum Jugurthinum Historiam quoque Romanam edidit, qua S. Augustinus usum

(q) *Lib. 2. de Orat.*

usum se fuisse testatur in libris de Civitate Dei, cujus tamen fragmenta duntaxat aliqua, & quædam orationes supersunt. Res admiratione digna est, Sallustium ob dissolutos mores a Censoribus Senatu pulsum fuisse: historici tamen partes ita explevisse, ut Martialis de illo testatum reliquerit (r):

Crispus Romana primus in historia.

Quinctilianus vero eum Thucydidi præponere non fuerit veritus. Titus Livius nobili genere Patavii prognatus, Romæ Mœcenatis opibus & amicitia fretus in lucem dedit opus diu meditatum, nempe historiam, quam ab ipsis Urbis incunabulis usque ad Drusi mortem seu annum septingentesimum quadragesimum septimum ingenti felicitate deduxit. Ex centum quadraginta, vel ut alii asserunt, centum sexaginta duobus libris nonnisi triginta quinque ævo nostro transmissa fuerunt. Dotes hujus scriptoris celebrat Fabius, dum ait (s): *Ne indignetur sibi Herodotus æquari Titum Livium, cum in narrando miræ jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam dici potest, eloquentem: ita dicuntur omnia cum rebus tum personis accommo-*

(r) *Lib.* 14. *Epigr.* (s) *Lib.* 1. *Instit. c.* 1.

ijus Cornelius Tacitus historiæ scriben-
ım provecta ætate se addixit: librum
tu, moribus, & populis Germaniæ:
riam quoque a Neronis interitu us-
ad Domitiani cædem: demum An-
; ab excessu Augusti usque ad Gal-
nitium exaravit. Non idem omni-
de Tacito sensus & judicium est:
us cum aliis ejus prudentiam, præ-
a, amorem veritatis, dictionem ele.
em & limatam extollit: contra Ra-
s cum aliis stili asperitatem & ob-
tatem, religionis curam modicam,
nperantiam in describenda Tiberii lu-
a, demum nimiam in ferendis judi-
arrogantiam reprehendit.

uinctus Curtius Rufus Alexandri M.
describendæ decem librorum labo-
impendit, ita ut non desint viri
iti, qui Curtium inter Historicos do-

& latinitatis nitor communi plausu est recepta, dignaque Augusti ævo: *Mira est*, inquit Lipsius, *in sermone ejus facilitas, in narrationibus lepos, adstrictus idem ac profluens, subtilis & clarus, sine cura ulla accuratus, verus in judiciis, argutus in sententiis, in orationibus mirifice facundus.* Cajus Suetonius Tranquillus duodecim Imperatorum historia, quam texuit, & parte Tractatus, qui exstat de illustribus Grammaticis & Rhetoribus, magni Historici famam sibi comparavit. De hoc Possevinus in Apparatu suo testatur: *Antiquitatum Romanarum & Græcarum peritum admodum fuisse, ut nemo idonee magis de plerisque scripserit.* Et D. Hieronymus dum Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum conficere statuit, sibi Imperatorum vitas a Suetonio evulgatas in scriptionis suæ ideam proposuisse se testatur. Hujus ipsius S. Doctoris judicio Suetonius de Imperatoribus ea libertate scripsit, qua ipsi dum viverent, usi sunt. Lucius Annæus Florus Romanæ historiæ synopsin quatuor libris conclusit, ducto a Romulo initio usque ad Augustum, qui orbe pacato Jani Templum clausit. Hæc peculiare quid habet, nimirum quod consuetis compendiorum vitiis careat: non enim est jeju-

jejuna, nec nimium pressa, neque tædium parit: stilo gaudet sublimem inter & humilem medio, eleganti, nitido, & mire grato: Poeticam tamen dictionem subinde sapit, quam e Senecarum familia, e qua oriundus erat Florus, traxisse videtur. Atque hi sunt præcipui Latinæ historiæ scriptores. Secuti sunt alii, ut Justinus, Ælius Spartianus, Julius Capitolinus &c. Multum tamen prioribus inferiores, & ab Augusti ævo ætate ac sermonis elegantia remoti.

§. II.

Historiæ felix Progressio.

X.

Videri quidem posset tum sacræ tum profanæ historices artem in priscis his heroibus supremum gloriæ apicem attigisse, nec plus ultra valuisse progredi. Et re ipsa, num qui duces istos secuti sunt, cum iis in comparationem venire possint, & perfectius aliquid vel æque perfectum hoc in scriptionis genere elaborarint, haud facile dixerim. Illud tamen certum est, succedentibus temporibus Historicum regnum fines suos mirum quantum dilatasse, & dum prius intra unius alteriusve

popu-

populi, regni, ac Imperii, vel paucorum præstantium virorum, ut ita dicam angustos limites se se continuit, postea totum qua late patet peragrasse orbem, nihilque intactum reliquisse. Quippe omnium Monarchiarum, regnorum ac principatuum initia, progressiones, ac vicissitudines: migrationes gentium ac populorum ex aliis regionibus in alias: Regum, Principum, & Illustrium Familiarum continuas successiones: antiqui, medii, ac novi ævi res gestas & monumenta magnitudine innumerabilia, varietate gratissima, modo legentibus offert, ac veluti spectanda præbet, ita ut suis cultoribus non ita longi temporis spatio, quod huic studio & Auctorum lectioni sedulo impendunt, ab orbe condito ad hæc usque secula rerum omnium notitiam largissimam subministret. Hæc autem omnia in medium producere, exemplisque commonstrare, infinitus labor foret, nec instituto meo conveniens. Fontes solum indicare animus est, e quibus amplissima hæc notitia hauriri queat. Atque ut ab illis initium ducam, qui de ipsa historices arte bene meriti sunt, ex Antiquis fuere Lucianus, & Dionysius Halicarnasseus: ille brevi libello, hic altero, quem inscripsit *Judicium de Thucydide*, condendæ historiæ rationem ac

nor-

normam propofuerunt. Tullius quoque ubi de Græcis & Latinis Hiftoricis agit, fuumque fert judicium, præfertim in libris *de Orat.* & *Legibus*, præclara documenta & præcepta artis iftius frequenter immifcet.

E vicinioribus ævo noftro funt Jovinianus Pontanus: hic Dialogum edidit, quem *Actium*, adpellat, in quo de Hiftoricis judicium fert, & velut aliud agendo ipfius artis arcana pandit: Joannes Antonius Viperanus, quum fuam de bello Melitenfi hiftoriam fcriberet, librum quafi prodromum præmifit de dotibus veræ fincerææque hiftoriæ, Antonio Perenoto Cardinali dicatum: Francifcus Patricius decem Dialogos admodum eruditos vulgavit, in quibus octo potiffimum capita proponit eorum, quæ ad ad confcribendam hiftoriam fcitu & obfervatu neceffaria effe judicavit, videlicet principium, ordinem, finem hiftoriæ; porro res, quæ vel filentio prætereundæ vel enarrandæ: tum quænam ex his obiter folum attingere oporteat, aut quibus diutius fit immorandum; denique qua ratione res geftæ fint recenfendæ: Francifcus Balduinus aliam iniit viam, duosque libros reliquit, quos Inftitutionum univerfæ hiftoriæ titulo infignivit, potiffimum vero illius cum Juris-

risprudentia vinculum arctissimum demonstrat. At Gerardus Vossius fere primus fuit, qui ad omnem artis apicem negotium hoc expendit in libro de Arte historica, capitibus triginta duobus circumscripto. In hoc præmittit veluti Prolegomina historiæ: discrimen illius a reliquis artibus, finem & originem: tum definit eam, & in partes suas distribuit: postea ad præcepta & structuram universim progreditur: articulatim autem singulas ejusdem partes examinat, qua ratione confici debeant: præter hæc ordinem docet in enarratione observandum, simulque dotes elocutionis exponit: denique grave munus & officium Historici persequitur. Antonius Possevinus S. J. (t) qui per totam fere Europam ad Moscos usque commissas sibi a Pontificibus legationes obiit, eximius est tum in describenda optimæ historiæ indole, tum in præceptis tradendis, tum etiam in recensendis præstantibus artis hujus Auctoribus. Famianus Strada S. J. quo nescio an quisquam melius historices artificium & verbo & facto tradiderit; verbo quidem in Prolusionibus ut vocat Academicis, facto autem in historia, quam de bello Belgico scripsit, cum aurei seculi scriptis jure æquanda.

Rapi-

(t) *Tom. 2. Bibl. Select.*

Rapinus S. J. vir quam improbus in legendo, tam acer in judicando, tum historiæ virtutes ac vitia, tum singulorum scriptorum characteres admirabili acumine ingenii, ac sagacitate expendit, atque illustrat.

XI.

Nunc ad Ecclesiasticæ historiæ incrementa animum & oculos convertamus. Hegesippus primus erat, eximius Apostolorum sectator, quem D. Hieronymus patria Judæum, & inter sanctos relatum perhibet, primus inquam erat, qui Ecclesiasticam historiam ab orbe condito per Mosen inchoatam, per Judices autem, Prophetas & Evangelistas ad Christi mortem continuatam, ab eadem ad suam usque ætatem deduxit, relictis quinque libris, in quibus Traditiones Apostolicæ expressæ leguntur. Fragmenta horum quæ supersunt, Tomo secundo Script. Orient. collegit P. Halloix S. J. Vixit autem Hegesippus Aniceti Pontificis tempore, circa annum Chr. 151. quo regnante Romam se venisse ipsemet testatur. Eusebius Cæsareensis Episcopus, ob singularem cum Pamphilo Martyre amicitiam cognomentum Pamphili sortitus, plurima scripto reliquit, maxime vero libros Evangelicæ

Præ-

Præparationis & Ecclesiasticæ historiæ. obiit anno 340. Ariana tamen hæresi infectum fuisse testatur Athanasius, Hieronymus, & Synodus VII. Act. 5. Socrates Scholasticus, & Hermias Sozomenus, secta Novatiani, scripserunt græco idiomate Historiam Ecclesiasticam a Constantino M. usque ad Theodosii junioris consulatum XVIII. sive annum Chr. 439. Prior libris septem, alter novem eam complexus est. Theodoretus Cyri Episcopus initio quidem Nestorium in Ephesino Concilio damnatum defendit, sed exul errorem postea detestatus, & sedi suæ restitutus fuit. Hic quinque libros Ecclesiasticæ historiæ in lucem dedit circa annum Chr. 451. Marcus Aurelius Cassiodorus, Senator & Consul anno Chr. 514. variis scriptis inclytus ultra annum nonagesimum tertium vitam extraxit. Hic *Tripartitam Historiam* iis simul, quæ Socrates, Sozomenus & Theodoretus scripserunt, latine redditis concinnavit.

Evagrius Scholasticus Epiphaniensis composuit libros sex historiæ Ecclesiasticæ ab anno Chr. circiter 431. usque ad annum 597. exordio a fine Tripartitæ historiæ facto. Anastasius Romanus Abbas & S. R. E. Bibliothecarius sub Nicolao I. Hadriano II. & Joanne VIII. floruit, scripsitque

que hiſtoriam Eccleſiaſticam Tripartitam, ex Syncello, & Theophane Abbate magna parte translatam. Nicephorus Calliſtus ſuam hiſtoriam Eccleſiaſticam e ſupra memoratis contexuit libris viginti tribus, a Chriſto nato ad annum 911. huic Poſſevinus addidit erudite nonnulla, quæ in Nicephoro tum circa fidei dogmata, tum veritatem hiſtoriæ correctione indigebant. Unum quod ſupererat exemplar deperditis poſtremis quinque libris e Regia Matthiæ Corvini bibliotheca ereptum, & Conſtantinopoli emtum bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſi illatum eſt. Poſt hos, qui ſimplici ſermone ac ſtilo minus polito, ſed ſeculis illis uſitato, Eccleſiæ acta factaque velut rudi adhuc penicillo adumbrarunt, inſigne opus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ molitus eſt Cæſar Cardinalis Baronius e Congregatione Oratorii, ut vocant, a Clemente VIII. Pont. Max. ad Patrum Purpuratorum Senatum evectus. Negotium hoc aliis demandatum quum non ſuccederet, ipſe tandem in eam ſcriptionem a puero jam intentus, crebrisque illud ſermonibus uſurpans feliciter aggreſſus eſt, & felicius confecit, duodecim omnino tomis tempus a Chriſto nato usque ad annum MCC. complexus: ſincerum & grave, rerumque magnitudi-

ni par dicendi genus ubique emicat, & ab omni fuco alienum. Obiit an. 1607. Prosecutus est laborem, quem morte præventus Baronius ultrà deducere non potuit, Abrahamus Bzovius ex Ord. Præd. post hunc eruditissimis aliquot Tomis Odoricus Raynaldus: Antonius vero Pagius docta sua quatuor voluminum Critica ejusdem Baronii Annales non tam emendavit, quam illustravit. Prodierunt etiam Annales sacri duobus Tomis Auctore Augustino Torniello, qui ab orbe condito usque ad Christi natales, a quibus auspicatus est Baronius, Ecclesiæ Veteris historiam eruditione magna elucubravit. Plurimum quoque splendoris debet Historia Ecclesiastica scriptoribus ævi nostri, Ludovico Dumesnil S. J. de doctrina & disciplina Ecclesiæ, quam documentis authenticis e S. Scriptura, Conciliis & Patribus illustravit: Cornelio Hazart S. J. qui formam & faciem totius Ecclesiæ per omnes quatuor orbis partes diffusæ eleganter non minus, quam erudite descripsit: Alexandro Natali Ord. Præd. de historia Ecclesiastica Veteris & Novi Testamenti, Roncagliæ notis emendata, in qua vasti ingenii & multijugæ lectionis specimina exhibet: Bollando, Papebrochio, ac reliquis e Societate Jesu, Acta Sanctorum conscriben-

bentibus; quæ ut ita loquar, omnes sacræ ac Ecclesiasticæ eruditionis thesauros in se continent.

XII.

Jam profanæ etiam historiæ progressiones in conspectum dare juvat. Quos paragrapho priorem antecedente recensui, Veteres tum Græci tum Latini historiæ Scriptores velut primi Navitæ circa litora hujus artis solicite cursum tenuerunt, & aliquarum duntaxat regionum, gentium, ac virorum illustrium monumenta literis consignarunt. Verum posteri animosiores facti; ultraque columnas Herculis progressi alto se commiserunt, omnes quatuor mundi plagas, etiam remotissima[illegible] & in his regna, provincias, civitate[illegible]-tia, insulas, portus peragrarunt; [illegible]d-quid de herbis, de arboribus, de lapidibus, de avibus, piscibus, animalibus, de hominibus; de sacris & profanis ritibus; de re militari, civili, œconomica, de artibus & scientiis, verbo, de universa mundi hujus supellectile memoratu dignum occurrit, in sua commentaria, lucubrationes, libros & volumina non sine maximo eruditionis proventu transtulerunt. Infinitus forem, si per singula ire, doctosque hominum istorum labores Lectorum

oculis exhibere vellem. Summa duntaxat capita perſequi, & quosdam de hiſtoria universim ſpectata bene moritos ſcriptores, nonnullos Veteres, alios Recentiores heic recenſere conſtitui. Dixi nuper, hiſtoriam dividi in eam, quæ temporum eſt ſeu Chronologicam; quæ locorum ſeu Geographicam, quæ Familiarum ſeu Genealogicam; & quæ actionum & rerum eſt, ſeu Hiſtoriam proprie dictam. *Ad primam claſſem* referri merentur: Euſebii Chronicon: Joſephi Scaligeri opus de emendatione temporum: Genebrardi Chronologia: Dionyſii Petavii S. J. doctrina & Rationarium Temporum: Jacobi Gaulterii S. J. integra chronologia rerum in orbe geſtarum a Chriſto Nato: Philippi Labbe S. J. Chronologia ſa[illegible]rofana: Joan. Dominici Muſantii S.[illegible]ax Chronologica ab orbe condito ad [illegible]ra tempora. *Secundæ claſſis* ſunt: Ptolomæi Alexandrini, veteris geographiæ Principis, opus Geographicum; Strabonis nobiliſſimum Geographiæ volumen: Abrahami Ortelii Theſaurus geographicus: Georgii Fournerii & Philippi Cluverii Introductio geographica: Joannis Baptiſtæ Riccioli S. J. Geographia libris duodecim eruditiſſimis conſtans: Henrici Niderdorf S. J. Generalis Geographia Cosmica, Mathematica, Naturalis & Politica. *Tertia claſ-*

claſſis continet Albizii ſtemmata Principum: Rittershuſii Tabulas Genealogicas; Lazii Genealogiam Auſtriæ: Blondelli Genealogiam Franciæ: Bucellini Ord. S. Bened. Genealogiam Germaniæ: Hübneri Tabulas genealogicas univerſales. *Quartam claſſem* conſtituunt primo loco, qui res geſtas univerſi orbis deſcripſerunt: Diodorus Siculus, qui claruit anno ſalutis 40. bibliothecam ſcripſit univerſalis hiſtoriæ, maxime illuſtrium populorum ab ultima Ægyptiorum memoria usque ad Auguſtum Cæſarem, libris quadraginta locupletatam: Trogus Pompejus circa annum Ch. 14. edidit Epitomen quadraginta quatuor libris comprehenſam, omnium fere populorum geſta breviter complectentem a Nino usque ad Cæſarem Auguſtum: V. Beda Anglus Chronicon reliquit ab orbe condito usque ad annum Ch. DCC. Hermannus Contractus, Monachus Augiæ Divitis, Chronicon ab ortu Adami usque ad annum 1052. Paullus Oroſius ab initio mundi usque ad Honorium: Zonaras vaſtam hiſtoriam ab O. C. usque ad annum Chr. 1117. in tres partes diviſam: Otho Leopoldi Marchionis Auſtriæ filius, Conradi III. Imp. ex matre Frater, Epiſcopus Friſingenſis, Chronicorum libros ſeptem ab O. C. ad

annum 1146. Hartmannus Schedelius, Professor Philosophiæ Norimbergensis circa annum 1493. Chronicon per sex mundi ætates distributum: Abbas Urspergensis, Chronicon ab O. C. usque ad Fridericum II. Imp. Vincentius Bellovacensis Ord. Præd. ab O. C. usque ad annum Chr. 1201. Joannes Nauclerus Tubingensis Chronicon usque ad annum 1500. Gilbertus Genebrardus, Theologus Parisiensis, scripsit Chronographiæ libros quatuor, quorum priores duo continent res gestas per quatuor annorum millia; posteriores reliquos annos complectuntur usque ad annum Chr. 1599. Post hos novimus complures quidem, qui filum hoc historicum texendo prosecuti sunt ad suum usque ævum, non tamen felici ut plurimum successu. Quum enim quorumdam commentarii nec debito rerum delectu, nec emendatioris chronologiæ rationibus instructi sint, vix utilitatis quidquam adferre possunt. Cæteris hoc in genere præstare videntur Epitome Horatii Turselini Soc. Jesu. Animadversiones circa historiam universalem Jacobi Bossueti, Meldarum Episcopi: Chronicon Gordoni: Annales Philippi Brietii S. J. His adjungi merentur Opuscula, quæ tum ab eruditissimo Viro Anselmo Desingio

Ord.

Ord. S. Bened. tum a Patribus Societatis Jesu in Germania ad usum & proventum historicum studiosæ potissimum juventutis fuerunt vulgata, quæque historiam sacram & profanam per Veteris Testamenti Acta, per quatuor Monarchias, per alia orbis Imperia & provincias, per Novi Testamenti Ecclesiastica monumenta, ubique epochis suis distincta, & illustribus exemplis insignita ab O. C. ad hæc usque tempora recto ordine ac facili methodo persequuntur; & quamvis vehementer ac importune ab heterodoxis, eorumque fautoribus impugnata fuerint, jure tamen civitatis, quo per triginta & amplius annos donata erant, dejici hactenus non potuerunt. Egregiam quoque operam hac in re navavit Ignatius Schwarz Soc. Jesu editis Collegiis historicis in novem tomulos divisis, quibus historiæ universalis, maxime vero Imperii Romano-Germanici, & Sacræ profanæque in eo potestatis notitiam grandem subministrat. Secundum in quarta, quam dixi, classe locum obtinent scriptores illi, qui singularibus intenti vel quatuor orbis partium, Europæ, Asiæ, Africæ & Americæ, vel singularum regionum, regnorum, provinciarum, ac populorum historicam descriptionem nobis obtulere. Nomina

duntaxat paucorum e longe pluribus, & quidem Recentiorum, quique latino sermone usi sunt, heic prodere sufficiat. *Europam* calamo suo illustrarunt: Joannes Henricus Alstedius, Petrus Bizarrus, Nicolaus Blancardius, Adamus Brahelius, Joan. Bapt. Drusianus, Ludovicus Guicciardinus, Matthæus Merianus, Paulus Antonius de Tharsia, Luitprandus Ticinensis, Henricus Zelius. *Asiam* Petrus Apianus, Hugo Allartus, Joannes de Barros, Nicolaus Blancardus, Jacobus Castaldus, Joan. Bapt. Egnatius, Joan. Bapt. Grammayeus, Henricus Hondius. *Africam* Hugo Allastus, Leonardus Arctinus, Petrus Bellonius, Nicolaus Blancardus, Joan. Bapt. Grammayeus, Franciscus Petrarcha, Petrus Duvalius, Alphonsus Ulloa, Joannes Leo Granatensis, vulgo Africanus. *Americam* Hieronymus Benzonius, Urbanus Calvetonus, Carolus Clusius, Robertus Comtæus, Ferdinandus de Oviedo, Balthasarus Lidius, Hieronymus de Ore, David Schramius, Nicolaus Vischerus, Caspar Varrerius.

XIII.

His adjungo Scriptores e Societate nostra, qui universi orbis partes, & in his diversa regna & regiones, resque in iis

gestas

geſtas tum ſacras tum profanas erudito calamo deſcriptas ſeræ poſteritati reliquerunt, eo majori fide digni, quo ſanctior illorum finis erat, quo ad ſcribendum impulſi fuerunt, quoque magis rerum veritatem ipſi vel oculis uſurparunt, vel a fide dignis narrationibus exceperunt. Ad *Europam* quod adtinet, habemus Alexandri Donati Romam veterem & Novam, Andreæ Schotti res Romanas, Athanaſii Kircheri vetus Latium, Joannis Biſſelii Romanæ Reipublicæ ortum & interitum, Bartholomæi Rogati regnum Gothorum, Franciſci Araniæ Luſitaniam, Jacobi Gordoni Lesmorei Britanniam, Edmundi Campiani Commentarium de Hibernia, Joannis Marianæ hiſtoriam de rebus Hiſpaniæ, Joannis Stephani Tarant Annales Franciæ, Nicolai Cauſini hiſtoriam Saxonicam, Angeli Gallucii Belgium, Andreæ Brunneri Annales Boicos, Joannis Nadaſi Hungariam, Joannis Biſſelii prius memorati Palæſtinam, Antonii Poſſevini res Suecicas, Livonicas, Moſcovicas, Tranſilvanicas, Petri d'Outreman Byzantinas. De *Aſiæ* regnis & inſulis memoratu digna prodiderunt: Alexander de Rhodes de regno Tunchinenſi, de Cocinchina, de Japonia, de Perſia: Adrianus Crucius & Aloyſius Dulcebenius de rebus Sinenſibus: Franciſcus

ſcus Colin de Inſulis Philippinis: Franciſcus de Royemont de hiſtoria Tartaro-Sinica: Joan. Bapt. Peruſchi, & Theodorus Rhay de regno Mogorum; Joan. Philippus de Marinis de regno Tunchin, Ludovicus Guzman de India, Japonia & Sinis: Jacobus Bykius de magni Cataii *detectione*: Matthæus Riccius & Martinus Martini de Sinarum hiſtoria; Franciſcus Baretus de Malabaria: Antonius de la Croix de Cocinchina; Nicolaus Trigaultius de Sinis & Japonia: Athanaſius Kircherus de China, monumentis qua ſacris qua profanis, nec non variis naturæ & artis ſpectaculis illuſtrata; Joannes Petrus Maffeius (quem Strada dicit, *videri eum non tam hujus ævi, quam e veteri illo ordine, & quidem patricio hiſtoricorum fuiſſe*) de hiſtoria Indica ſedecim libris expoſita. *Africæ* cognitas nobis partes deſcripſere: Andreas Oviedo Æthiopiam, Alphonſus Sandeval res Æthiopicas, Balthaſarus Telliz Chronicon Æthiopiæ, Emmanuel de Vega ſtatum Chriſtianitatis in Æthiopia: Jacobus Sirmondus notitiam provinciarum & civitatum Africæ tradidit: plures alii recentiores Monomotapæ & Abiſſinæ Imperiorum item Madagaſcaris, Congi, & Angolæ &c. *Americam* denique uti Columbus & Veſputius ſuſceptis navigationibus, ita

ſcri-

scriptis suis detexerunt: Josephus Acosta de natura novi orbis: Andreas Perez de orbe Mexicano: Antonius Ruiz de Paraquaria: Bartholomæus Vimont de nova Francia: Franciscus Creuxius & Hieronymus Lallemant de Canada: Josephus Anchieta de Brasilia. Longe plures reperire est in Bibliotheca scriptorum Societatis apud Nathanaelem Sotvellum, qui usque ad ævum suum, seu annum 1675. Historicos e Societate omnis classis numerat ac nominat ducentos triginta duos, scilicet Ecclesiasticos 86. Profanos 146. præter Chronologicos, & trium orbis partium Asiæ, Africæ, & Americæ 175. universim septem supra quadringentos, id est, 407. Plures sunt, qui horum vestigiis institere, & etiamnum insistunt in omni rerum historicarum genere. Licet igitur nunc oculis velut coram intueri latissimos historici regni fines, lætissimosque artis hujus progressus, dum vix ullus est tam abditus orbis terrarum & maris angulus, vix ullus adeo a sole remotus populus, nulla regio, nulla civitas, nullum oppidum, quodque amplius est, vix animal quoddam, vix herba, flos, arbor, metallum, & saxum pretiosum, de quibus omnibus & singulis non exstet modo scriptorum aliquis, qui calamo suo velut pictor penicillo curiose

inda-

indagantium oculis universa hæc subjiciat. Insignem profecto laudem, ac pene immortalem meretur Opus Tomis duobus constans Alphonsi Lasorii a Varea, Patavii anno 1713. impressum, tamque pretiosum quam rarum, cui titulum Auctor præfixit: *Universus terrarum orbis scriptorum calamo delineatus*, in quo aliquot Scriptorum millia producit, qui uti præfert frons Operis „ de Europæ, Asiæ, „ Africæ & Americæ Regnis, Provinciis, „ Populis, Civitatibus, Oppidis, Arcibus, Insulis, Montibus, Fluminibus, „ Fodinis, Balneis, publicis hortis, & „ de aliis tam super quam subtus terram „ locis, de gentium quoque moribus, „ Religione, legibus, medendi usu, habitu, idiomate, & reliquis permultis ad „ dicta loca spectantibus quovis tempore, & qualibet lingua scripserunt, cum „ anno, loco, & forma editionis.

CAPUT

CAPUT III.

OECONOMIA HISTORIÆ.

§. I.

Definitio & Partitio illius.

XIV.

Magna est apud Auctores in explicando, quid rei sit historia, varietas, quæ tamen plus in verbis, quam in sensu versatur, utpote in quo omnes facile conveniunt. Quippe historia vox græca est ab ἱστορεῖν, quod videre ac spectare significat, indicatque res, licet non raro remotissimas a nobis & loco & tempore, ab historia veluti oculis videndas & coram spectandas præberi, ita ut quæ olim gesta fuerunt, quasi nunc in conspectu nostro gerantur. Finiunt itaque nonnulli historiam, quod sit expositio sive series rerum gestarum, qua ratione comprehendunt non solum historiam proprie dictam, verum etiam Annales, qui res enarrant observato cujusque anni ordine: & Ephemerides, quas Latini Diaria vocant, quibus singulorum dierum Acta inscri-

scribuntur. Cicero (u) historiam vocat *Testem temporum*, *lucem veritatis*, *vitam memoriæ*, *magistram vitæ*, *nuntiam vetustatis*. Fabius (x) *Expositionem præteritorum*. Livius (y) *Custodiam fidelem rerum gestarum*. Isidorus (z) *Narrationem rei gestæ, per quam ea, quæ facta sunt, dignoscuntur*. Agellio (a) historia est quævis rerum gestarum narratio; ita ut ejus judicio historia & Annales ea ratione differant, qua secundum Philosophos genus & species. Cornelius Agrippa (b) contendit, illam esse rerum gestarum cum laude & vituperatione narrationem. Quippe magnarum rerum consilia, actiones, exitus, regumque ac grandium virorum acta cum temporum ac locorum ordine ac descriptione tanquam viva quædam pictura ante oculos ponit, ita quidem, ut allatis in medium exemplis cum optimi quique ob laudis hominisque immortalem gloriam ad præclara quæque facinora accendantur, tum impii ac pravi homines perpetuæ infamiæ metu a vitiis deterreantur. Quidam denique historiam commode definiri posse credunt, si dicatur, quod sit *cognitio rerum, quarum me-*

(u) *L. 2. de Orat.* (x) *L. 4. c. 2.* (y) *L. 6. Annal.* (z) *L. 1. de Orig.* (a) *L. 5. Noct. Attic. c. 18.* (b) *L. de verit. scient.*

memoriam conservari utile est ad bene recteque vivendum. Sunt autem res quædam universales, uti mundus, regna, animalia, plantæ: aliæ singulares, & hæ sunt vel a Deo & natura, ut solis deliquium, terræ motus, inundationes, prodigia, phœnomena cœlestia: vel a voluntate humana, uti actiones, opera, structuræ, automata. De his omnibus tractat historia, quasi finium impatiens. Ita Mosen de Deo, de cælis, de Angelis &c. Aristotelem & Plinium de animalibus terras, aquas, & aerem habitantibus &c. Oppianum, & Ælianum præter alia de plantis, herbis & gemmis: Lydum teste Laurentio Philadelpho de cœlestibus aliisque prodigiis historias condidisse novimus. Unde D. Augustinus paucis multa dicit, dum ait (c): historiam esse, *cum sive divinitus, sive humanitus res gesta commemoratur.*

XV.

Jam vero ex hac ipsa, qua Historiæ naturam describunt Auctores, diversitate nascitur quoque multiplex illius partitio. Omnium maxime naturalis est, quæ a rebus, quæ historiæ subjacent, petitur. Ita vel *primo* tantum facta quædam memo-

(c) *In Lib. de Genes. c.* 3.

morabilia narrantur, a reliquo historiæ corpore abscissa, qualis est historia Valerii Maximi, & Justi Lipsii in Politicis: vel *secundo* res gestæ celebrantur eorum, qui vita functi sunt, & in posterorum memoria vivere merentur, exemplo Plutarchi, & Cornelii Nepotis: vel *tertio* Tragica produntur, admirabilem quemdam eventum post se trahentia, qualia videre est apud Sallustium, & Bisselium: vel *quarto* scribuntur Annales ad modum Taciti, Saliani, Tornielli, Baronii: vel *quinto* conduntur epitomæ seu synopses, cujusmodi sunt Flori, Tursellini, Joan. Bussieres: vel *sexto* ephemerides sive Diaria cum Julio Cæsare, ac Gellio de pugna Nerviorum: vel *septimo* Regum ac Ducum acta justo volumine ad imitationem olim Livii, Curtii, Taciti, nunc Marianæ, Maffæi, Stradæ, Wagneri: vel demum *octavo* fabulæ historiarum more concinnantur, quemadmodum fecere Heliodorus in sua Æthiopia, Barclaius in Argenide, in Utopia Bidermannus. Aliæ partitiones non tam naturæ, quam artis ductum sequuntur. Harum communissima est, qua dividitur historia in φιλοσοφικὴν, quæ universalium est, ut totius mundi Opificii, Monarchiarum, Ecclesiæ Veteris & Novæ, om-

omnium vel præcipuarum saltem gentium. Et quidem vel omne tempus complectitur, vel aliquam temporis portionem. Ejusmodi sunt historia Mosis, Eusebii, Theodoreti, Baronii, Alexandri Natalis: Polybii, Diodori Siculi, & Trogi Pompeji: Deinde in ἰξηγητικὴν, quæ versatur tum circa particularia, ut vocant, traditque quæ ad unius gentis aut civitatis res gestas pertinent, ut historia Livii de rebus Romanorum; vel partem duntaxat, ut Thucydides de bello Peloponnensi, Sallustius de Jugurthino & Catilinario, Cæsar de Gallico & Civili: tum circa singularia & commemorat e. g. facta Patriarcharum, iter populi Israelitici per desertum, vitas personarum illustrium, ut rursum historia Mosis in libris Genesis & Exodi, Suetonius, Cornelius Nepos, Nicius Erythræus: tum circa sejuncta, id est, excerpta e narratione quadam perpetua, nimirum facta & dicta memoratu digna: cujusmodi sunt memorabilia Valerii Maximi, Apophthegmata Plutarchi, stratagemata Frontini, Julii Hygini exempla: Denique in μικτὴν, quæ de utrisque tractat, qualis est historia Mosis, Diodori Siculi, V. Beda &c. Aliis præsertim antiquioribus, historiam dividere placuit in *Divinam*, quæ de rebus ad Religionem pertinentibus agit, in

Naturalem, quæ ad ſcientiam & rerum naturalium cognitionem refertur, atque in *Humanam*, cujus eſt docere prudentiam, & virtutis ſtudium, ac fugam vitiorum. Divinam Moſes aliique ſacri ſcriptores magnifice tractarunt: at Gentiles multis eam fabulis, & Deorum Dearumque figmentis involverunt: nihilominus fateri neceſſe eſt, bona etiam eſſe hæc involucra, utpote ſub quibus plurimas veritates morales abſconderunt. Naturalem excoluerunt potiſſimum Ariſtoteles, & Theophraſtus, item Soſtratus, Apollodorus, Drogus, & in vario rerum genere Plinius.

Humanam magno ſtudio proſecuti ſunt Livius, Plutarchus, Xenophon, Cornel. Nepos, Nicyus Erythræus, Biſſelius. Porro hanc, ſeu humanam, Aſclepiades apud Sextum Empiricum (d) diſtribuit in veram, ſive eorum narrationem, quæ contigerunt; & in quaſi veram, quæ non contigere quidem, tamen contingere potuerunt. His latior diviſio eſt illa, quæ quatuor ejusdem ſpecies diſtinguit, videlicet vel agit de locis, ut Geographia, vel de temporibus, ut Chronologia, vel de generationibus, ut Genealogia, vel de geſtis, ut Annales, cæteræque hiſtoriæ. Hu-

(d) *Cap*. 12.

Hujus divisionis memini pluribus in Capite primo hujus libri, & in secundo scriptores cujuslibet classis adsignavi. Ultima demum partitionis ratio est, quæ non historiam, ut est narratio, sed ut ars est, nempe historicen tangit. Hæc duas partes continet, quarum prima tractat de fundamento historiæ, nimirum de veritate, altera de exædificatione seu structura, quæ tria comprehendit; rerum dicendarum naturam, dispositionem, & elocutionem. Nam probe prospiciendum est historico, quid scribat, quo ordine, quibusque verbis atque sententiis. Partitionem istam subministrat Tullius (e) his verbis, quæ heic loci integra referri merentur, quum fere omnes bonæ historiæ dotes simul explicent. „ Quis nescit primam „ esse historiæ legem, ne quid falsi dicere „ audeat? Deinde ne quid veri non au„ deat? Ne qua suspicio gratiæ sit in „ scribendo? Ne qua simultatis? Hæc „ scilicet fundamenta nota sunt omnibus. „ (en! primam partem) Ipsa autem ex„ ædificatio (en! secundam) posita est „ in rebus & in verbis. Rerum ratio or„ dinem temporum desiderat, regionum „ descriptionem; vult etiam, quoniam „ in

(e) *Lib. 2. de Orat.*

„ in rebus magnis memoriaque dignis, con-
„ silia primum, deinde acta, postea even-
„ tus exspectantur, & de consiliis signifi-
„ cari, quid scriptor probet, & in rebus
„ gestis declarari, non solum quid actum
„ sit, aut dictum, sed etiam quomodo:
„ & cum de eventu dicatur, ut caussae
„ explicentur omnes, vel casus, vel sa-
„ pientiae, vel temeritatis: hominumque
„ ipsorum non solum res gestae, sed etiam
„ qui fama ac nomine excellant, de cu-
„ jusque vita atque natura. Verborum
„ autem ratio, & genus orationis fusum
„ atque tractum, & cum lenitate qua-
„ dam aequabili profluens sine hac judicia-
„ li asperitate, & sine sententiarum foren-
„ sium aculeis persequendum est. „

§. II.

Materia Historiae.

XVI.

Ex his, quae hucusque allata fuerunt, facile quivis intelligit, amplissimam vastissimamque esse materiem Historiae, eosque pene cum ipso, quem spectamus, mundo fines habere. Extendit enim se praeter ea, quae quotidie videmus & sentimus, ad omnes actiones hominum, ad pa-

pacem, ad bellum, ad consilia, ad mores ac consuetudines, ad officia, ad legationes, ad negotiationes, ad varios casus, quicunque hac in vita possunt accidere. Nihilominus prima & præcipua historici cura versari debet circa deligendam operi, quod meditatur, materiem. Inprimis magna sit oportet, & digna, quæ ad posterorum memoriam transmittatur, dicente Tullio (f): *In rebus magnis memoriaque dignis historiam versari.* Præterea convenit examinare, num apta sit, ut accedente partium, eorumque quæ circumstant, dispositione, ac varietate rerum, & vicissitudine eventuum, quæ admirationem habent, amœna, grata, & curiosa reddatur. Sic explorata indole materiæ certus ordo narrandorum præstituendus, quo & quæ maxime vaga sunt, contrahantur, & quæ vel utilitati lectorum vel delectationi servire possunt, extendantur; quædam breviter & quasi aliud agendo referantur, alia cum studio & cura enucleate narrentur. Nimirum initio statim certi limites sunt ponendi, ne postea sine lege circumferatur historia. Tum designata & veluti jam præparata materia ad intimam illius, omniumque, quæ eam comi-

(f) *Lib. 2. de Orat.*

comitantur, cognitionem profunda quadam meditatione descendendum erit, ut nihil scribentem fugiat, neve exorta improvise difficultas medium narrationis cursum sistat, quemadmodum non raro contingere solet sculptoribus indolem ligni, e quo Mercurius formandus est, non satis exploratam habentibus, ut extimam ligni superficiem scalpro dejicientes, dum altius rimantur, subito in nodum aliquem incidant cum maximo laboris dispendio. Cavendum tamen, ne superstitiose, cumque nimia anxietate singula, & minutissima quæque excutiantur. Nam ut recte Ammianus Marcellinus ait (g): *Historiam assuetam discurrere per negotiorum celsitudines, non humilium minutias indagare caussarum.* Maxima vero cura est adhibenda in scrutanda rei, quæ narrando adsumitur, veritate, ne dubia pro certis, aut conjecturæ proprii ingenii pro veritatibus vendantur. Hoc enim foret abuti fide publica. Hinc documenta quam optima sunt conquirenda, probe inspicienda, & religiose ponderanda, proculque amandandi sunt rumores civitatis aut nationis, quorum auctores plerumque sunt incerti; neque etiam facile præcedentium historicorum fidei se totum permittere debet

Scri-

(g) *In libris histor.*

Scriptor (præſertim ſi vel partium ſtudio aut præjudicatis opinionibus eos obnoxios deprehendat) ne malos duces ſequendo erret, eodemque torrente abripiatur. Certo Salluſtius maria transgresſus dicitur a Petrarcha, ut oculis ſuis crederet de conditionibus locorum: contra Herodotus ob documentorum ſeu inopiam ſeu neglectum fabularum arguitur a nonnullis, inter quos ipſe Cicero, licet eum ob egregiam artem Hiſtoriæ Patrem adpellet: *Apud Herodotum*, inquit, *ſunt innumerabiles fabulæ* (h). Media regiaque via inceſſiſſe videtur Curtius, dum nec aſſeruit tanquam certa, de quibus dubitabat, nec tamen penitus ſilentio præteriit, aut falſa rejecit, quæ ab aliis fide bona accepit. Teſtatur hoc ipſe, de hiſtoria ſua loquens (i): *Equidem nec affirmare ſuſtineo, de quibus dubito, nec ſubducere, quæ accepi.* Sunt autem quatuor potiſſimum Hiſtoriæ plenæ ac integræ partes, quæ ad materiam, de qua dicere inſtitui, pertinent, ſcilicet *Narratio geſtorum*, *variæ rerum deſcriptiones*, *introductio concionum*, ſeu oratiuncularum ut nuncupant, & *encomiorum ac judiciorum expreſſio.* Has ſingulas ut pluribus

(h) *Lib.* 10. *c.* 1. (i) *L.* 1. *de Legibus.*

bus expendamus, operæ pretium esse videtur.

XVII.

Narratio.

Itaque narratio est rerum præteritarum & ordine, quo gestæ sunt, & serie non interrupta recitatio. Hæc plana esse debet, & simul exquisita, ita ut artificium aperta fronte non ostendat, sui tamen indicium aliquod fulgore quodam vibrante præbeat. Nihil magis obvium est in humana societate, quam quæ gesta sunt narrare: quotidie hoc experimur in fœminis, quibus os latius est, quam ingenium. Verum ad narrationem historicam numeris suis absolutam non vulgares virtutes concurrant necessum est: Magna prudentia, qua circumcisis ambagibus nihil dicatur, quod superfluat, sed paucis multa exponantur. Magna sane res, nosse quid loqui, quid tacere oporteat, nec diutius se detinere in locis, per quæ solummodo transeundum est. Hanc brevitatem Quinctilianus vocat velocitatem, eamque mire dilaudat tum in Sallustio, tum in Livio: *Immortalem illam*, inquiens, *Sallustii velocitatem consecutus est Livius:* &, *illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures eru-*

eruditas perfectius esse potest, captanda. Præterea requiritur magna vis imaginandi, qua vivis coloribus res quælibet depingatur, & proprii cuivis personæ actionique characteres tribuantur, quave inspiretur calor quidam & ardor narrationi, ne langueat, sed petpetuo animetur. *Livius* ait memoratus Fabius, *in narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris: ita dicuntur omnia tum rebus tum personis accommodata.* Rursum opus est magna dexteritate ingenii, qua dissimuletur artificium, ubi maxime viget, ut quod ab arte proficiscitur, in naturam transeat, dum grandes expressiones, figuræ, ac cogitationum ornamenta effunduntur iis in locis, qui capaces sunt, absque quod palam digito monstrentur, & velut hedera præfigatur vino vendibili. Demum desideratur magnum judicium, quo exponantur res nunc integræ, nunc divisæ, modo extensæ, modo restrictæ, quemadmodum illarum natura exigit; quove decorum a non decoro distinguatur, & adfletur gratia, quæ mirabile faciat, quod commune fuerat. nimirum *dare* oportet *orationi varios vultus: gaudent enim res varietate*, ut loquitur Quinctilianus (k).

Præ-

(k) *Lib.* 9. *c.* 2.

Præter hæc multum momenti poſitum eſt in ordine narrandi, ut ſuo res quævis loco & tempore reponatur. Horum niſi ratio diligens habeatur, confuſa erit narratio, & nonniſi obſcura ſui veſtigia in mente lectoris relinquet. Hunc ordinem præſcribit Cicero (l) dum ait: *In rebus magnis memoriaque dignis conſilia primum, deinde acta, poſtea eventus exſpectantur*, ac ſi diceret: in actionis vel rei cujusdam enarratione primo explicandum eſt, quo conſilio, quo fine, quibus artibus, quave induſtria præcedente negotium fuerit ſuſceptum: tum deſcribi debet ipſum factum, qua ratione, quo conatu, ardore aut remiſſione animi geſtum ſit: denique colligere oportet ea, quæ ſeu funeſta, ſeu proſpere inde conſecuta ſint. Huic tamen ordini maxime naturali haud officit, ſi artificii nonnihil ſe immiſceat, & quandoque illa, quæ jam præterita fuerunt, veluti præſentia narrentur, ac ſi nunc contingerent. Res enim hæc mire lectoris mentem excitat, attentam reddit, ac commovet. Neque etiam turbat ordinem variatio caſuum, ſi triſtia lætis, & læta triſtibus ſuccedant: variantur enim ſimul affectus in legente, & grata quædam eorum perturbatio oritur: neque etiam, ſi gran-

(l) *Lib. 2. de Orat.*

grandibus minoris momenti aliqua interſerantur. Nam ſic intervalla reſpirandi relinquuntur Lectori, qui perpetua magnorum & mirabilium eventuum ſerie tandem fatigatur. Narrationum breviora quædam paradigmata, quoniam his major docendi vis ineſt, quam longioribus præceptis, in medium adduco, unum ex Hiſtorico profano & veteri, alterum e Recentiore ac ſacro, ſcilicet ex Livio, & Maffeio. Ille (m) raptum Sabinarum ita recenſet: „ Jam Sabinarum omnis multitudo cum „ liberis & conjugibus venit. Invitati „ hoſpitaliter per domos, cum ſitum mœ„ niaque & frequentem tectis urbem vi„ diſſent, mirantur tam brevi rem Roma„ nam creviſſe. Ubi ſpectaculi tempus „ venit (inſtituit enim Romulus data ope„ ra ludos ſolemnes Neptuno Equeſtri, „ ac finitimas gentes ad eos invitavit) „ deditæque eo mentes cum oculis erant, „ tum ex compoſito orta vis: ſignoque „ dato juventus Romana ad rapiendas „ virgines diſcurrit. Magna pars, forte „ ut in quem quæque inciderat, raptæ: „ quasdam forma excellentes primoribus „ Patrum deſtinatas ex plebe homines, „ quibus datum negotium erat, domos „ deferebant. Unam longe ante alias „ ſpe-

(m) *Decad.* I. *Lib.* I.

„ ſpecie ac pulchritudine inſignem a globo Talaſſii cujusdam raptam ferunt: „ multisque ſciſcitantibus, cuinam ferrent, identidem, ne quis violaret, „ Talaſſio ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vocem factam. Turbato per „ metum ludicro mæſti parentes virginum „ profugiunt, incuſantes violati hoſpitii „ fœdus, deumque invocantes, cujus „ ad ſolenne ludosque per fas ac fidem „ decepti veniſſent. Nec raptis aut ſpes „ de ſe melior, aut indignatio eſt minor. „ Sed ipſe Romulus circuibat, docebatque, patrum id ſuperbia factum, qui „ connubium finitimis negaſſent: illas tamen in matrimonio, in ſocietate fortunarum omnium, civitatisque, & „ quo nihil charius humano generi ſit, „ liberorum fore: mollirent modo iras, „ & quibus ſors corpora dediſſet, darent animos: ſæpe ex injuria poſtmodum gratiam ortam, eoque melioribus „ uſuras viris, quod annixurus pro ſe „ quisque ſit, ut cum ſua vice functus „ officio ſit, parentum etiam patriæque „ expleat deſiderium. Accedebant blanditiæ virorum factum excuſantium cupiditate atque amore, quæ maxime ad „ muliebre ingenium efficaces preces „ ſunt. Jam admodum mitigati animi

„ raptis

„ raptis erant &c. „ Sanctius argumentum nactus Maffeius insigne factum D. Ignatii sic commemorat (n): „ Ignatius Parisiis amicum a turpi cujusdam fœminæ consuetudine frustra sæpe revocare conatus, cujus ille flagitii caussa vicum subinde petebat, non longe ab urbe positum, denique egressus hominis & itinera dissimulanter explorans, deterrendi ejus consilium tale commentus est. Stagnum erat propter viam, qua transeundum illi erat de more: eo mature prævertens Ignatius tempestate perfrigida se se nudus aquis collo tenus immersit, ibique salutares amico tetendit insidias. Nam ut appropinquantem aspexit, Deum precatus, ut ea res utrique feliciter eveniret, horribili repente in adversum intonuit voce: Quo, quo miserrime properas? non intelligis, in quanto versere periculo? nonne intentum in te divinæ justitiæ gladium vides? Perge porro, perge nefariam istam explere malitiam. Ego me hic tamdiu tua caussa macerabo, quoad cælestes iras meo malo avertam abs te At ille subita voce perculsus, atque ad Ignatii aspectum veluti deprehensus, obstupuit: demiratusque charitatem „ viri,

(n) *In ejus vita lib.* 3.

„ viri, nec dubio pudore concepto, re-
„ tulit pedem, & in posterum Deo adju-
„ vante se se ab illa pestifera familiaritate
„ continuit. „

XVIII.

Descriptiones.

Multiplex est genus descriptionum: quædam est *Typographica* & *Chorographica*, seu loci & regionis, ad quam pertinent soli bonitas, pratorum sylvarumque amœnitas: urbium pulchritudo & magnificentia, maris adjacentis aut fluvii præterlabentis late patens prospectus, aeris temperies, florum, plantarum, avium, pecorum copia: aut versa vice asperitas soli, aeris inclementia &c. item mores populi, vestitus, religio, ritus sacri & profani, gentis conditores. Quædam est *Poliographica*, seu urbium, cujus est, locum, situm, moenia, propugnacula, ædificiorum & templorum elegantiam, ac majestatem, monumenta vetera, pontes, turres, incolarum frequentiam, divitias, commercia, leges, magistratus, mores exhibere. Quædam *Machographica*, seu præliorum & conflictuum. Hæc exponit, bellicas expeditiones terra marique susceptas, castrorum metationem, delectum mili-

militum, armorum apparatum, equitum peditumque turmas, auxiliares copias, conflictum, obsidionem urbis, fugam, victoriam, spolia, vota Diis exsoluta. Alia *Pathographica*, seu affectuum; ubi exprimuntur timor, audacia, fortitudo, dolor, miseratio, funera, cædes nocentum & innocentum, hominum illustrium fata in utraque fortuna. Verum quo amplior se offert descriptionum campus, eo majori opus est circumspectione, præsertim juveni historieo, ne sine consilio ac passim in eas se se effundat, illisque nimium occupetur. Satietatem enim pariunt, si plus quam par est frequentes sint, & robur pessumdant principalis actionis, quæ narranda suscipitur, non secus ac si grandi ædificio larga nimis manu ornamenta omnis generis adhibeantur. Quapropter monent artis periti, descriptionibus locum non esse dandum, nisi quando res exigunt, ut velut sensibus percipiantur, eæ scilicet, quarum cognitio ad principem historiæ scopum non solum utilis, sed & necessaria est. Ita bene describitur locus, ad quem pugna initur, quemadmodum Livius (o) regionis illius situm & indolem depinxit, ubi Hannibal Minutium occupavit. Quodsi vastam & copiosam histo-

(o) *Lib.* 22.

riam

riam scribere contingat, paullo plus indulgere licebit ad recreandum & quasi longo in itinere refocillandum Lectorem, loco tamen conveniente, omnique adfectatione remota. Quare descriptiones illæ laudem ferunt, quæ sunt vel necessariæ vel succinctæ, elegantes, nec quæsitæ. Illud autem cavendum maxime, ne describendis minusculis quibusve rebus inhæreat historicus, ubi plerumque accidit, ut dein majora, magisque memoratu digna prætermittantur, uti Lucianus (p) observat dicens: *sunt quidam, qui rerum gestarum res maximas, & memoria dignissimas prætermittunt .... res minimas admodum prolixe & laboriose immorando persequuntur, non aliter ac si quis Jovis Olympici, pulchritudinem universam, quæ tanta ac talis est, videat, nec laudet, neque etiam iis, qui eam nesciunt, quidquam narret: sed subsellii rectitudinem & expolitionem, & crepidæ concinnitatem admiretur, & hæc plane magno studio exponat.* Morem potius splendidi convivii imitari debent descriptiones, in quo inter exquisita fercula non solent adponi ad mensam communia, & humilia. Descriptionum quædam exempla rursum adfero e prisco & nostro ævo. Tyrum ab Alexandro M. ob-

(p) *Lib. de scrib. hist.*

obsessam ita describit Curtius (q): „ Ur-
„ bem a continenti quatuor stadiorum
„ fretum dividit Africo maxime objectum,
„ crebros ex alto fluctus in litus evol-
„ vens, nec accipiendo operi, quo Ma-
„ cedones continenti jungere parabant,
„ quidquam magis quam ille ventus ob-
„ stabat. Quippe vix leni & tranquillo
„ mari moles agi possunt. Africus vero
„ prima quæque congesta pulsu illisa mari
„ subruit, nec ulla tam firma moles est,
„ quam non excidant undæ per nexus
„ operum manantes, ubi acrior flatus ex-
„ stitit, summi operis fastigio superfusæ. „
Urbis situ in conspectu dato describit Cur-
tius Machinam bellicam (seu navem, quam
nos incendiariam vocamus) his verbis:
„ Inter hæc Tyrii navem magnitudine
„ eximia, saxis harenaque a puppi one-
„ ratam, ita ut multum prora emineret,
„ bitumine ac sulphure illitam remis con-
„ citaverunt, & cum magnam vim venti
„ vela quoque concepissent, celeriter ad
„ molem (fabricatam a Macedonibus)
„ successit. Tunc prora ejus accensa re-
„ miges desiliere in scaphas, quæ ad hoc
„ ipsum præparatæ sequebantur. Navis
„ autem igne concepto latius fundere in-
„ cendium cæpit, quod priusquam pos-

(q) *Lib.* 4. „ set

„ set occurri, turres & cætera opera in „ capite molis posita comprehendit. At „ qui desilierant in parva navigia, faces „ & quidquid alendo igni aptum erat, in „ eadem opera ingerunt. Jamque non „ modo Macedonum turres, sed etiam „ summa tabulata conceperant ignem, „ cum ii qui in turribus erant, partim hau- „ rirentur incendio, partim armis omissis „ in mare semet ipsi immitterent. At Tyrii, „ qui capere eos, quam interficere mal- „ lent, natantium manus stipitibus saxis- „ que lacerabant, donec debilitati impune „ navigiis excipi possent; nec incendio „ solum opera consumta, sed forte eo- „ dem die vehementior ventus totum ex „ profundo maris illisit in molem, cre- „ brisque fluctibus compages operis ver- „ beratæ laxavere, saxaque interfluens „ unda medium opus rupit. Prorutis „ igitur lapidum cumulis, quibus injecta „ terra sustinebatur, præceps in profun- „ dum ruit, tantæquue molis vix ulla „ vestigia inventa. „ Post plures ambages demum expugnationem Tyri ita narrat Curtius: „ Biduo deinde ad quietem „ dato militibus, jussisque & classem & „ machinas pariter admovere, ut utrin- „ que territis instaret Alexander, ipse in „ altissimam turrim ascendit ingenti ani-

„ mo,

„ mo, periculo majore; quippe regio in-
„ ſigni, & armis fulgentibus conſpicuus
„ unus præcipue telis petebatur, & digna
„ prorſus ſpectaculo edidit: multos e mu-
„ ris propugnatores haſta transfixit, quos-
„ dam etiam comminus gladio clypeo-
„ que impulſos præcipitavit. Quippe
„ turris, ex qua dimicabat, muris ho-
„ ſtium propemodum cohærebat. Itaque
„ crebris arietibus ſaxorum compage la-
„ xata munimenta defecerant, & claſſis
„ intraverat portum, & quidam Mace-
„ donum in turres hoſtium deſertas eva-
„ ſerant; cum Tyrii tot ſimul malis victi
„ alii ſupplices in templa confugiunt, alii
„ foribus ædium obſeratis occupant libe-
„ rum mortis arbitrium, nonnulli ruunt
„ in hoſtem non inulte perituri. Magna
„ pars ſumma tectorum obtinebat, ſaxa
„ & quidquid manibus ſors dederat, in-
„ gerentes ſubeuntibus. Alexander ex-
„ ceptis, qui in Templa confugerunt,
„ omnes interfici, ignemque tectis injici
„ jubet. His per præcones pronuntiatis
„ nemo tamen armatus opem a Diis pete-
„ re ſuſtinuit. Pueri virginesque templa
„ compleverant, viri in veſtibulo ſuarum
„ quisque ædium ſtabant, parata ſævien-
„ tibus turba. Multis tamen ſaluti fuere
„ Sidonii &c. „ Hucusque Curtius. At

Wagnerus in Historia Leopoldi M. (r) victoriam, qua post liberatam Viennam nulla clarior fuit, de Turcis relatam ad Baronivariam hac ratione recenset: „Duo„decima Augusti dies (anno 1687.) au„spicata Leopoldo Cæsari, universo Chri„stiano nomini felix illuxit. Siclosium „iter erat edictum, speculatoribus per „viam tuta omnia renunciantibus. Sub „primam auroram exercitus in duo divi„sus agmina, eques pediti immistus, me„dia acies e X. cohortibus composita „Harsano moverat. Regio omnis scabra, „inæqualis, ac hostem versus crebris per „intervalla sylvulis distincta. Collis „præcipue densis arbustis horridus, isque „medio arctas in fauces diductus erat „pertranseundus, multo fabrum in ex„scindendis viis, & operarum labore.... „Ducibus inter se disputantibus Kiusi Bas„sæ agmen instare ferocius, ingens bar„barorum multitudo, quo posterius no„strum agmen vixdum decesserat, tu„mulo conspici, vexillis tantum eminen„tibus, & summis capitum insignibus, „ne tormentis possent peti. Mox uni„versus hostium exercitus, duabus e syl„va viis in conspectum emersus oppositis „machinis detonat ex edito.... Tertia ab

„me-

(r) *Lib.* 10.

„ meridie hora perstrepentibus toto cam-
„ po buccinis acies universa movit, ca-
„ strensibus machinis præter morem ante
„ peditatum, turmis ante cohortes loca-
„ tis Dux uterque in fronte aciei conspi-
„ cuus. Elector quidem Bavarus cum
„ Badensi Marchione & Serenio Marescal-
„ lis : Lotharingius cum Caprara ac Sou-
„ chio. Tardior fuit progressio ob ve-
„ preta passim obstantia. Multis viarum
„ difficultatibus superatis ad hostem pro-
„ pe Baronivariam in acie stantem per-
„ ventum est. Illi ab fronte perangustus
„ campus erat, haud ultra quartam leucæ
„ partem, utrinque sylva inclusus, mo-
„ dicoque ante tumulo assurgens : acies
„ acutum in angulum introrsum disce-
„ dens. Post tumulum decem, ut oculis
„ æstimari poterant, Janitsarorum millia;
„ ab horum tergis equitatus : vallum de-
„ nique profunda fossa, alta lorica, plu-
„ rimisque tormentis validum, sed per
„ temporis angustias patens alibi ac pe-
„ netrabile. Hoc ordine, hoc situ exer-
„ citus uterque constitit. Colubrinis pri-
„ mo certatum utrinque, levi partium
„ damno. Tum intra centesimum ab
„ vallo passum succedens Germanus im-
„ motos præter morem, silentesque mi-
„ ratur Janitsaros. Et obfirmarant ani-

 „ mum,

„ mum, prima pilarum jacula perferre, „ quo propinquiores ictibus certioribus „ ex edito ferirent. Pessime cessit ars. „ Quippe ut hærentes vallis inimicos, „ horridoque silentio minaces conspexe- „ re, cæcus pavor occupat animos, ca- „ ligo oculis offunditur, toto corpore „ palpitantes incertis vagisque, & inde „ innoxiis ictibus sclopos solvunt. Re „ animadversa animosior instare Germa- „ nus, nec timide in valli hiantis rimas „ se infundere. Ut vix cœpta pugna „ jam fluctuare signa, stringi alibi aut di- „ duci multitudinem confusam animad- „ verteret Lotharingus, propiores co- „ hortes allocutus: *Irent*, ait, *fidenter-* „ *que se immitterent in fossam: suis timo-* „ *ribus jam victos barbaros; viam intra* „ *vallum ad victoriam spoliaque panderent,* „ *quanta possent edita strage, terrore vi-* „ *ctos æmulatione comilitones incenderent.* „ Et vero suis alioquin & Ducum ignibus „ æstuans miles sepimenta gladiis, mani- „ bus, corporum connisu revellit: supe- „ rata momento lorica machinas in ad- „ versos convertit; cædem in primores, „ metum in postremos infert, impedien- „ tibus se mutuo barbaris, atque ex an- „ gusto illo circo fugam nec quidquam „ circumspectantibus. Spahii volitantia

„ intra

„ intra vallum Christianorum signa, fra-
„ ctum jam solutumque Janitsarorum ro-
„ bur, cædemque ad se propinquare con-
„ spicati, ne glande quidem emissa, ab-
„ jectis quæ morari possent armis effusam
„ fugam ineunt. Nemo ducum aut mili-
„ tum quidquam pro duce facit, aut mi-
„ lite. Lotharingus in Hurspergianæ le-
„ gionis fronte manu depugnans, primos
„ inter vallum transcendit. Eodem fere
„ tempore Elector item Bavarus sinistro
„ in cornu prorutis munimentis ac repa-
„ gulis, & cum sua Dimacharum legione
„ Eugenius Sabaudus irrupere. Lotha-
„ ringus intentissima cura agit, ne calentes
„ victoria animi præpropere ab ordinibus
„ ad spolia dilaberentur. Id negotium
„ dat Capraræ; Tribuni ad Centuriones
„ eadem mandata per celeres perferre
„ jussi. Idque sane quam opportune,
„ cum Bavarici amplius progressi jam ma-
„ chinis hostium & opimis spoliis potiti
„ cernerentur. Igitur instaurata pugna
„ fit magna strages, & perierat interne-
„ cione Janitsarorum peditatus, ni pro-
„ pinqua nox, saltus, arundineta non-
„ nullos texissent, qui diligenti vestiga-
„ tione perquisiti in glandes se peditum
„ equitumque induere, ut non arena so-
„ lum, sed saltus vicini ac paludes cada-

„ veribus horrerent. Commercius memorabile factum edidiſſe traditur. Diu cum ſignifero Turca colluctatus, etſi vexilli cuspide ictus ac ſanguine diffluens, non ante abſtitit, quam inimici brachio, capiteque deſecto, victoris pariter & victi cruore depictum Lotharingo offerret. . . . . Jam tenebræ rapuerunt diem, cum receptui canitur, Huſſari duntaxat, & levioris armaturæ equitibus in fugientes emiſſis. Nox Turcicis in caſtris, qua victores ſolent, gaudiorum exuberantia peracta eſt, Ducibus alter in alterum gloriæ & victoriæ partes pulchro certamine conferentibus. Vezirius gloriari nuper auditus, ſe Chriſtianos ut anhelorum canum gregem ante ſe abacturum, horum ſcilicet canum morſibus miſere laniatus, & caſtris exutus eadem ſe nocte Eſſekium ejecit, deſideratis ſuorum viginti millibus, relictisque quinque millionum ſpoliis. „

XIX.

Conciones.

Conciones ſunt adlocutiones, quarum auctor quidem plerumque eſt Hiſtoricus ipſe, alieno tamen, ſcilicet actoris, ore in

in narrationis decursu utitur, ad animi sui sensa depromenda. Vocantur etiam Oratiunculæ, adhibenturque nunc *directæ*, ut: *Ite bonis avibus, & palmas, quas fortuna vobis propitia sponte offert, manibus vestris decerpite.* Nunc *indirectæ*, ut: *agerent, uti fortes viros deceret, nec a majorum moribus ac præclara virtute degenerarent.* Quædam earum sunt, partitione apud Oratores usitata, in genere judiciali, pauciores in exornativo, pleræque in deliberativo. Sed quod ad usum ejusmodi Concionum adtinet, Criticorum opinio diversa est: aliqui laudant, reprobant alii. Brisciolus (s): *In sermonibus effingendis*, inquit, *Herodotus, Thucydides, Xenophon, Sallustius nimii videntur: ea causa est, cur Cæsar commentarios scripsit, ut id omitteret, in quo alii laborant.* Non minus Scaliger ait (t): *Livius, Thucydides interserunt conciones, quæ nunquam ab iis, quibus sunt attributæ, cognitæ fuerunt.* Quippe censent isti, non modicam vim inferri per hasce conciones veritati, quæ tamen fundamentum est historiæ quoniam in iis Auctor ea profert, quæ ipse sibi imaginatur, & de quibus Actor sæpe

(s) *Lib. 7. hor. subseciv.*
(t) *Lib. 1. Poet.*

sæpe ne quidem somniavit: pronum esse; hac ratione fingere caussas moventes, consilia, adjumenta, occasiones, circumstantias rerum gestarum, quæ nusquam exstiterunt; & a veris caussis atque consiliis &c. plurimum abludunt, ita ut si Actores ad vitam redirent, legerentque hujusmodi historias de se scriptas, vel simplicitatem Auctoris riderent, vel malam fidem damnarent, quandoque etiam mirarentur ingenium, sed veritatem desiderarent. Atque hoc fuisse ajunt Cæsaris consilium, cur a concionibus in suis Commentariis abstineret, veritatis plus quam culturæ studiosus. Verum qui sic ratiocinantur universim de hoc negotio, contra torrentem nituntur, multumque splendoris ac gratiæ ex historia subtrahunt. Certe præstantissimi quique historici tam veteres, quam recentiores ejusmodi concionibus sunt usi magna cum oblectatione simul ac utilitate. Delectat enim lectorem vel maxime, si rerum gestarum longa series grata quadam & prudenti velut interlocutione temperetur, caussæ atque artes latentes in lucem protrahantur, & non absque consilio actum fuisse ostendatur, quod re ipsa factum est. Præterea Conciones istæ prudentiam in rebus agendis instillant, dum docent de rebus magni momenti rite consul-

ſultare, ponderare rationes in utramque partem occurrentes, animosque addere aliis ad fortiter exequendum, quod ſapienter decretum eſt, monſtrantque non eſſe illico fidendum prima fronte ſpecioſis argumentis, ſed indagandum, an non fortioribus eorum robur infringatur. Profecto pulcherrima eſt apud Livium (u) concio Legatorum, quos Romulus miſit ad perſuadendam finitimis populis ſocietatem: Marii apud Salluſtium, & apud Tacitum (x) Tiberii ad Senatum, ut luxui Romanorum fines ſtatuerentur. Quis ſine tacito animi ſenſu in Quincto Curtio legit Darii orationem in pugna ad Arbelum (y) ſatis longam, ſed valde ſcitam, & ſtudioſe elaboratam? Legati Regis Scytharum (z) elegantem ac politam pro nationis genio? Philotæ accuſati de conjuratione adverſus Alexandrum (a) magna tranquillitate animi factam, & ad motus excitandos aptiſſimam? quin quod in ipſius Cæſaris, cujus auctoritas in contrariam partem adducta eſt, ipſius inquam Cæſaris hiſtoria (b) concionem Curionis, quæ milites ad oppugnandum Varum circa Uticam animavit, prorſus eximiam reperire

(u) *Sub init. hiſt.* (x) *Lib.* 4. (y) *Lib.* 3. *Annal.* (z) *Lib.* 7. (a) *Lib.* 6. *ad finem.* (b) *De bello Civil. l.* 2.

rire ſit. Nemo tamen hac in re admirabilior Tito Livio, qui orationes, quas frequenter in utramque partem immiſcuit, adeo artificioſe conſtruxit, ut ſi primam legas, ab ea perſuaſum te credas; ſi vero alteram, abjecta priori mente huic conſentias atque ſubſcribas. Interea tamen negari haud poteſt; opus eſſe moderatione, ſcilicet ut breves ſint, nec admodum frequentes, ut magno cum judicio, & quidem ſuo loco ponantur, ut character, qui Actoris perſonæ convenit, ubique eluceat, ut ſententiis gravibus & fulgurantibus referta ſit. Ne lectorem ſine exemplis relinquam, heic quoque aliqua adducam. Primum e Livio (c), ubi Veturiam apud Coriolanum Filium ſuum, qui ad expugnandam Romam cum exercitu venerat, deprecantem exhibet. Quippe Cn. Martio Coriolano in exilium pulſo, & cum Volſcis ad injuriam vindicandam redeunte, rejectisque Legatorum a Sacerdotum precibus Romæ exitium minitante „ Tum, „ inquit Livius, Matronæ ad Veturiam „ Matrem Coriolani, Volumniamque uxo- „ rem frequentes coeunt. Id publicum „ conſilium, an muliebris timor fuerit, „ parum invenio. Pervicere certe, ut „ & Veturia magno natu mulier, & Volu-

„ mnia-

(c) *Decad.* 1. *l.* 2.

„ mnia duos parvos ex Martio filios secum
„ ducens in castra hostium irent, & quam
„ armis Viri defendere urbem non pos-
„ sent, mulieres precibus lacrymisque
„ defenderent. Ubi ad castra ventum
„ est, nunciatumque Coriolano, adesse
„ ingens mulierum agmen: primo, ut
„ qui nec publica majestate in legatis,
„ nec in sacerdotibus tanta offusa oculis
„ animoque religione motus esset, multo
„ obstinatior adversus lacrymas mulie-
„ bres erat. Dein familiarium quidam,
„ qui insignem mœstitia inter cæteras co-
„ gnoverat Veturiam, inter Nurum Ne-
„ potesque stantem: nisi me frustrantur,
„ inquit, oculi, Mater tibi conjuxque
„ & liberi adsunt. Coriolanus prope ut
„ amens consternatus, ab sede sua cum
„ ferret Matri obviæ amplexum, mulier
„ in iram ex precibus versa: Sine prius
„ quam complexum accipio, sciam in-
„ quit, ad hostem an ad filium venerim:
„ captiva, materne, in castris sim. In
„ hoc me longa vita & infelix senecta tra-
„ xit, ut exulem te, deinde hostem vi-
„ derem; potuisti populari hanc terram,
„ quæ te genuit atque aluit? non tibi,
„ quamvis infesto animo & minaci per-
„ veneras, ingredienti fines ira cecidit?
„ non cum in conspectu Roma fuit, suc-

„ cur-

„ currit, intra illa moenia domus & pe-
„ nates mei sunt? Mater, Conjux, libe-
„ rique? Ergo ego nisi perperissem, Ro-
„ ma non oppugnaretur? sed ego nihil
„ jam pati nec tibi turpius, quam mihi
„ miserius possum: nec ut sim miserrima,
„ diu futura sum: de his (monstrans Ne-
„ potes) videris, quos si pergis, aut im-
„ matura mors, aut longa servitus ma-
„ net. Uxor deinde ac liberi amplexi,
„ fletusque ab omni turba mulierum or-
„ tus, & comploratio sui patriæque fre-
„ gere tandem Virum. Complexus inde
„ suos dimittit, ipse retro ab urbe castra
„ movit; abductis deinde legionibus ex
„ agro Romano ... Non inviderunt laudes
„ suas mulieribus Viri Romani: adeo sine
„ obtrectatione gloriæ alienæ vivebatur.
„ Monumento quoque quod esset, tem-
„ plum Fortunæ muliebri ædificatum de-
„ dicatumque est. „ Observare heic licet in oratione Veturiæ muliebres artes; primum lacrymis calentibus blanditur; postmodum matris usa potestate graviter increpat, & vix non imperat, demum secutura e turpi facto calamitate ante oculos posita ferocem filii animum frangit. Alterum exemplum esto, quod Famianus Strada (d) suppeditat. Turbatis in Belgio re-

(d) *De bell. Belg. lib. 6.*

rebus quum Jacobus Marnixius Tholosæ Dominus, unus e conjuratis, Antvverpiam versus infestis signis moveret, S. Margarita Austriaca Caroli V. Cæsaris filia, tum temporis Belgii Gubernatrix, metuens ne Tholosius illato in urbem exercitu firmaret Gheusiorum partes, accito ad se Lanaio, Beavoriæ Domino, nobili impigroque Duce „ Testor, „ inquit, Deum ad arma me invitam atque obluctantem pertrahi: famamque „ victoriæ (cujusmodi cura & fæminas „ non raro tangit, & mihi aliquem hujusce gloriæ sensum ingenerare potuit „ invictus martiusque sanguis) adamatam a me in Belgio meo nunquam fuisse. Verum cum apud homines ingenio „ contumaci, atque implacabiliter improbo nec dissimulatione nec venia quidquam effectum sit, quam ut auctoritatem nobis, metum illis ademerimus, „ profecto male mihi Religionis, Regisque ac patriæ causa cordi fuerit, si istorum ego perfidiam nimia indulgentia „ invalescentem novissimis aliquando exemplis non coerceam: hostesque ac perduelles, modo procuratam hæresi discordiam, modo sumtis armis defectionem molientes, vi atque armis, vestraque qua facile possum, virtute non „ frangam. Age igitur Beavorii te enim

„ læsa

„ læſæ Majeſtatis divinæ humanæque vin-
„ dicem hic volo, & quando ad Oſterve-
„ lam feſtinatione opus eſt, illuc cum
„ imperio contende, Tholoſiumque cum
„ tumultuario exercitu impune præda-
„ bundum, & tantum hoſpitibus timen-
„ dum, armatus aggredere, nec ullis
„ conditionibus flecti te patere ad clemen-
„ tiam, ſed homines ſceleſtos, indepre-
„ cabile ſupplicium commeritos ferro &
„ igni quamprimum dele. „ Ita eum allocuta, jubet e Bruxellenſi præſidio trecentos ſclopetarios ſeligere: adhæc Flandricas cohortes, & gravis armaturæ turmas &c. Conſpicere heic licet fœminam virili, ut erat, animo perorantem, & quo certius Duces ſuos impelleret, Dei, religionis, ac patriæ cauſam in medium adferre, ac demum implacabilem adverſum ſeditioſos animum inſpirare. Tertium exemplum ſit (quoniam apud Hiſtoricos nihil frequentius, quam inducere exercituum Imperatores ante prælia ad militum concionem dicentes) ex Mariana (e) petitum, ubi Alfonſi Caſtiliæ Regis cruentam cum Maurorum Rege Albohaceno pugnam ad Tariffam commiſſam deſcribit, in qua ducenta Maurorum millia in prælio fugaque ceciderunt. Rex bar-

(e) *Lib.* 16. *de reb. Hiſpan.*

barbarus spe tumidus & de victoria certus ita suos est adhortatus: „ Si nostram ætatem, resque in Africa gestas tantum „ respicerem, nihil ad vitæ fructum, glo„ riamque nominis deesse videbatur. Om„ nibus circum nationibus vestra milites „ virtute subditis, gentis amor patriæ „ religionis studium vobis impulsoribus „ in Hispaniam attraxit. Turpe erit, „ quod in pace estis polliciti, in pugna „ non posse præstare, domi procaces, „ in bello ignavi. Si numero pares con„ grederentur, vestræ virtuti crederem; „ tamen si certa pestis adesset, mori sa„ tius judicarem, quam ut tantum dede„ cus inureretur. Nunc adversus pau„ cos, inermesque tyrones pugnabitis, „ nullo usu firmatos, nulla scientia mili„ tari. Atque illud potius verendum est, „ ne Africæ domitoribus cum tali homi„ minum genere pugnasse turpe sit: illis „ gloriosum, quocunque tandem even„ tu. Phutenses, Tremesenias, Alger„ bienses victorias cogitare. Eo animo, „ eaque fiducia, quæ perpetuo victori„ bus esse debent, pugnate erecti, con„ stantes, periculorum, hostium, mor„ tisque ipsius contemptores. „ His dictis ad flumen progressum &c. Contra Rex Castiliæ Alfonsus his verbis suorum

animos accendit: „ Profunda avari-
„ tia, infinita imperandi libido, odium
„ Christiani nominis implacabile, nulla
„ justa belli caussa hanc barbariem in Hi-
„ spaniam attraxit, inconditam mihi cre-
„ dite, & ex colluvione multarum gen-
„ tium conflatam. Nemo numero ter-
„ reatur; sua se multitudine impedient,
„ neque ordines servare, neque imperia
„ accipere idonei. Quanto sibi quisque
„ minus pepercerit, tanto tutior erit.
„ Neque decet, in pedibus potius præsi-
„ dium, quam in virtute armisque pone-
„ re, nudum cæcumque tergus hosti fe-
„ riendum præbere. Aut barbaris ser-
„ viendum, aut strenue pro patria, pro
„ uxoribus & liberis, pro sanctissima reli-
„ gione pugnandum; victoriæ spe certa
„ (nihil in nobis vanitatis est). Quodsi
„ aliter eveniret, ubi majori fructu, ma-
„ jorique gloria vita brevis, & paulo post
„ interitura ponatur? Quid salutarius,
„ quam brevi molestia cœlestes sedes pa-
„ rari? Quod crux illa sanctissima, cu-
„ jus auspiciis pugnamus, sanctissimi Pon-
„ tifices pollicentur. Læti ergo, pleni-
„ que bona spe in hostes invadite. „ Da-
to signo mota continuo agmina præter-
fluebat salsus amnis; (salsetum) unde prælio
nobilissimo victoriæque nomen factum &c.

XX.

XX.

Encomia atque Judicia.

Sunt hæc dicta quædam ingeniosa ac splendida, ad modum sententiæ prolata, quæ facto alicui, quod laude aut vituperio dignum videtur, subjungitur: Græci vocant epiphonemata. Neque locum duntaxat habent ad finem totius narrationis, sed etiam per illius decursum hinc inde cum gratia interseruntur. Illorum indoles est, tum ut paucis verbis, quod in actione quadam, aut consultatione commendari meretur vel reprehendi, cum libertate ingenua & judicio maturo exprimant, tum ut lectorem informent, & velut tacite admoneant, quid boni malive ex ea consequatur. Si recte fiant, & rite adhibeantur, sunt enimvero narrationis deliciæ & charites, ac ingenium simul scriptoris, quantum valeat, demonstrant. Probe tamen cavenda sunt hoc in negotio aliqua, alia vero diligenter observanda, ne quod ornamento esse debuisset, in dehonestamentum historiæ cedat. Cavendum quidem primo, ne passim & ubique in rebus exiguis æque ac grandibus non invitatæ hujusmodi sententiæ atque judicia, quæ crises vocant, se quodammodo intrudant: nimium salis,

piperis, alteriusve condimenti cibis aspersum palatum potius offendit, quam orexin excitat. Dein si quæ alia narrationis virtus, certe ista priusquam proferatur, ad trutinam vocanda est; nec quidquid speciosum aut subtile parturit ingenium, id continuo in lucem effundendum, ne loco gemmæ vitrum vendatur; sed ex ipsis narrationis visceribus petenda est. *Curandum* ait Petronius, *ne sententiæ emineant extra corpus orationis expressæ.* Observandum porro est, ut paucis verbis circumscribantur, quæ tamen multum meditationis subministrent, nobilem sensum in legentis mente pariant, utque salubrem morum doctrinam instillent, accendant animum ad virtutem, & a vitio abstrahant: quandoque etiam aculeum post se relinquant. Exemplo sit locus ille Livii (f), in quo Annibalis indolem depingit: „ Missus Annibal in Hispaniam primo „ statim adventu omnem exercitum in se „ convertit. Amilcarem (Pater is erat „ Annibalis) viventem redditum sibi ve„ teres milites credere, eundem vigorem „ in vultu, vimque in oculis, habitum „ oris, lineamentaque intueri . . . Nun„ quam ingenium idem ad res diversissi„ mas, parendum atque imperandum, „ ha-

(f) *Decad. 3. lib. x.*

„ habilius fuit. Itaque haud facile discer-
„ neres, utrum Imperatori an exercitui
„ charior esset: Neque Asdrubal alium
„ præficere malle, ubi quid fortiter ac
„ strenue agendum esset; neque milites
„ alio Duce plus confidere aut audere:
„ plurimum audaciæ ad pericula capes-
„ senda, plurimum consilii inter ipsa
„ pericula erat . . . . princeps prælium
„ inibat, ultimus conserto prælio excede-
„ bat. Has tantas Viri virtutes ingentia
„ vitia æquabant: inhumana crudelitas,
„ perfidia plusquam Punica, nihil veri,
„ nihil sancti, nullus Deum metus, nullum
„ jusjurandum, nulla religio. Cum hac
„ indole virtutum ac vitiorum triennio
„ sub Asdrubale Imperatore meruit, nul-
„ la re, quæ agenda audendaque magno
„ futuro Duci esset, prætermissa &c. „
Aliud illustre hujus rei exemplum præbet Strada (g), dum supremi Ducis Albani ambitionem his verbis describit. „ Ac-
„ cedebat & illud ad invidiam cumulan-
„ dam, quod eodem tempore trophæum sa-
„ ne superbum Antverpiana in arce statuen-
„ dum ex tormentis bellicis Ludovico
„ Nassovio in Gemingensi prælio ereptis,
„ conflari sibi jusserat, homo in gloriam
„ apud

(g) *Lib.* 7.

„ apud posteros intentior, quam ex præ-
„ sentium offensione timidus. Erat hæc
„ armata ejus effigies, nudo capite, dex-
„ tro brachio inermi, & in urbem inten-
„ to : pede statuas ex ære duas premens,
„ hoc est, duos ex tribus Belgii Ordini-
„ bus, Nobilitatem Populumque . . . .
„ Quod sane simulacrum mirum quan-
„ tum omnium odio invidiaque spectatum
„ est : Belgis quippe frementibus, quasi
„ eo in monumento quotidie vinci, quo-
„ tidie in triumphum duci eorum natio
„ videretur, & Hispanis ipsis homini in-
„ dignantibus, qui sibi gloriosum acroa-
„ ma canere, quam audire maluisset.
„ Nec alia crebrior sermonis materia in
„ Regis (Philippi II.) aula, irridente in
„ primis Roderico Gomesio, veteri æmu-
„ lo, *fidelissimi* appellationem *Ministri*,
„ nempe qui gloriam Principi suo debi-
„ tam interverteret, ad seque transfer-
„ ret : tantoque magnificentius aliqui
„ efferebant in cœlum modestiam Regis,
„ qui aliquot ante mensibus, cum ei no-
„ bilis ab Italia Statuarius obtulisset, im-
„ positurum se portis urbium per Insubri-
„ cam Præfecturam Insignia & simulacrum
„ Regis absque ullo regiæ pecuniæ dispen-
„ dio, laudata hominis voluntate respon-
„ disset, *Malle se artificem, qui quanta-*

„ *cun-*

„ *cunque impensa suum in cælo signum col-*
„ *locaret.* Quod astu aulico effuse lauda-
„ batur in Principe, ut ad magni nominis
„ præconium illustrius vapularet Albanus. „
Alibi (h) Comitum Egmontii & Hornani supplicium & fatalem catastrophen describens ita loquitur: „ Funestum Egmontii
„ finem (namque hic in omnium amori-
„ bus erat) doluere Belgæ odio majore,
„ quam luctu. Fuere qui linteola con-
„ tempto periculo Egmontii cruore asper-
„ serint, servaverintque seu monumen-
„ tum amoris, seu vindictæ irritamen-
„ tum.... Et sane ab aliquibus haud du-
„ bitatum est, quin consultius egisset
„ Albanus, si clam punito Egmontio non
„ eam scenam ac pompam ingratæ ni-
„ mium populo tragœdiæ conquisisset.
„ Etenim male admoventur oculi spectan-
„ do illius supplicio, cujus causam com-
„ miseratio meliorem facere videtur.
„ Sed homo in terrorem, quo tunc opus
„ existimavit, intentus invidiam odium-
„ que sui facile posthabuit. Fertur Galli-
„ cus Legatus, qui spectaculo occultus
„ interfuit, scripsisse ad Carolum Regem:
„ *Vidisse se in Bruxellensi foro decussum*
„ *illum verticem, cujus virtute bis Gal-*
„ *lia*

(h) *Lib.* 7.

„ *lia contremuerit*, clades significans ab „ Egmontio illatas Gallicæ Nobilitati ad S. „ Quintinum & Gravelingam.„ Totam luctuosam historiam hanc claudit Strada Hornani similiter capite plexi elogio & sequenti epiphonemate: *Defleri profecto haud modice potuisset hujus Viri* (Hornani) *mors, si non Egmontius omnium lacrymas consumpsisset.* His subjungo breviores quasdam sententias tum ex ethnicis, tum e Christianis scriptoribus depromtas, quæ similium ideas ingenerare possunt:

Livius, dum Tarquinium quintum regiam dignitatem palam in Comitiis Romanorum petiisse ac etiam obtinuisse commemorat, addit: *Ergo virum cætera egregium secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio est.*

Idem Indibilem, a Carthaginensibus civibus suis ob horum avaritiam & superbiam ad Romanos deficientem, ita locutum prodit: *Itaque corpus duntaxat suum ad id tempus apud eos fuisse; animum jam pridem ibi esse, ubi jus ac fas crederet coli.*

Julius Cæsar inquit: *Cum Imperatoris non minus sit, prudentia superare, quam gladio.*

C. Velleius Paterculus de Cæsare, post pugnam Pharsalicam & victum Pompejum

sum ignoscente civibus: *Cum lubentius vitam victor daret, quam victi acciperent.*

Idem de Pompejo a proditore, quem Ptolemæus Ægypti Rex subornavit, trucidato & inhumato: *In tantum in illo Viro discordante fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam.*

Sidonius Apollinaris de humanæ vitæ misera conditione differens exclamat: *O necessitas abjecta nascendi, vivendi misera, dura moriendi!*

Cyprianus licentiam impune peccandi his verbis perstringit: *Consensere jura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum factum est.*

Hieronymus de mansuetudine: *Irasci hominis est, sed iram non perficere, Christiani.*

Idem de invidia: *Justius invidia nihil est, quæ ipsum auctorem rodit, discruciatque.*

Augustinus de immensa Dei misericordia: *Ille desperet, qui tantum peccare potest, quantum Deus bonus est.*

Idem de Atheis: *Nemo Deum negat, nisi cui expedit Deum non esse.*

Paulinus de vindicta: *Vicem injuriæ reddere, humana ultio est; inimicos etiam diligere, vindicta cælestis est.*

Hieronymus de Timore Dei: *Quasi majora sint placita Imperatorum, quam Christi. Leges timemus, Evangelium contemnimus.*

Augustinus de patientia in calamitatibus a Deo immissis: *Sæviat quantum vult, Pater est.*

Idem de tempore mortis incerto: *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.*

§. III.

Forma Historiæ.

XXI.

Formam historiæ adpello habitum illum, ac veluti vestem, quæ simplici rerum gestarum narrationi superinducitur, ne nuda & incomta in publico compareat. Hanc ab arte habeat necesse est, quæ tamen naturæ ductum sequatur. Consistit autem tum in rebus, tum in verbis. Ad res quidem pertinent aptæ transitiones, caussæ rerum ac circumstantiæ, adfectiones animi intermixtæ, præcipue character quidem, quem toti narrationi imprimit auctor, quove ad nobilitatis ac splendoris gra-

gradum valde magnum eam evehit: ad verba vero stilus, quem sibi proprium poscit historia, simplicem simul, & modeste ornatum. A *charactere* initium duco. Hic a magnis ideis gignitur, quæ primum in scriptoris ingenio concipiuntur, & postea in ipsas actiones ac res, quas describendas suscipit, felici partu transfunduntur. Ideas autem format imaginandi virtus, quæ omnes præclaras dotes ac quæ rem narrandam circumstant, vivis coloribus depingit ac repræsentat. Colligit enim ex ea, quidquid magnificum, decorum, generosum, forte, politum, nobile, ac imitatione dignum est reperire, illudque omne stili ope ad majorem adhuc perfectionis & excellentiæ gradum attollit. Hac ratione Titus Livius historiæ suæ formam induxit sane admirandam, qualem nullus alius Historicorum; eamque auxit adtribuendo singulis Actoribus characterem quam maxime proprium. Ita postremis Regibus Romanis omnem, quam suprema potestas suggerere potest, superbiam quasi inspirat: Reipublicæ vero vicissitudines una ex parte exprimit per heroica grandium Virorum facta, & fortitudinis, justitiæ, clementiæ, sapientiæ, insignia domi forisque exempla, ex altera vero per dominationem truculentam &

fero-

ferocem primorum Consulum, per populares Tribunorum commotiones, per implacabilem Decemvirorum in gubernando severitatem, per luxum & mollitiem ultimorum temporum, præsertim in Romana juventute grassantem: Quamvis ætatem, quodvis seculum surgentis, florentis, ac cadentis Reipublicæ distinguere novit descriptione genii, qui tunc plus regnabat, quin res gestas ac temporum rationes, aut variationes fatorum confunderet, quorum omnium imagines vivas & patheticas exhibet. Contra vero Tacitus, quod in ipso reprehendunt non pauci, eandem rebus omnibus formam tribuit, omnes gentes politico spiritu animat, & caussas rerum, consilia, & eventus ad Status rationem, ut vocanr, refert, ita ut character, quem Actoribus aptat, non tam eorum, quam ipsius sit Historici. Cætera characteris boni leges sunt, ut non sit talis, qui omnibus conveniat: ut non solum, quæ foris adparent, quemadmodum vestes, oculi, vultus, sed potius quæ intus latentia per actiones se se produnt, depingat, uti Sallustius Catilinæ audaciam & ferociam, qua toti Italiæ trepidationem incussit; Livius grandem spiritum & ambitionem ac cor intrepidum Hannibalis: Lucretiæ

vero

vero ideam honestissimæ fœminæ, dum ait, *Lucretiam nocte sera non in convivio luxuque, sed deditam lanæ inter ancillas sedentem invenerunt:* ut sit verus, vel certe verosimilis: ut non cujusvis obvii; sed personarum duntaxat, quorum præcipuus in historia locus, imaginem exprimat. Hæc de charactere historiæ. Jam de reliquis.

Transitionum quanta necessitas, tantum est artificium. Sine his enim rustica erit narratio, & instar acervi annulorum, quorum nullus adhæret alteri. Ita excursio a regno in regnum, a natione ad nationem, ab uno ad alterum factum, a seculo uno in aliud sine methodo, grandis est hallucinatio historica. Si vero ars desit, soloque verborum & tritarum quarundam formularum nexu partes narrationis cohæreant, tota erit frigida, insipida, & coacta, Opus igitur est, ut describendarum rerum, temporum, locorum & actionum series tam scite ordinetur prævia meditatione, ut unum alteri filum porrigat, ac portam aperiat, ita ut quasi naturali quadam successione sic evenisse videantur. Est enim historia instar corporis, in quo quævis membra proprium sibi locum, quo collocentur, poscunt, & naturæ vinculo inter se cohærere debent. Hac in arte emi-

eminuit inter græcos hiſtoricos Xenophon, de quo Tullius: *Xenephontis fluens & ſine ſalebris oratio.* Inter latinos vero Tacitus. Sed hæc tranſitionum œconomia addiſci non poteſt, niſi optimorum auctorum lectione ac exercitatione frequenti.

Cauſſarum quoque ac *circumſtantiarum* ratio diligens habenda eſt Hiſtorico. Nam ut Cicero monet (i): *Rerum ratio vult, ut quoniam in rebus magnis conſilia primum, deinde acta, poſtea eventus exſpectantur, in rebus geſtis declaretur non ſolum, quid actum aut dictum, ſit ſed quomodo; & cum de eventu dicatur, ut cauſſæ explicentur.* Primum quidem fieri oportet, ut hiſtoria diſterminetur a Commentario, quemadmodum Cæſar itinera ſua, caſtra, obſidiones & pugnas in Commentariis ſimplici methodo narrat, nullis admixtis cauſſis & occaſionibus rerum geſtarum. Immo ſi hæ omittantur, vix erit diſcrimen in Hiſtoricos, & eos, qui nova undique collecta vulgant, quos *Novelliſtas* adpellamus. Nam contenti dicere quid evenerit, parum de origine ac cauſſis prodendis ſoliciti ſunt. Miram autem gratiam conciliat hiſtoriæ, ſi animi deſignationes, conſilia, ſecreta molimina, & ſtratagemata

(i) *Lib. 2. de Orat.*

mata in apricum producantur, unde ipsæ actiones promanant. Quo magis enim ista latent, eo majorem si patefiant, admirationem in legentibus excitare solent. Cavendum tamen heic Historico, ne minus bona fide hoc faciat, aut sinistro affectu abripi se sinat, vel pro veris caussis conjecturas incerto fundamento nixas vendat. *Haud facile*, inquit Cæsar apud Sallustium (k) *animus verum providet, ubi officiunt odium, amicitia, ira atque misericordia.* Alterum quod dixi, seu circumstantiæ eo minus sunt negligendæ, quo magis verosimilem reddunt narrationem, uti gratam transitiones. Nam istæ vel elevant actionem, vel deprimunt; certe totam faciunt sensibilem, ut velut oculis videri ac manibus palpari possit. Neutiquam tamen omnes describi debent, sed illæ seligi, quæ maxime idoneæ sunt vel ad grandem ideam rerum formandam, vel ad fidem caussæ principali faciendam, vel ad lectorem attentum atque suspensum reddendum. Ejusmodi narrationis vestitæ sui circumstantiis elegans typus est apud Livium (l) de itinere Hannibalis in Italiam.

XXII.

(k) *In Catilin.* (l) *Decad.* 3. *lib.* 1.

XXII.

Demum *animi adfectiones* intermixtæ egregiam hiſtoriæ formam adferunt. Equidem non ita dominantur, tantoque calore prorumpunt in hiſtoria, ſicut in theatro, in quo propriam ſibi ſedem vendicant: ibi enim affectus luduntur, heic narrantur. Nihilominus novit expertus hiſtoriæ ſcriptor per occultas vias & machinas, maxime narrando cauſſas & circumſtantias, varios in legentis animo affectus excitare, nunc commovere ad indignationem, nunc flectere ad miſerationem, modo cupiditatem accendere, modo inſpirare amorem, modo admiratione ſuſpenſum tenere. *Affectus eos præcipue, qui dulciores ſunt: nemo Hiſtoricorum Livio magis commendavit*, inquit Fabius. Multa paſſim hujus rei exempla in Livio occurrunt: illud vero reliqua ſuperat, quo Lucretiæ a Tarquinio per vim ſtupratæ mortem exprimit (m): „ Paucis, inquit, interjectis diebus dictus Sextus Tarquinius inſcio Collatino (Marito Lucretiæ) cum „ comite uno Collatiam venit, ubi ex„ ceptus benigne ab ignaris conſilii, cum „ poſt cœnam in hoſpitale cubiculum de„ ductus eſſet, amore ardens poſtquam „ ſatis omnia tuta circum, ſopitique om-

„ nes

(m) *Decad.* I. *lib.* 2.

„ nes videbantur, ſtricto gladio ad dormientem Lucretiam venit, ſiniſtraque manu mulieris pectore oppreſſo: Tace Lucretia, inquit, Sextus Tarquinius ſum: ferrum in manu eſt, moriere ſi emiſeris vocem. Cum pavida ex ſomno mulier nullam opem, prope mortem imminentem videret, tum Tarquinius fateri amorem, orare, miſcere precibus minas, verſare in omnes partes muliebrem animum. Ubi obſtinatam videbat, & ne quidem mortis metu inclinari, addit ad metum dedecus: cum mortua jugulatum ſervum nudum poſiturum ſe ait, ut in ſordido adulterio necata dicatur. Quo terrore cum viciſſet obſtinatam pudicitiam velut victrix libido, profectusque inde Tarquinius ferox expugnato decore muliebri eſſet, Lucretia mæſta tanto malo nuncium Romam eundem ad Patrem, Ardeamque ad Virum mittit, ut cum ſingulis fidelibus amicis veniant: ita facto maturatoque opus eſſe, rem atrocem incidiſſe. Sp. Lucretius cum P. Valerio Volſci filio, Collatinus cum L. Junio Bruto venit, cum quo forte Romam rediens ab nuncio uxoris erat conventus: Lucretiam ſedentem mæſtam in cubiculo inveniunt: adventu ſuorum

„ lacrymæ obortæ : quærentique Viro, „ Satin' ſalve? Minime inquit; quid enim „ ſalvi eſt mulieri amiſſa pudicitia? Ve- „ ſtigia Viri alieni Collatine in lecto ſunt „ tuo: cæterum corpus eſt tantum viola- „ tum, animus inſons: mors teſtis erit. „ Sed date dextras fidemque, haud im- „ pune adultero fore. Sextus eſt Tarqui- „ nius, qui hoſtis pro hoſpite, priore „ nocte vi armatus mihi ſibique, ſi vos „ viri eſtis, peſtiferum hinc abſtulit gau- „ dium. Dant ordine omnes fidem; con- „ ſolantur ægram animi, avertendo no- „ xam a coacta in auctorem delicti: men- „ tem peccare, non corpus, & unde con- „ ſilium abfuerit, culpam abeſſe. Vos, „ inquit, videritis, quid illi debeatur: „ ego me etſi peccato abſolvo, ſupplicio „ non libero: nec ulla deinde impudica „ Lucretiæ exemplo vivet. Cultrum „ quem ſub veſte abditum habebat, eum „ in corde defigit, prolapſaque in vulnus „ moribunda cecidit. Conclamat Vir, „ Paterque. Brutus illis luctu occupatis „ cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum „ manantem cruore præ ſe tenens: per „ hunc, inquit, caſtiſſimum ante regiam „ injuriam ſanguinem juro, vosque Dii „ teſtes facio, me L. Tarquinium ſuper- „ bum cum ſcelerata conjuge, & omni

„ libe-

„ liberorum ſtirpe ferro, igni, quacun„ que dehinc vi poſſim, exacturum: nec „ illos, nec alium quemquam regnare „ Romæ paſſurum &c. „ Siſtere heic juvat ad furentis amoris, caſti pudoris, virilis in muliere fortitudinis, & vindictæ juſtiſſimæ affectus tam pathetice deſcriptos. Aliud melioris & Chriſtiani in fœmina pudoris exemplum a Maffeio (n) deſcriptum adjungo. Erat in Indiis Emmanuel Soſa, cognomento Sepulueda, nobilis Luſitanus, Vir opulentus & ſplendidus, qui ducta in matrimonium Eleonora Garciæ Salæ, tum Prætoris, filia patriæ reviſendæ deſiderio tactus cum uxore lectiſſima & parvis liberis, Nobilibus aliquot, ac famulorum turba navim mercibus & theſauris ingentibus onuſtam in portu Cocinenſi conſcendit, rediturus in Luſitaniam. Iter feliciter cœptum mox horribili naufragio funeſtatum fuit, multis comitum intereuntibus, parte maxima pretioſarum mercium deperdita, Emmanuele cum uxore & liberis in litus regionis barbaræ ac deſertæ ejectis. Ibi poſt mille famis, frigoris, inſidiarum, expilationum, proditionum pericula demum misero fato una cum conjuge ac liberis periit.

(n) *Lib.* 16. *Hiſt. Indic.*

periit. Triſtem exitum narrat Maffeius his verbis : „ Rex barbarus gemmis, au„ roque & argento, & quod pretioſi reli„ quum Soſæ & familiaribus fuerat, avi„ diſſime rapto corporibus tantum ac ve„ ſtimentis abſtinuit; domoque cunctos „ item exigit, inſuper increpans, clemen„ tia ſe adductum non pro meritis tractaſ„ ſe vagos piratas, & communes humani „ generis inimicos. Tum demum ſenſere „ Soſa comitesque, quam ſtulte ſe ſe iner„ mes ignotæ ac barbaræ fidei credidiſ„ ſent. Neque hic finis miſeriarum fuit. „ Namque dum inopes conſilii ſolutis or„ dinibus, nullo rectore, nullo ſignifero, „ paſſim incerto errant gradu, nova re„ pente Æthiopum manus, præacutis ar„ mata ſudibus, in Soſæ manipulum in„ vadit: ipſumque & cæteros utriusque „ ſexus nullo diſcrimine veſtibus nudat, „ innoxios & contra nec hiſcere quidem „ audentes. Adeo ablatis armis cecide„ rant animi. Eleonora tantum, generis „ memor, ac pudoris ad ultimum reti„ nens obniti acriter pugnis, quin etiam „ colaphis barbaros ultro ad necem irrita„ re, quoad mariti demum hortatu, & „ deficientibus jam plane viribus abſtitit: „ nec mora detractæ direptæque veſtes; „ metu ac pudore confuſis, qui ex infelici

„ comi-

„ comitatu restabant, atque ab tanta re-
„ rum indignitate avertentibus oculos.
„ Tum vero castæ matronæ tristior omni
„ morte lux visa est: defodit arenis e ve-
„ stigio se se; quæ supereminent, soluto
„ raptim fusoque obtegit crine. Mox ad
„ Andream, paucosque superstites, voce
„ suprema: Vos quidem, inquit, duci
„ vestro fidem egregium præstitistis, opti-
„ mi Viri. Nil ultra opus est. Ite, vo-
„ bisque ipsi tandem aliquando consulite,
„ ac si quem patriis olim finibus reddi
„ contingat, renuntiate, quo loci mea
„ me maritumque delicta perduxerint.
„ Mœstum inde silentium immobilis te-
„ nuit. Cara tantum intuenti pignora
„ juges rivi lacrymarum denso cum ge-
„ mitu profluebant; Sosæ item altus mæ-
„ ror ac dolor vocem incluserat; cum-
„ que defixo in terram obtutu, aliquam-
„ diu attonito ac stupenti similis adstitis-
„ set, paterna demum exstimulante cura
„ proximam in sylvam quærendo quali-
„ cunque nutrimento secedit. Inde re-
„ gressus Eleonoram triduano jejunio fle-
„ tuque pæne consumptam, e filiolis al-
„ terum prorsus extinctum offendit, eum-
„ que suis ipse manibus terræ mandavit.
„ Postridie eodem pabulandi functus offi-
„ cio, conjugem una cum filio exanimem

H 3 „ repe-

„ reperit, & lamentabili circumvocifera-
„ tione complorantes ancillas. Hisçe
„ confestim submotis in dexteram jacentis
„ manum aliquamdiu reclinato capite in-
„ cubuit: dein iisdem adjuvantibus an-
„ cillis cadaver utrumque sepelit, nihil
„ unquam effatus. Postremo iterum se
„ se abdit in sylvas. Ibi laniatum a feris
„ putant. Nunquam deinde comparuit...
„ Cæterum tanta Sosæ calamitas longe la-
„ teque vulgata misericordiam hominum
„ civit; cupiditatem & audaciam non im-
„ minuit. Anno quippe insequenti Na-
„ varchi alii quinque Lusitaniam versus
„ Cocino solvere. „ Animadvertere heic licet grandium affectuum expressionem: in uxore quidem tam pudicam quam generosam in mortem usque indolem, in marito autem intrepido alias Belliduce animum calamitatis magnitudine velut in saxum sine voce obrigescentem.

XXIII.

Jam ad formam, quæ a foris advenit narrationi, seu quæ in verbis consistit, quamque stilum historicum esse diximus. Hunc autem verbis explicare aut legibus certis comprehendere res oppido difficilis est, ita ut de agrorum vicinitate atque confinio altercantibus citius ponere limites,

tes, quam in hac ampla stili possessione modum legemque possis definire. Non pauci sunt, qui contendunt illum esse stilum propriissimum, qui cujusvis genio competit, quemque sequi oporteret, quin vis ulla inferatur, aut hujus vel illius auctoris methodo, quem in scribendo observat, dicatur sacramentum. Alius est stilus Herodoti, Thucydidis, Plutarchi; alius Cæsaris, Livii, Taciti, Flori: quisque diversum aliquid ab altero, admirabile tamen sibique proprium in se continet, quo laudem, atque ut ita loquar, invidiam posterorum prisci scriptores isti sibi compararunt. Nihilominus sunt quædam dotes stili, e quibus ejus virtus vel vitium deprehendi facile potest, quasque palam facere insignis rei utilitas suadet. Itaque prima stili dos est sermonis integritas, quam *puritatem* alii vocant. Ob hujus neglectum multa Historicorum opera, quorum Photius, aliique Bibliothecarum Præfecti meminerunt, periere, nec ætatem tulerunt, nauseante scilicet inconditam dictionem Lectorum delicato stomacho. Procul arcenda proin sunt verba impropria, humilia, obscura; magis sententiæ duræ, asperæ, vel audaces. *In sententia* monet Cicero (o) *nihil*

(o) *De opt. gen. orat.*

nihil absurdum, aut alienum, aut subinsulsum: in verbis nihil inquinatum, abjectum, non aptum, durum, longe petitum. Quod de oratione Tullius, aperte id de Historia pronunciat Paullus Benius (p) dicens: *Historico sermoni decus conciliet perspicuitas, proprietasque verborum.* Hac in re excelluit Herodotus inter Græcos, & inter Latinos Cæsar, de quo postremo, ejusque Commentariis Hirtius (q) ita loquitur: *Constat, inter omnes nihil tam operose esse ab aliis perfectum, quod non elegantia horum commentariorum superetur.* Altera dos est brevitas, per quam ab oratorio se distinguit stilus historicus. Et vero quemadmodum in concione auditorum exspectatio, ut totius causæ summam & argumentorum vim percipiant, exigit ab oratore diffusum ac copiosum dicendi genus seu ad persuadendum, seu ad convincendum, ita lectorum aviditas & quædam impatientia, qua ad rei exitum intelligendum festinant, succinctam narrandi methodum ac brevitatem postulant ab Historico. Hinc est, quod Quinctilianus (r) comparationem instituens Herodotum inter & Thucydidem his verbis utatur:

Hi-

(p) *Lib. 1. de hist.* (q) *L. 8. de bell. Gallic.* (r) *L. 10. Instit.*

Historiam multi scripsere præclare; sed nemo dubitat, duos longe cæteris præferendos, quorum diversa virtus laudem pene parem est consecuta: densus & brevis, & semper instans sibi Thucydides, dulcis & candidus, & fusus Herodotus. Cicero tamen prioris seu Thucydidis partibus favere videtur, dum eum (s) adpellat scriptorem subtilem, acutum, & brevem, sententiis magis quam verbis abundantem. At alio in loco similiter comparans inter se eosdem Herodotum & Thucydidem: Alter enim inquit (id est Herodotus) sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit, alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. Illud quoque, quod in Sallustii historia eminet, & unde proprius ejus character desumi debet, est stili brevitas & mira velocitas: *Brevis*, inquit Sigonius, *sed nihil non ea brevitate comprehendens: sententiis gaudens, & antiquis verbis.* Et Aulus Gellius subtilissimum brevitatis artificem Sallustium adpellat, ac proprietatum in verbis Magistrum. Dum autem brevitatem stili commendo, eam intelligo, quæ a sublimi & perspicacis ingenii virtute oritur: etsi enim Sallustii & Thucydidis imitatio-

(s) *Lib. 2. de Orat.*

Livio adparet. Non effugit censuram Vossii (u) aliorumque L. Flori stilus elegans, floridus, nitidus, mire gratus, sed Poeticam, nativam nempe domui Senecarum, e qua oriundus erat, dictionem sapiens, ut alibi dicebam. *Dictio quoque*, ait Vossius, *sane domum sapit; nam ea Eloquentiæ ac Poeseos laude insignis fuit: at dictio Historici bujus est differta & Poeticæ propior; immo opus ipsum vix aliud quam declamatio est.* Ornatus igitur historiæ debet præseferre quemdam candorem, & simplicem cultum, dicente Fabio (x): *Si oratio perderet gratiam simplicis & inaffectati coloris, perderet & fidem.* Hoc consequi licet tum adhibendo verba propria & communia, semper tamen emphasi plena, tum adferendo cogitationes ac animi sensa vivum quid spirantia, ad quod autem singulari dono & indole opus est, scilicet non dicere ornatius, quam simplex ratio veritatis ferat, inquit Cicero (y). Nam omne quod est grande, cessat esse tale, quam primum simplex non est; & illud, quod est simplex & grande simul, granditatem duplicat, & evadit sublime. Supersedeo heic exemplis, quoniam priora antiquorum &

(u) *De hist. Latin.* (x) *Lib.* 9. *c.* 4.
(y) *L.* 1. *de Orat.*

& recentiorum attentius lecta sufficient ad ideam boni stili ingenerandam.

CAPUT IV.

INFORMATIO TUM DE SCRIBENDA, TUM DE LEGENDA HISTORIA.

§. I.

Observanda in Scriptione.

XXIV.

Ardua sane res est, & maximis difficultatibus obnoxia, historiam ut decet scribere. Est enim historici, qui grandia heroum facta dictis exæquare cupit, & tanti nominis mensuram implere, Historici inquam munus est universim, judicare velut suprema cum potestate de omnibus, quæ in hoc mundo geruntur: condere fatum illustribus Viris ad eorum famam apud posteros commendandam: & publicas quasi prælectiones instituere ad informandos per narrationem rerum memorabilium omnes populos. Unde Cicero (z) verissime ait: *Magnum quid historiam scribere, & summi Oratoris proprium.*

(z) *Lib. 2. de Orat.*

Sed potius illud Virgilii:

Tros Rutilusve fuat, nullo discrimine habebo.

Verum his difficultatibus quæ in scribenda historia occurrunt, cordatus Vir, quem idoneis ad rem tantam perficiendam dotibus natura instruxit, absterreri neutiquam debet; labore ac patientia vinci ardua quæque posse ipsa nos historia docet illustribus exemplis, quibus omnibus carere deberemus, si manum labori subtraxissent Scriptores tum veteres tum recentiores; & carere deberemus cum maximo boni publici detrimento, cujus plurimum interest, ut res a Majoribus præclare gestæ, earumque Auctores innotescant posteris. *Pulchrum inprimis videtur,* ait Plinius (a), *non pati occidere, quibus æternitas debetur.*

XXV.

Sed jam ad ipsum bonæ Historiæ scribendæ fundamentum accedamus. Hoc aliud non est omnium consensu, quam veritas. Profecto historiam scite comparavit Polybius (b) cum regula & norma. Hæc enim si recta non sit, quamvis ex auro vel argento fabrefiat, nequaquam est

(a) *Lib. 5. Epist.* (b) *Lib. 12.*

est regula, nec pro norma servire poterit ulli artificum vel opificum: ita historia ut ut amœna, magnifica, & cæteris ornamentis dives sit, si veritas deficiat, ad quam tota commensurari atque componi debet, historia non est. Hinc ipse, de quo dixi, Polybius ne quid falsi scriberet vel imprudens, iter instituit in oras longinquas, suisque eas oculis lustravit. Galliam enim & Alpes adiit, ac Hispaniam fere totam percurrit, ne de rebus, quæ a Scipione in his terrarum tractibus gestæ fuerunt, minus explorata scriberet: immo per Atlanticum quoque mare vela fecit, ne de Annibalis profectione referret aliqua, quæ non certissima forent: Romanam denique linguam didicit, operamque dedit, ut antiqua eorum monumenta intelligeret, quæ multi etiam indigenæ, atque hi præstantes viri, ignorabant. Tantis historica veritas impensis stetit veteri huic historico, quam alii non raro adulationibus Principum, aut propriis malis adfection bus venalem faciunt. Multorum enim studium est, ait Juvenalis (c), *ut de magnis majora loquantur*. Duplex autem peccati genus est, quod contra veritatem committere potest Historicus, *citra* vel *ultra modum*. Ci-

(c) *Satyr.* 4.

Citra modum peccat, qui vel ignoratione rerum, vel omnino mala fide reticet aut ſupprimit, quæ ſeu ad alterius laudem, a quo alienum ipſe gerit animum, cedere merito poſſent, ſeu ad illius, cujus partibus nimium addictus eſt, vituperium ac reprehenſionem pertinere videntur. Exempla utriusque habemus in præſtantibus cæteroqui ſcriptoribus veteris ac noſtri ævi. Thucydides quidem dum narrat (d), Antiphontem Rhetorem ſolvendæ Athenienſium Democratiæ importunum auctorem exſtitiſſe, ſtudioſe diſſimulat ſupplicium, quo temeritatem ſuam luere debuit Antiphon, ut a feris laniaretur, projectus: & hoc quidem amore Præceptoris ſui factum eſt a Thucydide. Contra Salluſtius Catilinæ ſociorumque conjurationem luculenter & graphice deſcribit, ita tamen, ut omnia illa, quæ ad Ciceronis encomium ſpectant, qui primus eam detexit, ac poſtremus oppreſſit, dolo malo prætermittat. Conſtat enim, Senatum eam ob rem Ciceroni ſolemnes gratias egiſſe, Patrem Patriæ conſalutaſſe, ac ſupplicationem decreviſſe. Sed de his altum ſilentium: nimirum ut Julio Cæſari faveret, qui ejusdem conjurationis clam reus

eſſe

(d) *Lib. 8. bell. Pelopon.*

esse ferebatur. Non minus Platina, qui vitas Pontificum scripsit, multa quorundam, erga quos infestum gerebat animum ob negatos sibi honores, egregia facta & decora reticuit; aliorum famam fictis vel dubiis criminibus, quorum nullum apud tot alios historicos vestigium exstat, sugillavit. Petrus Suavis quoque simili vindictæ spiritu correptus historiam suam de Concilio Tridentino in satyram convertit, qua homo vaferrimus summorum Antistitum dicta factaque, quin & Religionis Catholicæ dogmata misere corrupit, ac petulanter traduxit, plurimisque mendaciis datam fidem violavit. Est tamen his insuper habitis quandoque venia danda Historico, immo licentiæ, si grandia quædam vitia silentio prætereat; primo quidem, quæ sibi soli aut paucissimis arbitris nota sunt, quoniam in iis, quæ occulta, jus ad famam neque mors auferre possit citra injuriam. Secus est, si flagitia hujusmodi in omnium oculis ac ore versentur: dein, quæ admodum turpia & honestis auribus intolerabilia sunt, ita ut eorum commemoratione & scriptorem & chartas erubescere oporteat. Non minus enim honestatis quam veritatis ratio habenda est, nec verendum, fore ut respublica detri-

mentum patiatur, ſi actiones quædam oppido fœdæ ac obſcenæ ſubtrahantur poſterorum memoriæ, cui tot alia in utramque partem exempla ſufficiunt. Quodſi tamen Hiſtorico narrationis natura vel ſeries neceſſitatem & quaſi vim inferat talia producendi, curſim ac paucis id fiat, nec ita, ut ſcriptor velle videatur, ne ulla impuritatis particula lectorem prætereat. Plerique id vitio vertunt Suetonio, quod Tiberii, Caligulæ, ac Neronis ſpurciſſimos mores atque libidines adeo curate deſcribat, & vivis coloribus depingat, quas preſſe atque verecundo magis calamo enarrare oportuiſſet.

Gravius autem contra veritatem peccatum eſt, & ultra modum, ut dixi, ſi vel falſum quid hiſtoriæ inſeratur, vel ſi res geſtæ alio longe modo, aliave ratione, quam ipſarum natura & indoles poſcit, narrentur, ita ut virtutes vitia, & vitia virtutes eſſe adpareant. Hoc fit, quando Hiſtorici pictores imitantur, qui vel perſonis aſpectu fœdis pulchritudinem, imbellibus fortitudinem, manſuetudinem crudelibus colorum beneficio conciliant, non raro etiam e pygmæis gigantes faciunt, vel eam tribuunt formam, non qua illi gaudent, ſed quam hi ſuo in

cere-

cerebro sibi effingunt. Sunt, qui hac in re Apellis artificio utuntur. Hic quum Antigonus altero lumine captus ita pingi desideraret, ut nullum in vultu vitium notaretur, pictoribus aliis frustra id efficere conantibus primus eam methodum excogitavit, quæ hodie frequens est, videlicet, ut non tota intuentibus facies pateret, sed porrecto naso dimidia solum, atque ita pars vitiata lateret. Sed artificium hoc, uti in Pictoribus ac Poetis est tolerabile, ita in Historicis neutiquam liberale est, sed a plerisque in Tacito & Suetonio graviter reprehenditur, qui Imperatoribus suis, ac plus eorum vitiis serviliter & ultra modum blandiuntur. Ectypon prototypo quam simillimum requirit historia, quemadmodum Aristoteles docuit tacita quadam comparatione inter pictores & historicos instituta, inquiens: *Polygnotum solitum esse, quos exprimeret, facere meliores, Dionysium vero similes.* Lex igitur lata jam pridem est a Tullio, nimirum: Historicus *non solum ne quid falsi dicere audeat, sed etiam ne quid veri dicere non audeat.* Ut autem cognosci possit character veritatis, num insit historicis, qui passim circumferuntur, libris atque scriptis, non abs re erit, quasdam cum rerum peritis leges statuere: Mel-

chior Canus, acerrimi Vir judicii (e) sequentes tradit, quibus veraces a fallacibus internoscantur. *Prima*, quæ ex hominum probitate integritateque scriptorum sumitur, & locum habet, quando quæ narrant, vel ipsi se vidisse, vel ab aliis, qui viderint, se accepisse testantur. Est enim morum integritas velut sigillum veritatis, ejusmodi narrationibus impressum. *Secunda*, de probitate vero satis constare contendum est, non quidem ex ætate scriptorum remotissima, (non enim sufficit vetustum esse auctorem, qui hoc vel illud tradat) sed ex fama, & gravi atque frequenti præteritorum hominum testimonio. Sunt enim ex profanis scriptoribus non pauci, quorum ingenuitas & verecundia sermone hominum celebrata est, ut nemo illos (licet ut gentiles in multis erraverint) in fingendo impudentes existimarit. Tales sunt Cæsar, Valerius Maximus, Varro, Livius, Halicarnasseus, Polybius, Lucius Florus, Cornelius Nepos & alii. *Tertia*, maximum pondus habet vitæ sanctitas vel explorata probitas, quæ in Viris maxime Ecclesiasticis elucet, & eorum scriptis dictisque auctoritatem conciliat, utpote quibus nullum cum mendacio commercium esse solet,

(e) *Lib.* II. *c.* 6.

ſolet, aut ex falſitate lucrum accreſcit. Ita venerabundi accipimus, ſi quas referant hiſtorias SS. Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius M. V. Beda, aliique, ſi inquam ſe vidiſſe, aut a Patribus Antiquioribus vel Majoribus, quod viderint, accepiſſe teſtentur. *Quarta*, eos cæteris hiſtoricos merito anteferimus, qui ingenii ſeveritati adjunxere prudentiam & ad eligendum, & ad judicandum. Quæ lex in iis rebus locum habet, quas neque ſcriptores ipſi ſunt intuiti, nec a viris fide dignis, quod viderint, ipſi audierunt: homines enim graves & ſeveri non ſolent inanem vulgi ſermonem aucupari. Huic addo geminam aliam: unam, ſi ſcriptoris alicujus narratio conveniat cum pluribus, maxime ejusdem ævi, niſi gravis ſuſpicio accedat, eam a pluribus ex eodem fonte minus ſincero hauſtam aut deſcriptam fuiſſe: alteram, ſi in plerisque aliis, quæ narrat auctor fide dignus, verax eſſe deprehendatur, merito judicari poteſt, eum in recenſendo hoc vel iſto facto, licet prima fronte admiratione potius quam fide dignum videatur, fallere non voluiſſe, nec hominis veritatem amantis famam periculo exponere. *Quinta*, ſi cui Hiſtorico auctoritatem tribuit

Eccleſia, hic procul dubio dignus eſt, ut nos eam auctoritatem adjungamus: contra vero, ſi cui Eccleſia derogavit fidem, ei quoque nos fidem jure ac merito denegabimus. Hoc enim non facit Eccleſia, niſi re diu multumque examinata, nec absque gravium doctorumque Virorum conſenſu, accedente etiam in rebus fidei & morum illius quam vocamus *infallibilitatis* prærogativa. His quidem tum monitis tum legibus abunde cautum eſſe veritati hiſtoricæ videri poſſet. Sed ut imbecillis eſt humanæ mentis conditio, nimis quam verum experimur dictum Vopiſci, qui & ipſe non ignobilis hiſtoricus erat, nempe *nullos non hiſtoricorum aliquid mentiri: alios imbecillitate, alios ſtudio fallere.*

XXVI.

Hæc de veritate, ad quam Hiſtoricus non minus ac magnes ad polum reſpicere ſemper debet, ſatis certa ſunt. Gravis tamen inter ipſos ſcriptores lis exoritur, an conjecturis quoque ac propriis judiciis in hiſtoria locus ſit concedendus. Sunt non pauci, qui hoc inficiantur. Ajunt enim, hiſtoriam finiri, quod ſit rerum geſtarum commemoratio, non vero commentationum, conjecturarum, ac divina-

tio-

tionum, quibus non raro scriptores factorum seriem involvunt atque impediunt, quo minus veritas in eo, quem amat, simplici vestitu compareat: porro historiæ finem esse, ut posteri non tam præceptis morum palam, quam Majorum exemplis tacite erudiantur ac informentur; secus historiam degenerare in Philosophiam moralem, aut etiam in Poesin. Unde Aristoteles (f) hoc discrimen statuit inter Historicum & Poetam, quod hic qualis debuerit esse Alcibiades, ille qualis omninò fuerit, describat. Verum sunt alii, qui ejusmodi conjecturis atque judiciis, quæ narrationibus suis interserere solent Historici, patrocinium indulgent. Nam inprimis se causamque hanc tuentur auctoritate Polybii, Livii, Taciti, aliorumque historiæ principum. Tum vero inquiunt, sine his condimentis insipidam reddi narrationem, & ab Annalibus parum vel nihil differre, si res gestæ veluti nude narrentur, immo ut ait Polybius (g): *ab historia si quis auferat quare, quomodo, quo fine, id ludicrum magis erit, quam doctrina*. Hanc enim quis nescit esse finem historiæ, nunquam tamen obtinendum, nisi consilia & caussæ eventuum adferantur,

(f) *In Poet.* (g) *Lib. 3. hist.*

tur, & judicia tanquam notæ quædam vel sapientiæ vel temeritatis in agendo a scriptore adponantur: & si Philosopho uti quandoque licet exemplis, quod Historicorum est, cur non etiam Historico fas sit, uti morum præceptis, quod est Philosophorum? Audita sic utraque parte mediam tenere viam juvat. Non equidem omnes conjecturas atque judicia exulare ab historia debere censeo: duo tamen erunt diligenter observanda. Primum est, ut perparce ac verecunde inspergantur; alias lectoris mentem a susceptæ semel narrationis serie non sine fraude aliqua avocabunt, quod potissimum fit longioribus & minus oportunis, quas vocant, digressionibus: alterum est, ut ex ipsis rerum gestarum visceribus eruantur, ad quod opus est magno consilio, nec mediocri studio. Secus odiosa erunt hæc & similia historiæ emblemata, maxime si judicis partes occupare velle videatur historicus a quo testimonium exspectatur, non judicium, sed hoc permittere oportet ipsis lectoribus, qui si sapiant, longe certius atque gratius sua cum alienis factis ac moribus comparando salubria deducent documenta, quod plerique ita sint constituti, ut libentius a se, quam ab aliis admoneri se sustineant. Hoc certo nos docent præ-

clara

clara illa historiæ lumina; de quibus dictum est, qui caute admodum, moderate, ac opportune de suis opinionibus aliqua adjecerunt, aut aliqua solum, & velut aliud agendo insinuarunt, relicta lectoribus judicandi potestate.

XXVII.

Jacto fundamento ad ipsius fabricæ constructionem pergamus. Hanc autem licebit addiscere ex præstantibus Architectis seu Auctoribus, qui certam methodum, certasque leges circa negotium istud præscripsere. Primus esto e priscis Halicarnasseus, cujus informationem a Jano Grutero suæ Polyantheæ insertum in compendio heic dabo. Historicam narrationem, inquit Halicarnasseus (h), perpetuo velut filo ductam & colligatam esse oportet, præsertim ubi res exponuntur & multæ, & hujusmodi, quæ cognosci ac percipi haud queant, si per ambages eatur. Laus vero non minima in bene ordinanda historia est sita, si & principium, quo aliud prius non sit, capiatur, & eo fine, cui nihil deesse videatur, comprehensa narratio terminetur. Porro ex officiis, quæ historiam scribenti incumbunt, illud primum esse puto, immo etiam necessarium, ut

(h) *De Judic. Hist. Thucyd. c.* 10. *&* 11.

ut qui res hominum gestas annalium monumentis mandare studet, materiem eligat pulchram & jucundam, verbo talem, quæ animos legentium voluptate adficiat, atque perfundat. Secundum munus esse credo, ut qui facta illustria ad posterorum memoriam transmittere volet, antea probe perspiciat, unde principium ducendum, & quousque progrediendum sibi sit, ne narratio extra orbitam saltet, sed intra debitos limites se se contineat. Tertium, perpendere diligenter ac maturo judicio secernere tum ea, quæ in historiam referenda sint, tum illa, quæ silentio præterire oporteat. Quartum, quod historico curandum est, materiæ jam præparatæ partitionem esse judico, scilicet ut unumquodque eorum, quæ exponuntur, suo loco collocetur, ne vel eandem rem sæpius repetere sit necesse, vel posteriora prioribus male cohæreant. His accedere debet animus scribentis a sinistris adfectionibus aut a præjudicatis in hanc illamve partem opinionibus plene liber, quod nisi fiat, præsens periculum est corrumpendæ veritatis. Denique squallidam & incomtam aut rudem in historia tractanda orationem non probo, sed talem, quæ Poeticum quid habeat, neque vero omnino Poetica sit, paullo ta-

men

men extra communem usum evagetur. Ita Hallicarnasseus, scriptor & vetustate & eruditione insignis, qui quæ hactenus a me latius explicata fuerunt, mire suffragio suo antiquissimo confirmat.

Audiamus modo & Lipsium, Virum in omni genere literarum eruditissimum. Hic ad historiam legibus conformem tres notas requirit: *Veritatem, Explanationem, & Judicium.* Prima nota est, ut res eventusque sincere atque ex veritatis præscripto sine fuco narrentur, nec vanis rumoribus aut meris conjecturis locus tribuatur. Nam quemadmodum si alicui eruantur oculi, reliquum corpus nulli usui est, sed huc illuc vacillat, ita si veritas dematur historiæ, ubique hallucinabitur & errabit. Veritas enim teste Halicarnasseo *principium est & prudentiæ simul & sapientiæ.* Altera seu explanatio, nimirum ut res, quæ narranda suscipitur, non solum fideliter referatur, sed etiam debito ordine disponatur, exponaturque ut non tantummodo casus & eventus rerum, sed ratio etiam caussæque noscantur. Hæc si auferantur ex historia, quidquid in ea reliqui, id Polybio teste *ludicrum magis erit quam doctrina.* Tertia denique nota est, ut discrimen lumenque rebus adhibeatur; quod fiet, si maturo

con-

consilio & loco opportuno, caute tamen casteque, ut monui, historicus judicia sua interserat, quibus illa probet, ista damnet. Quippe praecipuum hoc munus Annalium esse ostendit re ipsa Tacitus: *ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate & infamia sit metus.*

XXVIII.

Idem argumentum tractat Rapinus noster nobili quodam, ut solet, spiritu ac methodo. Initium ducit a scribendi ratione, quam sectari debere quemlibet contendit talem, quae seculi illius, quo scribit, gustui ac populorum, quibus scribit, genio quam maxime respondeat, & satisfaciat. Quum tamen non solum praesentibus placere necessum sit, sed etiam posteritati; quae judex esse solet eo magis delicatus & incorruptus, quo remotior est a praejudiciis priorum temporum, nec nisi veris meritis suam indulget adprobationem, ideo viam monstrat promerendi suffragium quoque posteritatis, proferendo dotes, quibus tum Scriptoris animus, tum ipsum scribendi genus praeditum esse debet, scilicet *integritatem sermonis, nobilitatem, prudentiam,* & *simplicitatem.* De prima dote jam abunde dictum, *Cap. III.*

III. num. XXIII. Nobilitas est character Historici, quem meminisse oportet, quod toti mundo, & non uni tantum, sed longe pluribus seculis scribat, & veluti loquatur Regibus, Principibus, Grandibus, doctis & eruditis variarum nationum & ætatum, atque ut ita dicam, præceptorem agat totius generis humani. Hanc autem nobilitatem adsequetur, primum si adsuescat nonnisi magnas animo concipere ideas de illis, quæ narranda judicandaque occurrunt: dein si humilem dictionem, nimisque familiarem deponat, ut respondeat dignitati rerum dignitas sermonis, quo illas exprimit: demum si studeat per selectionem verborum pondus addere cogitationibus, & vim quandam ac fortitudinem narrationi, solicite investigando promendoque, quidquid characterem granditatis inprimere potest rebus dicendis. Paucis hanc dotem complectitur, dum (i) ad eloquentiam in historico requirit, *ut sit magna, non nimia, sublimis non abrupta, fortis non temeraria, severa non turgida,* verbo, ut sit nobilis, non plebeia. Hac virtute historica inter Græcos Thucydides, inter Latinos Titus Livius eminuit, qui fere soli pares fuerunt sustinendæ æquabilitatis inge-

(i) *Lib.* 12. *c.* 10.

ingenium inter & stilum, quin ullibi in mediocritatem aut humile quid inciderint. Prudentia, quæ tertia dos est, in eo consistit, ut intra limites materiæ ita se contineat, quin a scopo sibi præfixo usquam aberret, aut velut in via se se detineat haud necessariis nec utilibus digressionibus: ut res exponat cum quodam sapientiæ fulgore, retinendo imaginationis ac ingenii impetus, & dissimulando artem, ubi ea maxime utitur. Nam ut ait Fabius (k) *Cura magna sentiendi & loquendi, sed dissimulatio curæ præcipua:* ut omne quod superfluit in adverbiis & epithetis, quibus res sæpissime vel minuuntur, vel augentur supra modum & meritum, generose abscindat, etsi bona & pulchra videantur; similia enim quantum splendoris tribuunt, tantum de soliditate detrahunt. *Delectus verborum habendus*, inquit idem Fabius (l) *& pondera singulorum examinanda*: ut libertatem sentiendi relinquat lectori, nec eum speciosis argumentis vel judiciis propriis tota vi in suam sententiam pertrahere velle videatur: ut nihil adferat, quo alio in loco sibi contradicat, sed verisimilitudini in omnibus studeat: ut denique res magnas, lateque patentes, quantum fieri potest, paucis explicet,

(k) *Lib.* 9. *c.* 4. (l) *Lib.* 10. *c.* 2.

cet, quemadmodum Sallustius consilia init, pugnas committit, regna subjugat mira & sermonis celeritate& energia expressionum. Tacitus quoque hac in re admiratione dignus est, quin & Livius, qui quantum in narratione abundare videtur, tantum in sensu cum judicio brevis & pressus esse deprehenditur. Excellit non minus hac in dote Mariana, cujus historia, qua res Hispaniæ universas complexus est, profecto dici potest ad posterioris ævi gloriam, & veteris invidiam esse composita. Quarta dos est simplicitas, quæ adesse censetur, quando e tota narrationis serie, e structura partium, atque ex stilo elucet naturalis quædam sinceritas & candor animi a malis adfectionibus, a præjudicatis opinionibus, a fuco faciendo alieni. Hæc ornatum admittit velut sponte venientem, non solicite quærit: judicia rebus conformat, non suo ingenio vel imaginationi: quod rectum, non incurvat, quod exiguum aut mediocre, non extollit, quod vitiosum, non dissimulat vel excusat, ita ut res gestæ sicut in lucidissimo speculo, eoque plano, non concavo vel convexo, appareant. Atque hujus simplicitatis plerumque comes individua est veritas. Nam ut eleganter advertit Canus (m): *Mibi sane ali-*

(m) *Lib.* II. *c.* 6.

aliquando & verum ipsum in scribentis sinceritate candoreque elucet, & mendacium contra auctoris quidam angor & calliditas patefacit. His tantorum virorum Halicarnassei, Lipsii, Rapini de scribenda historia institutionibus appendicis loco addendum videtur alterius æque eximii auctoris judicium, scilicet Antonii Possevini Soc. Jesu. Hic recte sapere illos docet, qui in condenda historia, præsertim universali, a brevissimis chronicis seu chronologiis inchoandum esse suadent: Primo quidem, quia apud quos ratio temporum non cohæret, apud hos nec veritatis nec historicæ fidei ratio ulla potest constare. Etenim ignorata rerum origine atque progressu certum est, mentem ceu navim hac illac fluctuantem, & scopulis illisam aut naufragium pati, aut ad portum veritatis ægerrime, ac nonnisi aliquando casu appellere. Deinde, quoniam eædem chronologiæ tanquam exemplar aliquod atque idea sese legentium oculis offerunt, ut ad earum partes queat aptari, quidquid deinceps vel fusius de gestis ab orbe condito, vel de singulis quibusque provinciis, aut Imperiis, Regnis, Rebuspublicis, Dynastis &c. scriptum est. Quæ duæ caussæ fuerunt, cur tantopere suaderent antiqui, & horum

po-

posterì, ut certam chronologiam sive chronographiam tenerent.

§. II.

Observanda in lectione historiæ.

XXIX.

Non omnibus datum est adire Corinthum, nec omnibus scribere historiam: longe plures sunt, qui vel temporis fallendi caussa, vel præclaris majorum exemplis mores & animum informandi studio Historicorum lectioni se se addicunt. Et hi opus habent præceptionibus ad ejusmodi lectionem utiliter & cum fructu instituendam, ne certa methodo destituti post multas longasque circuitiones oleum & operam perdant. Primum, quod hoc in negotio monendum occurrit, est, ne qui ad exactam historiæ notitiam aspirant, quamdiu sunt Canditati hujus artis, ne inquam per vasta scriptorum volumina evagentur: Sufficit his, si rudem quamdam universæ historiæ ideam initio sibi forment vel proprio marte, vel alieno ductu, præcipua duntaxat rerum in orbe gestarum capita, in suas divisa epochas & chronologicis notis rite distincta complectentem; quem-

admodum Geographiæ tyroni, si totum terrarum orbem in celebriores solummodo partes distributum oculis in exigua charta subjiciat, antequam insigniores provincias & latissima regna amplioribus in Tabulis designata percurrat. Hac enim ratione fiet, ut quæ post sedulo exactum hoc tyrocinium legerint, ut ut multa & varia, ea omnia continuo suum ad locum, tempus, & seriem levi brachio revocare queant, qua re nihil seu ad memoriam perficiendam, seu ad studium rite ordinandum magis conducit. Tum jacto veluti fundamento ulterius progredi & licebit, & oportebit ad delectum inter scriptores faciendum, cui primum, cui postea legendo dare operam velint, ut pleniorem hauriant notitiam etiam rerum singularium ad universam historiam pertinentium, qui delectus eo majore cura est instituendus, quo magis discendi tempus breve est ac fugax, ne in supervacaneis, & non raro noxiis quoque consumatur. Demum non contenti legisse multa, & memoriæ mandasse, assuefaciant se etiam formando justo super ea judicio, & percipiendo exinde quam fieri potest maximo sive ad ingenium acuendum, sive ad mores excolendos emolumento. Et quoniam sine auctoritate nihil hac in re dicere de-

crevi, Justum Lipsium produco, qui Nobilem Adolescentem Nicolaum Hacquevillium in addiscenda historia ita instruit (n). Ecce compendium compendii.

Primo dividit historiam in *Naturalem*, & *Narrativam* (cujus vocis parum latinæ veniam petit auctor). Prior est illa, quæ naturæ faciem & facta revelat, id est, rerum, stirpium, animalium ingenia, proprietates, vires tradit. Hujus monumenta nobis reliquerunt Aristoteles, Theophrastus, Ælianus, Plinius, aliique quos ævum nobis subduxit. Posterior quæ res gestas actionesque prodit sive sacras sive profanas. Atque hinc ob duplicem hanc materiem duplex est, scilicet *Divina* & *Humana*: illa quæ Religionem, aut quod adhæret, tangit: hæc quæ res plurimum actionesque humanas. Quodsi humana singulorum res, vitam, virtutes, vitia recenset, *Privata*, si res publice gestas cum plurium commodo vel damno, *Publica* dicitur. Naturalis historia scientiam: Narrativa divina religionem: humana prudentiam docet.

Secundo facta hac divisione ac prætermissa Naturali ad Narrativam, utpote quæ proprie historia est, & hoc nomine venit, pro-

(n) *Centur*. 3. *Miscell. epist*. 61.

progreditur. Huic præmittendam esse monet Geographiam & Chronologiam: illam ut locorum, regionum, fluminum, urbium &c. notitia aliqua, communis duntaxat, nec adeo exacta comparetur: hanc ut temporum, quibus quæque res gestæ sunt, ac periodorum. Porro Divina alia est vetus seu *Judaica*, quam e libris sacris haurire licet: alia nova & *Christiana*, quam olim Eusebius & Sozomenus, nunc summa diligentia Cæsar Baronius pertractat. Est & *Miscella* religionis historia, ut Mahumetanæ, Sinensis, Indicæ, quæ magnam orbis partem a multis jam seculis obtinent.

Tertio, a divina ad humanam pergit Auctor, eamque primo in publicam & privatam, uti dictum est, partitur: publicam vero, de qua præcipue agitur, in *Orientalem*, *Græcam*, *Romanam* & *Barbaram*. Prima res prisci orbis habet, & Judæorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Syrorum, Persarum, reliquæque Asiæ memoranda, & nobiliores eventus sistit, petique potest a Justino breviter, uberius ab Herodoto, Diodoro Siculo, Polybio, Plutarcho, Zonara, aliisque. Altera Græcam, in qua Spartanorum, Atheniensium, Thebanorum, præcipue Macedonum gesta e Thucydide, Plutarcho, Arriano, & Q. Cur-

tio

tio intelligi possunt. Tertia Romana, in qua miram eventuum & facinorum insignium ubertatem est reperire, a pluribus scriptoribus illustratam. Nam *Græci præceptis valent*, ait quispiam, *Romani exemplis*. Hæc ipsa trifariam dividitur: in Veterem, Mediam, & Novam. Vetus a Regibus & Urbe condita extendit se ad Augustum usque, numeratque scriptores Græcos & Latinos: Dionysium Halicarnasseum, T. Livium, Polybium, Plutarchum, Appianum, Compendia Velleii, Flori, Eutropii, Orosii, & Fastos Romanos a Carolo Sigonio editos: Media immutatum Reipublicæ Statum, ac dominantem Principatum complectitur, gaudetque scriptoribus Latinis: Tacito, Suetonio, Ammiano, Spartiano. Græcis: Dione Cassio, Zonara, Herodiano, Sex. Aurelio Victore, Eutropio, Onuphrio Panvinio, fastos ab Augusto ad Justinianum industrie adornantibus: Nova denique reliquum tempus usque ad Sedem Imperatoriam Byzantium translatam continet, cujus scriptores fere Græci sunt: Zonaras, Zosimus, Procopius, Agathias, Nicetas Choniates, Nicephorus, Gregoras, Michael Glycas &c. Quarta historia est Barbarica, quando scisso fractoque Imperio major pars ad Gallos, Germanos, Turcas

ivit, & alternatim hucusque mansit. Nam Gothi, Hunni, Vandali, Scythæ, aliaque nationum fæx heic non includuntur, sed partim in Media, partim in Nova Romana inserti leguntur. Hujus autem historiæ scriptores sunt vere barbari ipsi, quique barbare scripserunt, tum Germanici, tum Gallici, tum Britanici, in unum corpus non ita pridem collecti: Pithæus in Annalibus, Carolus Sigonius de regno Italiæ, Leonclavius, & Chalcondylas de rebus Turcicis & Græcis, Guilielmus Tyrius aliique de transmarinis insulis.

Quarto, exclamat heic Lipsius: Hem! quanta materia, & quæ sylva! quæritque, quis ingredietur sine errore, & egredietur? Respondetque, qui ordine insistet, qui industriam & curam adferet. Ordine inquam inprimis opus, & ne confusa & vaga lectio sit, aut desultoria & interrupta. Hoc plerisque evenit, & velut ex equo in equum se trajiciunt, ab hoc scriptore in alium, ab isto argumento in illud. Quo fructu? momentaneæ voluptatis, & ut tempus suum, immo & se fallant. Atque hujus ordinis exemplum profert Auctor, quod sequitur: Ecce Romam veterem, ait, legere decrevi. Ordiar ab universali aliqua notitia, & compendium Flori aut Eutropii præmittam.

Tum

Tum a capite, & ab ipso Livio: cui Dionysium adjungam & Polybium, Plutarchum & Appianum: sed quemque in consimili argumento. Quum hunc locum peregero, ad Mediam Novamque veniam, & constantia eadem peragrabo. Et de ordine facile est, atque animi tantum decreto opus: Cura plus habet operæ, & in ea est omnis legentium fructus. Duo in hac specto, sive exigo: Attentionem & Electionem. Quum legis, non suspensum aut attonitum te habeat tantum novitas aut magnitudo eventuum: insiste, inquire, cui rei hoc facere possit, & ecquem usum sui præbere. Mora heic aliqua inter legendum, & tarditas requiritur, fateor: sed nimirum, quæ veteri dicto consonet: Nulla res potest esse eadem, festinata simul & examinata: nec esse quidquam omnium, quod habeat laudem diligentiæ, simul & gratiam celeritatis. Tarda igitur, & quære: quum reperisti, tum sit Electio, id est, ut stilum capias & excerpas, & velut annonam in horrea quædam reponas.

Quinto, tum pergit Auctor distinctam dare notitiam de Adversariis seu libellis, in quæ memoriæ gratia referantur ea, quæ notatu digna videntur. Jam ante, inquit, libri sint parati, meo judicio

quatuor, in quos, quidquid eligis, conferas & tuto deponas. Libri autem isti totidem titulos habeant rerum, quas præcipue in historiis notes: *Memorabilium*, *Ritualium*, *Civilium*, *Moralium*. Per memorabilia designo res magnas, & cum admiratione aut motu legendas sive audiendas, ut est notabilis potentia alicujus Regis aut populi, Opera, vel Opes, Prodigia, & novi aut insoliti eventus, uno verbo, quidquid non obvium, & magnitudine vel raritate se commendat. Per Ritualia, quæ pertinent ad instituta ritusque veteres, sive quos in publico, sive in privato usurpabant, & ab ea notitia seria omnis intelligentia dependet veterum Scriptorum. Tales autem sunt singulari titulo singuli in adversariis adnotandi: sunt inquam vel sacri, ut Dii, eorumque nomina, insignia, munia, cultus & templa, sacerdotes, sacrificia, ceremoniæ, verba solemnia, seu formulæ precationum &c. vel profani, ut Magistratus, militia, provinciæ, præfecturæ, officia, leges, judicia, nuptiæ, funera, balnea, convivia, vestes, numi &c. Per Civilia, quæ ad vitam & regimen commune faciunt, ut status Regum, Optimatum, populi, ubi non solum sententiæ, sed etiam exempla notatu dignissima occurrunt.

Per

Per Moralia, quæ privatim ad nos & vitam formandam conducunt, virtutibus amicam, a vitiis alienam, ut affectus & cupidinum stirpes, spes, metus, gaudium, dolor, moderatio adfectionum, quas passiones vocant, vita beata, regulæ prudentiæ, ars regendi, & quidquid in Ethicis sedem suam habet.

Quinto, denique concludit informationem suam historicam Juveni Nobili datam Lipsius his verbis, & stilo, ut solet, Laconico: „ Quid est? tam varia, tam mul-
„ ta? inquies. Nihil est, immo incre-
„ dibile, quam cito hæc suscipiantur, &
„ fiant, si tenor & constantia sit, & quis-
„ que dies opus suum probet. Trienii
„ res: non diu te differo: mihi si olim
„ talis monitor, vel citius absolvissem.
„ Cogita te in ipso flore ævi, & corpus
„ labori, animum intentioni ferendæ esse:
„ quid cessamus:

Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patiuntur atra.

Hæc de ratione legendi historiam universe.

XXX.

Jam ut de variis classibus Lectorum singillatim, sed paucis differam, eorum quatuor sunt: Aliqui qui Politicum amant, & in pretio habent, iisque inhiant histo-

riis

riis legendis, quæ præcepta, consilia, & gubernationem politicam tangunt. Sunt alii, qui ex Historicorum lectione in militari disciplina erudiri vehementer desiderant. In utraque hac classe non defuerunt olim magni Principes ac Belliduces, quibus hoc informationis genus plurimum profuit, quique magnam seu in re politica, seu in arte militari famam sibi compararunt. Porro sunt quidam, qui absque certo ordine aut methodo diversis historiis, velut bona fortuna obviam sibi factis delectantur, & ubique eruditionis aliquid instar apum colligunt, atque comportant in doctrinæ suæ alvearia, Polyhistores dicti. Demum sunt, qui vel Universæ historiæ, vel certe Græcæ aut Romanæ, vel utriusque magno tenentur desiderio. Ad primam classem quod adtinet, poterunt illi complura principia, & insignia facta Politica invenire in Polybio, Thucydide, Plutarcho, Sallustio, ac Curtio, quem postremum Lipsius e Principum manibus nunquam dimittendum asserit: & e recentioribus, in Mariana & Wagnero, qui egregiis quæ dant documentis, Reipublicæ rite administrandæ plurimam lucem adferunt: in Tacito tamen non pauci corruptos Politicæ fontes criminantur, e quibus Machiavellus, Scipio

pio Amiratus, aliique Pseudo-Politicorum venenata dogmata sua hausisse videntur. Alterius classis hominibus militarium artium studiosis adprime serviet lectio ejusdem Polybii, e cujus bellica disciplina Scipio Carthaginis & Numantiæ eversæ fama celeberrimus prodiit: item Thucydidis ac Xenophontis, de quibus dubium est, an calamo vel gladio, quem ipsi bellicis expeditionibus præsentes strinxere, magis inclaruerint, tam boni scriptores quam milites: non minus Julii Cæsaris, Quincti Curtii, Famiani Stradæ & Wagneri, celebrium prioris & hujus ævi Historicorum Polemicorum. Illis, qui tertia in classe sunt, magnam subministrabunt eruditionem simul & oblectationem e Græcis Herodotus, Diodorus Siculus, Plutarchus, Diogenes Laertius &c. e Latinis Livius, Sallustius, Cornelius Nepos, Mariana, Maffeius, qui & rebus, quas narrant, & stilo, quo scribunt, plurimum se commendant. Qui quartam classem constituunt, Historiæ universæ e Diodoro Siculo, Justino, Ottone Frisingensi, Gilberto Genebrardo, Brietio, Tursellino &c. Græcæ vero ac Romanæ ex Herodoto, Plutarcho, Xenophonte, Livio, Sallustio, Floro, Photio &c. notitiam omnino copiosam sibi poterunt comparare.

CAPUT

CAPUT V.

HISTORIA SACRA.

§. I.

Studium Sacræ Historiæ.

XXXI.

Peculiarem ſibi locum ac pertractationem jure poſcit Hiſtoria, quam ſacram nuncupamus. Ineſt enim huic character quidam proprius, ac longe diverſus ab iis, quibus aliæ quæcunque hiſtoriæ inſignitæ ſunt, characteribus. Nam ſublimior eſt cunctis, & divinum quid præſefert, ſiquidem dum profanæ reliquæ nonniſi rerum ab hominibus geſtarum curam habent, & eventus nobis narrant mundi hujus vanitate plenos, ſæpe incertos, & ſubleſtæ fidei, aut omnino figmentis adnumerandos, hæc ſacra agit de Deo O. M. rerum omnium Auctore ac Principio, manifeſtat illius perfectiones infinitas, Potentiam, Sapientiam, Providentiam, Juſtitiam &c. & quamvis iſtæ nullo ſenſu a nobis percipi queant, tamen eas facit ſenſibus obnoxias per tot effecta

&

& opera ſane ſtupenda, quæ mille modis & maximo cum ſplendore ſe produnt in hac mundanarum rerum univerſitate. Eſt enim mundus liber ingens & antiquiſſimus, in quo mirabilia omnia quaſi digito deſcripſit Deus, & e quo ſingula quæ complectitur, velut exſcribit Sacra Hiſtoria; neve unquam hominum animis excidant, literis & figuris expreſſa ad omnem poſteritatem transmittit. Quid ſublimius, quam vel ipſum Sacræ Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti exordium, in quo tribus verbis: *In Principio creavit Deus cælum & terram* unum eſſe Deum, hunc ante omnia fuiſſe, atque ita æternum; ipſius opus eſſe mundum e nihilo formatum luculenter docemur? Quid admirabilius, quam ſimile Ptoœmium ejusdem Hiſtoriæ Novi Teſtamenti, quod D. Joannes conſcripſit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. . . . & Verbum caro factum eſt*, ubi paucis æterna Chriſti ſecundum divinitatem, & temporalis ſecundum humanitatem generatio, ac eadem Filii Dei cum Patre eſſentia magnificis ſane verbis exprimitur. Præmiſſis hujusmodi exordiis ad mundi fabricam progreditur, & diviſo in ſex dies labore grande hoc Divinæ Potentiæ opus dilucide explicat,

nem-

nempe natales mundi, e primo chao seu materia e quatuor elementis compofita furgentis, atque e tenebris, quibus fepultus jacebat, in lucem educti: divifionem elementorum, congregationem aquarum; Solis, Lunæ cæterorumque fiderum fufpenfas in cœlo faces, foecundatam a Deo terram, herbas, flores, plantas, arbores, omnisque generis animalia, feu quæ aerem, feu quæ aquam, feu quæ tellurem inhabitant, mira varietate procreantem. Tum de creatione ipfius hominis agit, propter quem mundus creatus eft, exhibetque nobis egredientem de manu Dei Conditoris fui, quæ corpus e limo formavit, ut homo infirmitatis fuæ meminiffet, animam vero e nihilo creavit ad imaginem & fimilitudinem fuam, ut divinitatis quandam quafi particulam effe fe intelligeret, utpote merum fpiritum, intellectu & voluntate præditum, ac immortalem: utrumque autem, fcilicet corpus & animam hominis tam arcto fœdere conjunxit, ut eodem fub tecto viventes nonnifi morte ad tempus feparari queant. Porro naturæ humanæ tum integræ tum lapfæ ftatum depingit, nimirum felicem hominis creati, & in paradifo collocati conditionem, ubi innocentiæ ac juftitiæ ftola

la ornatus summa pace ac omni voluptate fruebatur, & animalium & adfectionum suarum Dominus: At mutata mox scena tristem lapsum repræsentat, qui pravarum cupiditatum seditionem, famem, pestem, bella, morbos, omne calamitatum genus, ipsamque mortem temporalem primi hominis totiusque posteritatis post se traxit, tracturus etiam æternam, si non ineffabili consilio ipse Dei Filius e sinu Patris in terras descendere, ac carnem humanam indutus pro reo genere humano divinæ justitiæ satisfacere, seque victimam offerre decrevisset, id quod tot Patriarcharum oraculis, tot Prophetarum prædictionibus, totque hominum justorum figuris ac symbolis humano generi ad usque ipsum Messiæ adventum in terras annunciatum fuit. Præterea eventus nobis narrat omnem humanam fidem excedentes, si non divino testimonio forent confirmati: vindices aquas totum orbem inundantes, subductas exitio humani generis reliquias in arca Noemica: Turrim Babel, linguasque gentium confusas: incendium Sodomæ, aliarumque civitatum, & uxorem Loth in statuam salis conversam: Abrahamum a Deo jussum immolare filium suum: Josephi mirabilia fata, & innocentiæ triumphum: Mosis, populique sicco pede tran-

ſitum per mare rubrum, ac demerſum Pharaonem: Iſraelitarum iter per deſertum tot prodigiis illuſtre: Judicum, ut Joſue, Gedeonis, Samſonis, Samuelis &c. facta naturæ viribus majora: Jobi patientiam coronatam, Amani faſtum depreſſum, Tobiæ ſenioris & junioris pietatem, Judithæ de Holoferne triumphum: Regni Iſraelitici initia & fata: Davidis cum Goliatho certamen, Abſolonis interitum, Salomonis ſapientiam & Judicium: Templi Solymæi ſtructuram: regni diviſionem: Prophetarum Eliæ & Eliſæi, Jonæ aliorumque patrata miracula: ſeptuaginta annorum captivitatem: Danielis vaticinia de quatuor Monarchiis: Nabuchodonoſoris in beſtiam metamorphoſin: Antiochi tyrannidem: Machabæorum fortitudinem. A Veteri Teſtamento ad Novum progreditur Sacra Hiſtoria, in eoque proponit grande myſterium Verbi caro facti, ac virgineos natales: Chriſti vitam ſanctitate ac prodigiis plenam: mortis quam in cruce obiit, ignominiam: reſurgentis ac cœlum conſcendentis gloriam: Apoſtolorum labores, & Evangelii per totum mundum promulgationem, totque inter inſidias, tormenta, & tyrannorum ſævitiem feliciſſimam propagationem. Demum exhibet Chriſti regnum,
hu-

hujus sanguine ac morte fundatum, sanctissimis legibus & miraculis stabilitum, ac perpetuo duraturum, quod est Ecclesia, quam inchoavit in terris, & aliquando transferet in cœlum, tanquam locum suæ originis & habitationis æternæ, ut ait Apostolus (o). En! Synopsin Sacræ Historiæ.

XXXII.

Jam vero nihil simile exponunt nobis aliæ, quas tam avide legimus, historiæ: sed si Fabulosam consulimus, ea Deam Cybelen falsorum Deorum matrem, Jovem cœli terræque Dominum, Neptunum maris, Plutonem inferorum Regem, aliosque inter silvas & quercus natos, nec sine deabus vivere assuetos Deastros, ut vocant, nobis repræsentat, diviso, quod uni debetur, in plurimos mundi regimine: Multa fabulatur de primo chao, de Prometheo, quem primum refert finxisse ex luto simulacra, quæ postmodum furto ablata e sole flamma animaverit: de Deucalionis diluvio, & natis e lapidum acervo hominibus: de Gignantibus Terræ ac Titanis filiis, qui congestis montibus ad cœlum usque penetrarunt, ut Jo-

(o) 1. *Cor.* 15.

Jovem inde deturbarent, deque aliis similibus insanientis phantasiæ commentis, quibus sacram historiam in fabulam migrare jusserunt. Si magis veracem lustremus Historiam seu Græcæ Romanæque Reipublicæ, seu quatuor Monarchiarum, quid inveniemus, nisi pauca quædam simulacra virtutum, & mille vitiorum monstra? In Græcia quidem Poetas mendacissimos, ac veritatem innumeris fabulis polluentes: Sophos superbia turgidos, & pravis cupiditatibus honestatis larvam obducentes: Legislatores æquis iniqua miscentes, ac tyrannico regimini aperte satis faventes: in Romana Republica homines primum latrociniis deditos, qui ne quidquam iniqui regno suo deesset, etiam Virgines e Sabinis rapuerunt, futuras sibi uxores: tum illata vi vicinos agros depopulantes: demum junctis fœderibus, immissisque coloniis per fas & nefas totum pene orbem sibi subjugantes. Heroica ipsorum facta nil nisi vanæ gloriæ trophæa, & simulatæ æquitatis umbræ fuerunt. In Monarchiis vix aliud reperire est, quam dominandi libidinem, & crudelitatem in Regibus, in Dynastis luxum & mollitiem, in subditis omne genus fraudum, moresque densa barbarie obsitos.

Nihil

Nihil autem magis elucet e Sacra Historia, quam grandis illa & admirabilis cura supremi Numinis, quam veræ Ecclesiæ formandæ, conservandæ, ac propagandæ omnibus seculis adhibuit. Adamo & Patriarchis vivam fidem inspiravit in Jesum Christum, Messiam venturum, utpote sine qua nec in veteri Testamento æterna salus obtineri poterat. Noemi familiam diluvio subtraxit, ut per has humani generis reliquias religio propagaretur; Prophetis & suo & Angelorum ore Religionis mysteria sacratissima, arcanaque consilia revelavit, ut ea Regibus & populis palam annunciarent; ipsemet Deus Mosi non solum legis tabulas seu Decalogum consignavit, sed etiam sacrificia, & ritus, totamque Templi Solymæi fabricam, sacram supellectilem, festa & ceremonias Salomoni dictavit, & tot prodigiis sibi populum electum formavit. Hæc in Lege Veteri: in Nova remotis umbris & figuris, dispersisque tenebris clarissima *lux in mundum venit, illuminans omnem hominem* Christus Jesus Dei Filius. Hic abrogatis Testamenti antiqui legibus aliam religionem, aliamque Ecclesiam instituit, quam doctrina longe sublimiore, & sanctiore, omnemque mundi sapientiam supergressa erudivit, *infirma mundi eligens, ut confunde-*

ret fortia: quam ſudore, quin & ſanguine ſuo copioſe irrigavit, futuram tot Sanctorum, tot Virginum, tot Martyrum matrem fœcundiſſimam: quam innumeris prodigiis & gratiis illuſtravit, ubique *pertranſiens benefaciendo & ſanando omnes:* cui ſumma fidei myſteria revelavit obſcuris antea ſignis & ſymbolis involuta, & ſacramentorum a ſe inſtitutorum diſpenſationem commiſit: quam denique perpetua ſuccedentium ſibi Rectorum ſerie in D. Petro tanquam firmiſſima petra ſtabilivit, ad finem usque mundi duraturam, adverſus quam *nec portæ inferi prævalebunt.* Hæc & plura clare ſimul & ſplendide nobis narrat Sacra Hiſtoria. Quid vero profana? Superſtitionibus, idololatricis ceremoniis, impiis ſacris recenſendis intenta eſt: Sapientum inanem & faſtuoſam doctrinam jactitat: fallacia Politices dogmata vendit: hæreticorum errores & improbas ſectas recenſet: fœdera violata, cruenta bella, ſtupra, adulteria, & tragica funera commemorat, & ſi quid jucundi adfert, tota eſt immerſa mundi deliciis atque illecebris; de religione, de rebus ſupra naturam poſitis, de Deo & ultimo fine hominis, ac beatitate æterna parum vel nihil ſolicita. Patet igitur ſacræ hiſtoriæ ſublimis character, cui parem, quove

ma-

majorem nulla alia nec eminus nec cominus ostentare potest. Præter hæc & illa gaudet prærogativa, quæ historiæ præcipua est, scilicet veritate, & quidem æterna, cujus auctoritati innititur, eaque narrat, quæ Spiritu Sancto vel dictante vel adsistente a sacris Deo hominibus, a Prophetis, Apostolis & Evangelistis tradita fuerunt, ita ut nulli fabulæ, aut mendacio, ne quidem dubio alicui locus esse possit, dum contra aliæ historiæ humana duntaxat fide tueri se possunt, non raro etiam commentis scriptorum, falsis aut incertis rumoribus, & male cohærentibus judiciis obnoxiæ sunt. Quam male itaque agitur præsertim cum juventute, si eam sinamus ignorare talem, tantumque thesaurum, qualis est notitia Sacræ Historiæ, quæ & sua antiquitate, & magnitudine ac varietate factorum, & arctissimo fœdere, quod illi cum religione nostra intercedit, se se commendat? Quapropter a longiore jam tempore Societas Jesu morem in Gymnasia sua introduxit, ut primo statim anno cum linguæ latinæ elementis Sacra quoque Historia, quantum fert ætas illa, e libello typis impresso addiscenda præbeatur, proposito etiam in communi certamine victori præmio.

§. II.

Observationes ad Historiam sacram.

XXXIII.

Ut autem nobile hoc studium majore cum utilitate ac fructu peragatur, visum est addendas quasdam esse observationes, quibus illud mirifice illustratur. *Inprimis* neutiquam eo ad id consilio accedendum est, ut mens curiosa mirabilibus, quæ occurrunt, factis & eventibus pascatur, aut memoria duntaxat in rerum illarum serie percipienda excolatur, sed ut animus se diligenter reflectat tum ad ea, quæ ad religionem, tum ad illa, quæ ad mores pertinent: Neque solum intelligere oportet, sed etiam investigandus est sensus & spiritus, qui latet, mysteria & facta veteris Testamenti comparando cum illis, quæ in Novo continentur. Sic ex obedientia Abrahami, filium Isaac jam jam immolantis, ratio per fidem elevata nos deducit ad agnoscendam immensam Dei Patris in nos homines charitatem, qua filium suum unicum pro salute nostra victimam dedit: sic serpens æneus a Mose in deserto e crucis trabe suspensus, ut plagas populi sanaret, repræsentat nobis mortem, quam ad nos redimendos a stygii

gii serpentis morsu, peccato nimirum originis, quin & pro totius mundi peccatis optimus Servator obiit: Sic in Jonæ fato, qui tribus diebus in ceti ventre sepultus jacuit, tum vero vivus ex illo prodiit, Christi sepulti ac triduo exacto gloriose resurgentis myrium edocemur. *Alterum* est, ut bonus ordo & methodus tum in legendo, tum in docendo observetur. Nimirum probe distingui debent facta, & personæ, tempora & loca, ad quod plurimum conferunt duo illi historiæ oculi Chronologia & Geographia. Multi sacram historiam in septem mundi ætates distribuunt, quarum primæ titulum imponunt *Creatio*, secundæ *Diluvium*, tertiæ *Vocatio Abrahæ*, quartæ *Lex scripta sub Mose*, quintæ *Templum Salomonis*, sextæ *Cyrus* seu populus Dei e Babylonica captivitate in libertatem restitutus, septimæ *Lex gratiæ*, seu nascens Christi Ecclesia. Primæ ætati tribuunt annos 1656. secundæ 426. tertiæ 430. quartæ 500. quintæ 474. sextæ 538. septimæ annos 312. usqne ad Constantinum M. Alii distinctius eandem historiam dividunt in Epochas novem, quarum primam ducunt a condito orbe ad Diluvium; secundam a Diluvio ad Abrahamum; tertiam ab Abrahamo ad Mosen, & egressum ex Ægypto: quartam a Mose

& Exodo usque ad Josue & Judices: quintam a Josue ad David Regem: sextam a Davide ad divisionem regni Israelitici sub Roboamo & Jeroboamo: septimam ab his usque ad captivitatem babylonicam: octavam a solutione hujus captivitatis ad Christi adventum: nonam ab hoc usque ad pacem nascenti Ecclesiæ post innumeras Tyrannorum vexationes, & effusum tot Martyrum sanguinem per Constantinum M. redditam. *Tertio* loco observandæ sunt sedulo, notandæque consuetudines & usus peculiares populi Dei, quantum adtinet ad sacra, ad leges, ad regiminis formam, ad judicia, ad bella, ad vivendi methodum. In his enim ubique latet aliquid tum eruditionis tum imitationis. *Quarto* animadvertere oportet ad characteres Judæorum, qui ut plurimum fuerunt homines carnis operibus valde obnoxii, bonis duntaxat præsentibus inhiantes, præfidentes in exteriore legum custodia, parum de interiore animi cultu soliciti, duræ cervicis, ac toties contra Deum Deique Administros rebelles, quorum depravatæ indoli & ipsum Numen tum leges, quibus si obtemperarent terrestria bona promisit, tum pœnas, quibus non raro severissime contumaces castigabat, accomodavit. *Quinto* licet observare morem,

quem

quem in narrando tenet S. Scriptura plane admirandum. Nam grandia virtutum exempla, quæ inibi reperiuntur, suis vestita circumstantiis & ampla eloquentia explicat, quemadmodum in Penteteucho Patriarcharum egregia facta, in libro primo Regum historiam Samuelis, in secundo Davidis, in tertio & quarto Salomonis, Josaphati, Ezechiæ, Eliæ, Elisæi, Isaiæ &c. in reliquis Jobi, Tobiæ, Judithæ, Machabæorum &c. contra vero paucissimis & velut aliud agendo refert potentiam, divitias, dominationem, & facta Principum & Dynastarum, uti videre est, quando de Nembrod mentio incidit, qui duas amplissimas & potentissimas civitates exstruxit, Niniven ac Babylonem, fundavitque tam grande Imperium, quale unquam orbis terrarum aspexit. Eadem res est de reliquis Monarchiis & Monarchis Dario, Alexandro, Cyro, Augusto &c. hæc omnia brevissime, & velut fugiente calamo describuntur, nimirum ut doceat nos, quam exigua tenuiaque sint in Dei conspectu, quæ in oculis hominum tam grandia adparent, ac nullius fere pretii esse, quæ pro terrena felicitate fiunt, in comparatione illorum, quæ pro cœlo, pro Religione, pro æterna beatitudine geruntur.

XXXIV.

XXXIV.

Sexta obſervatio verſatur circa exempla virtutum, ac vitiorum, quæ omni hominum ſtatui accommodata quamplurima ſubminiſtrat ſacra hiſtoria: *Regibus* in libris Regum, quando agit de Davide, qui erat *vir ſecundum cor Dei*, de Salomone, de Joſaphato &c. *Aulicis* in Joſepho, Daniele, Nathan, Gad &c. *Magiſtratibus & Judicibus* in libris Judicum de Moſè, Joſue, Gedeone, Samuele &c. *Privatis hominibus* in Tobia, Juditha, Sunamitide &c. *Divitibus* in Abrahamo, Jacobo, Salomone, Booz &c. *Pauperibus* in Jobo & Tobia. *Conjugibus* in Tobia patre ac filio, in Jacobo, Iſaaco, Sara, Rebecca, Ruth, Eſther. *Sacerdotibus* in Melchiſedecho, Aarone, Onia &c. *Militibus* in Joſue, Uria &c. *Juvenibus* in Abele, Jonatha, Davide, Joſepho &c. *De fidelitate* erga Deum in adverſis, in Abrahamo, Iſaaco, Joſepho, Jobo, Daniele &c. *De venia inimicis data* in Abrahamo erga Lot, in Joſepho erga fratres, in Davide erga Saul & Semei. De *innocentia triumphante* in Joſepho, in Daniele, in Mardochæo, in Suſanna &c. De *pœnitentia* in Ninivitis, in Davide, in Manaſſe

nasse &c. De *Constantia in fide* in Eleazaro, & Fratribus Machabæis &c. De *charitate proximi* in Mose, in Tobia, in Jonatha &c. De *superbia punita* in Filiis hominum ad Turrim Babel, in Amano, in Goliatho, in Nabuchodonosore, Herode. De *perfidia* in Caino, Achitophele &c. De *oppressione pauperum & viduarum* in Achabo, & Jezabele contra Naboth, in Davide contra Uriam & ejus uxorem. De *violata sanctitate sacrorum* in Saule, in Oza, in Heliodoro &c. De *Libidine* in Sodomitis, in Davide, in Amnon, in duobus senibus Susannam solicitantibus. Sexcenta alia sacram historiam evolventi occurrent. *Septimo*, præcipuus studii hujus historici fructus esse debet cognitio Dei, ejusque perfectionum, quas *Attributa* vocant Theologi. Hæ velut clarissimis characteribus scriptæ ubique in sacra historia elucent: *Unitas*, *omnipotentia*, *bonitas*, *patientia*, *misericordia*, *sanctitas*, maxime vero *justitia* & *providentia*. Certe Dei justitiam clamat Parentum primorum e paradiso triste exilium, quod tantam, quantam in hanc usque diem sentimus, malorum iliadem post se traxit: vindices cataclysmi aquæ, quæ paucis exceptis totum genus huma-

num

num submersere: Sodomæ incendium, quod ad fœdissimæ libidinis flammas restinguendas fuit immissum: famosæ decem plagæ, quibus Pharao, qui in malitia sua obduruit, totaque Ægyptus misere divexabantur: pœnæ gravissimæ Hebræo populo murmuranti in deserto inflictæ: ejusdem strages horribilis in ipsis Terræ promissæ confiniis ob infandum idololatriæ scelus: durissima postmodum captivitas Babylonica, & demum totius gentis exitium, sparsæque per orbem reliquiæ, Nemesis divinæ testes, ob necem Servatori optimo illatam. Dei vero providentiam cernere licet, ubi Noemum cum suis in arca diluvio subtraxit, ne totum genus humanum periret: ubi linguas hominum, exstructa turri velut vim cœlo facientium, confudit, ut hi in totum terrarum orbem se suasque familias dividerent; ubi Josephum a fratribus venditum, in carcerem detrusum, ad regni clavum evexit: ubi populum Israeliticum sicco pede per mare rubrum, & per desertum ignea columna in terram promissam denique transtulit: ubi vix natum Deum-hominem Herodis crudelissimi insidiis ac neci mirabiliter subduxit: ubi crucis ignominiam in Christi & Ecclesiæ triumphum convertit. *Octava* denique & maximi

momenti obſervatio, quam in hiſtoria ſacra meretur, eſt veræ Religionis eadem ſemper facies tot inter tempeſtates, tum ab idololatria tum ab hæreſi excitatas. Eadem enim eſt, ſibique perpetuo conſtans, quantum ad interiorem fidem ſpectat. Quippe a prima Mundi origine Adam Deum verum, & Servatorem a Deo ſibi promiſſum credidit; in hac fide ac ſpe vixerunt ejus poſteri a Setho ad Noemum & Abrahamum, & ab hoc ad Moſen & univerſam Hebræorum Rempublicam, donec Meſſia in terras adventante & ſpes impleretur, & fides Evangelica lege multo clarior atque illuſtrior redderetur. Exterior tamen vultus Religionis varias induxit formas, omnes tamen ad eundem finem, ſupremi ſcilicet Numinis agnitionem, cultum, & amorem collineantes. Nam in *lege naturæ*, ſub qua vivebant homines ab Adamo ad Abrahamum, vel usque ad Moſen, Deus ab iis præter *oblationes* quasdam aliud non exegit, quam ut natura & gratia duce virtutem colerent, vitia declinarent, ſibique corde recto & ſincero ſervirent. *In lege ſcripta*, quæ vel ab Abrahamo, cui imperata fuit *circumciſio*, vel a Moſe, qui leges a Deo traditas promulgavit, initium

tium duxit, a fideli populo Numen coli voluit Sacramentis aliquot minus perfectis, quorum præcipua fuerunt *circumcisio*, & *undecim panes propositionis* (qui singulis hebdomadibus in tabernaculo recentes coram Arca proponi debebant) atque sacrificiis diversis ex præscripto oblatis. In *lege gratiæ*, quæ cum Messiæ adventu cœpit, abrogatis antiquis nova perfectioraque Sacramenta (quorum figuræ duntaxat priora fuerant) ab ipso Christi Sanguine pretium suum nacta, novæ leges, & sanctioris vitæ præcepta, novi ritus divinum quid spirantes substituta fuerunt, & omni ex parte perfectus Dei cultus est introductus. His observationibus instructus accedat ad sacræ historiæ studium, quisquis in eo dignum labore fructum percipere cupit, præsertim juventus litterata, ut teneris adhuc annis cum lacte doctrinæ Dei timorem, amorem virtutis, vitiorum horrorem, desiderium cœlestis patriæ, religionis grandem ideam æstimationemque imbibat. Nam ausim dicere, si omnis profana abesset historia, nec ulla præter sacram in mundo existeret, eam solam ad hominem probum, eruditum in omni genere, & quod caput est, Christianum rite formandum omnino esse suffecturam.

CAPUT

CAPUT VI.
CRITICA HISTORIÆ.
§. I.
Querelæ contra libros vulgo Romanos, aliosque Historicos.
XXXV.

Nobilissimum esse historiæ studium nemo facile inficiabitur, nisi forte, qui extra humanum consortium vitam degere velit. Est enim apex ignorantiæ, ultra ætatis suæ ac domus fines quid actum sit, scire nihil, ita ut ambigere liceat, an homines sint, qui nesciunt historiam. Antipodes ignorasse crimen olim haud erat: ignoravit, vel certe dubitavit ipse Magnus Augustinus. At vix ullam vel omnino nullam de orbe terrarum, de regnis & populis, de hominum moribus & factis notitiam habere in tanta luce supellectilis historicæ, qua nunc fruimur, piaculum esse videtur, & satis grande contra ipsam humanitatem peccatum. Verum ea vivimus tempora, quibus ubique fervet hoc studium, & jam

jam ab ipſis unguiculis tenera juventus eidem adſueſit; nec tam conqueri poſſumus, quod libri legentibus, quam quod legentes tot libris deſint. Nihilominus non pauca ſunt, quæ in hac palæſtra virgulam cenſoriam mereantur. Inprimis maleferiatos quosdam ſcriptores reperire eſt, qui hoc ignorantiæ præſtantiſſimum antidotum in venenum, hiſtoriam in fabulam convertunt, ſcelere eo graviore, quo latius perniciem ſpargit: intelligo ſcriptores & libros, quos vulgo *Romanos* dicimus, in quibus vel veri vel ficti Herois alicujus aut Heroinæ mirabilia fata, arteſque amatoriæ prætextato ſermone deſcribuntur. Originem ſuam hæc ars nimium quantum illiberalis traxiſſe a Perſis perhibetur. Nam ut Huetius ſcribit, circa mundi annum 3500. Jones a Perſis victoribus fictarum hiſtoriarum artem, vulgo *Romanzi*, didicerunt, & inde ad Græcos tranſmiſerunt. Atque utinam in Græcia fuiſſet ſepulta, nec in Romanum agrum penetraſſet, maxime inclinantis Reipublicæ tempore, quo diſſolutiſſimos juventutis illius mores invaluiſſe produnt auctores. Certe nomen ipſum neſcio quid Romanum præſefert. Ars hæc eo nocentior eſt, quo magis honeſtæ ac innocuæ ſcriptionis pallio tecta

cta in lucem emittitur. Profitetur in fronte morum doctrinam, nobilium spirituum regimen, rationis supra pravas adfectiones dominium, juventutis pharum adversus naufragia &c. Sed brevi larvam detrahit, ac sine fronte amores impudicos docet. Varia enarrat pudicitiæ pericula, innocentiæ scopulos detegit, & Sirenum prodit insidias, non tamen sine ambagibus & curiosis eventibus, per quos avidior semper redditur juvenis lector, & tanquam per lubricas vias ad præcipitium ducitur: ubi demum repente velut sistitur, & dum lapsus jam imminet, de victoria plauditur. Sed qualis hæc obsecro victoria? Tristior omni clade. Depinguntur vivis coloribus pericula cum omnibus, quæ circumstant, verborum blanditiis, oculorum insidiis, desideriorum nunciis, actionum illecebris, ac pene vi extrema: miscentur gemitus & suspiria, funduntur lacrymæ, accusatur invida sors & astrorum inclementia, negans quod concupiscitur. Quid ad hæc juvenis animus? Hærere primum ad res insuetas, tum meditari, mox rimari altius, demum in ipsis ardere periculis, amatoriis magis magisque irretiri nugis, capi lenociniis, verbo, discit ea lector incautus, quæ scriptor, licet effrons, palam pro-

ferre non audet. Ita enervatur mafcula virtus, parvus hercules ad colum federe, ac filum ducere cum gynæceo docetur, & dum malarum cupiditatum victoria promittitur, honeftas morum & pudor expugnatur. De Homero ferunt, pulfum fuiffe e Platonis republica, effeque vifam a Pythagora illius animam apud inferos ex arbore fufpenfam, & colubris circumdatam ob ea, quæ minus verecunde de Diis finxerat. Si hanc pœnam meruit Poeta inter inhoneftos honeftiffimus, qua digni erunt hiftorici, qui feu lucri gratia, quod ex iniquitate faciunt, vel propria ftimulante libidine, qua & alios inficere cupiunt, fecumque perdere, editis ejusmodi Phaetonicis libris quæftum exercere non erubefcunt? Certe non folum e Platonis, fed ex omnibus orbe toto Rebuspublicis tanquam earum peftis pulfari deberent, fecus luituri apud inferos damna, quæ tot animabus inferunt.

XXXVI.

Verum relictis hisce Pfeudo-Hiftoricis ad alios Criticam transferre juvat, nimirum ad eos, in quibus non raro veritas defideratur, quod multiplici ratione contingere folet, vel ex ignorantia, vel ex partium ftudio, vel ex potentum metu,

vel

vel demum, quod pessimum, ex malitia. De prioribus historicorum vitiis satis dictum est alibi: monendus tamen historiarum lector de duobus, qui frequenter heic occurrunt, scopulis. Primus est nimia quorundam credendi facilitas, alter quævis in dubium vocandi prava consuetudo. Qui nullo adhibito examine scriptorum monumenta velut oracula excipiunt, & fabulæ aut mendacii suspicionem in eos cadere non posse arbitrantur, vehementer se decipiunt, & gravissimis circa veritatem erroribus obnoxios se reddunt: qui vero cujusvis passim historici fidem in dubium vocant, & hunc spe aut metu, illum propriæ gentis amore, alienæ vero invidia transversum agi criminantur, hi vel e Pyrrhonis secta sunt, eorumque temere conceptum de aliis judicium amoris proprii infelix partus est. Neque etiam continuo rejicienda sunt vel explodenda, quæ mira narrant scriptores, aut fabellis accensenda, quæ prodigii speciem quandam præseferre videntur, id quod optime animadvertit Possevinus noster, maximi apud omnes nominis Auctor, experientia doctus, & suo nos docens exemplo: *Adolescens* inquit (p), *in Gallia Olai*

(p) *Sect.* 2. *de Histor.*

Olai Magni de Gothicis rebus historiam perlegens quasi somnium esse putabam: in Gothiam & Sueciam post multos annos haud semel missus (nimirum religionis caussa a Summis Pontificibus) *comperi plura esse vera, quæ existimaveram esse commenta: idem contigit mihi, dum cum Moscis, Tartaris, Scythis agerem.* Opus scilicet est hac in re maturo judicio, & ad singula scriptorum vestigia attento, ut verum a falso discernatur. Quemadmodum autem non temere mendacii aut fabulæ postulandi sunt Historici cæteroquin probi & religiosi in reliquis narrationibus suis, si quid supra communem rerum ordinem & conditionem in scriptis suis adferunt, ita non facile fides adhibenda illis, qui incuriosi & oscitantes in veritate indaganda deprehenduntur, & nescio quæ mira de regionibus & populis longe dissitis produnt absque authenticis testimoniis, & de quibus non vana suspicio est, eos lucri & quæstus caussa historias conscribere. Ita prioribus seculis quidam Angli, Batavi, atque etiam Hispani de Indiis Orientalibus & Occidentalibus plura vix non commenta in libris suis quam merces in navibus, Europæ invexerunt, quæ tamen certioribus postmodum qua literis, qua libris, quos Viri Religiosi, maxime e Societate Jesu, ad prædican-

dicandum Evangelium eas in oras delati, ibique commorantes in Europam miserunt, detecta, iisque alia non minus mira, quam vera de illis plagis ac gentibus fuerunt substituta. Si quis vero nosse desiderat indicia, quibus spuria historiarum progenies a prole legitima discernatur, primum sit: si recens aliquis scriptor factum vel rem quamdam narret priscis temporibus actam, de qua nemo Auctorum veterum Synchronorum, seu qui eadem ætate vixerunt, aut subsequentibus mox temporibus floruere, ullam mentionem faciat, gravissima est suspicio, suppositium esse partum. Alterum, si quidpiam sine hæsitatione asseratur, quod jam prius auctores alii in dubium vocarunt, aut de quo in utramque partem certarunt, id fidem non meretur, nisi novis documentis firmatum. Tertium, si apud scriptorem circa chronologiam vel geographiam temporis & loci, quibus contigisse aliqua narrantur, errores non leves se se produnt, sublestæ fidei merito censentur illa, quæ passim commemorat. Quartum indicium, si non bene cohæreant posteriora cum prioribus, aut vicissim, si varient circumstantiæ, vel inter se pugnantia proferantur, nihil sinceri, veri nihil in ejusmodi narratione contineri ex-

tra dubium eſt. Illud denique circa veritatem hiſtoricam non prætereundum, immo vehementer deplorandum, quod hoc ævo tum pauci ſint hiſtorici hoc nomine digni, & qui cum priſcis Livio, Cæſare, Curtio, Cornelio Nepote, aut junioribus etiam, Mariana, Maffeio, Strada &c. in comparationem venire poſſint. Non deſunt noſtris quoque temporibus Heroum facta inſignia, grandia bella regnorum & Rerumpublicarum viciſſitudines, tragici caſus fortunæ ludentis: non deſunt ingenia, & Viri in omni eruditionis genere verſati. Sed deſunt, qui vere ac ſincere de hisce rebus ſcribere aut velint, aut poſſint. Et cur hoc? nimium delicatæ ſunt hoc ævo Principum aures, nimis exoſa in aulis veritas, ipſaque popularis aura admodum infeſta. Omnes in Solio Salomones, omnes in conſiliis Neſtores, omnes in bello Scipiones, omnes in Republica Catones, dici ac audire cupiunt. Si vitia in regimine, ſi craſſi contra Politicen errores, ſi malæ artes eorum, qui a conſiliis ſunt, ſi Ducum in gerendis bellis inſcitia vel perfidia, ſi pravi mores civium, & adminiſtratio ſordida Magiſtratuum, ſi hæc inquam ab Hiſtorico, uti re ipſa ſunt, & fuerunt, detegantur, continuo læſæ

Maje-

Majestatis reus agitur, exilium libro indicitur, vel traditur Vulcano, Auctor stigmate notatur. Ita nimis quam verum est: *Tange montes, & fumigabunt.* Interea velut imposito viris cordatis, qui muneri huic pares essent, silentio prodeunt rhyparographi, præsertim Acatholici, vernacula loquentes lingua, qui vera falsis miscere, vitia dissimulare, facta mirum quantum extollere; levare invidiam, blandiri & placere norunt cum grandi veritatis dispendio; sicque male sartas, & mendaciis ac fraudibus bene oppletas historias posteritati transmittunt. Jam olim de malis hisce Historicorum quorundam artibus graviter conquestus est Vir insignis, magno Galliarum Regi a consiliis, Floremundus Ræmundus, Auctor historiæ *de ortu progressu ac ruinis hæresum seculi XVI.* cujus verba, quibus ad finem libri VII. Galliarum Regem alloquitur, sane dignissima sunt, ut hoc loco adducantur:

„ Dabis mihi veniam, inquit, optime
„ Rex, magne Gallorum Monarcha, &
„ humillimi ac fidelis tui subditi fide-
„ lem libertatem bonam in pacem in-
„ terpretaberis. Homines plerumque
„ vel metu quodam id quod verum ac
„ rectum est, dicere Principibus non

„ audent, vel ut eis adulentur, falsa „ dicunt. Tam hi quam illi minime „ digni sunt, quorum Principes consiliis „ utantur, ut qui magis per adulatoriæ „ picturæ licentiam dispensare secum „ studeant, quam severæ historiæ legi- „ bus se adstringere. Et quemadmodum „ pictores eorum, quos depingunt, næ- „ vos quam maxime possunt umbra „ quadam occultant, ut etiam acutissi- „ morum oculos fallant; contra vero „ ea, quæ pulchritudinem aliquam ha- „ bent, ita in propatulo collocant, iis- „ que coloribus depingunt, ut in om- „ nium oculos incurrant, sic nostri seculi „ plerique omnes scriptores in eorum, „ quos laudandos susceperunt, virtutibus „ ac recte factis deprædicandis non so- „ lum nimii sunt, (quod aliquo modo fer- „ ri poterat) verum etiam quæ peccata „ sunt, non silentio modo premunt, sed „ & commendant sæpe, & ornant. At „ veri Historici munus est, operam dare „ non tam, ut quos describit, excellentes „ ac magni, quam ipse verus videatur: nec „ minus vitia quam virtutes, quæ lau- „ de, quæ reprehensione digna, obser- „ vare ac notare, & ut verbo absol- „ vam, talem quemque describere, qua- „ lis est, non qualis esse vult, & debet. „

§. II.

§. II.

...*rulæ contra scriptores Acatholicos, & Lectores Catholicos.*

XXXVII.

...habet, quod agat Critice cum illis, ...qui quo magis a rerum imperitis ...doque æstimantur, eo magis nocent, ...riarum scriptoribus, scilicet Acatho-... vel certe minus Catholicis. Horum ...pauci, nec raro, historiam suis com-...is, observationibus, interpretationi-...& scholiis misere corrumpunt, ac ma-... in rem Catholicam adfectioni suæ ...as & nefas servire cogunt. Aliqui ...m apertis mendaciis & fabulis pridem ...ssis Romanam sedem, ac debitam ...mo Ecclesiæ capiti reverentiam con-...re nituntur, uti Sleidanus, Chytræus, ...cus, Hübnerus: Alii majore artificio ...siæ regimen, & Pontificum in ea ...tatem aggrediuntur, dum quidquid ...lari ac sancti instituerunt, eorundem ...tiæ, ambitioni, ac pene tyrannidi ...unt, ut Conringius, Goldastus, Pe-... Suavis: Alii demum profanæ scripto-...istoriæ, præsertim Imperii Romano-...manici, Pontifices vix non omni po-...te, etiam a Christo conceptis verbis con-

concessa, exuunt, eamque in Reges ac Principes transferunt, Ecclesiastica jura perniciem esse boni publici, ac juris naturalis atque civilis criminantur, & Papas dissensionum, bellorum, vastationum, cæterorumque in Imperio ac regnis malorum auctores faciunt, ut Thuanus, Pfeffingerus Vitriarii Commentator, Puffendorfius, aliique. Dum autem diversas ineunt vias, in eo omnes conspirant, ut apertis vel tacitis artibus Pontificum & regiminis Ecclesiastici contemptum ingerant legentium animis, ut Principibus & Magistratibus adulentur, iisque Ecclesiastica jura & bona velut venum exponant, ut sacra profanis, & profana sacris misceant, ac Sacerdotium cum Imperio gravissime collidant, denique ut Religionem Catholicam & veram Dei Ecclesiam susdeque vertant. Ad fidem autem apud male credulos inveniendam notis sibi artibus utuntur: Primo quidem miris laudibus ad astra usque scriptores suis partibus addictos extollunt, reliquos omnes ut vulgus ignavum despiciunt. Ita Conringius de Thuano (q): *Inprimis autem nobis lectio prodesse potest Jacobi Thuani. Hic est princeps omnium Historicorum prioris seculi* (scilicet eorum, qui in Pontifices, & Ecclesiasticos Ordines,

(q) *Tom.* 2. & 3.

nes, & in sacra quævis debacchantur) *Valuit judicio, & usus est scriptoribus ac monumentis optimis, quæ faciunt ad res Germanas. Hinc in rebus Germanis solet sequi Sleidanum frementibus ipsis Pontificiis, & amplissimo elogio eum exornavit. Secutus est etiam Chytræum, & Mercurium Belgo - Gallicum.* Optima si superis placet monumenta, quæ fidem faciant bene moratis lectoribus! Dein magniloqua operibus suis procemia præmittunt, in quibus divini honoris ac religionis zelum, Ecclesiæ incrementum, Imperatoriæ Majestatis ac legum Imperii instaurationem, sincerum in scribendo animum, & ab omni sinistro affectu & fuco alienum profitentur, & nil nisi ex authenticis monumentis ac tabulis proferre se testantur. Ita inter alios paratragœdiat Fridericus Georgius ipso in limine operis sui: *Dei honorem,* inquit: *Ecclesiæ veræ* (id est Lutheranæ) *incrementum, Imperiique Romano - Germanici gloriam promovere, pro modulo ingenii defendere, hoc labore laboravimus .... quod dum fecimus, ita calamum temperavimus, ut certi simus, neminem hoc nostro offendi posse labore, nisi qui velit se extollere super omne Numen, ac inimicum Cæsaris, Imperiique Romano Germanici se profiteri.*

En!

En! magno promissor hiatu, ut canit Horatius. Sed sequi juvat nonnihil vestigia historici tam sinceri ac innoxii: *sacrum vinculum*, ait, *quo Imperii Principes Catholici, maxime Bavari, sedi Romanæ alligantur, aliud non esse, quam commodum temporale, ut eorum filii facilius promoveantur:* item *scopum Pontificiæ Religionis non alium esse, quam ut Pontificis ejusque Cleri augeantur opes & potentia, ex quo toto in Imperio turbæ sint exortæ. Contra Lutheranam religionem ad promovendam cujuscumque Reipublicæ felicitatem esse aptissimam:* item, *in Romana Ecclesia esse idololatricam Sanctorum multitudinem, Pontifices esse Antichristos &c.* Præterea Æneam Sylvium, postea Papam Pium II. virum si juventutis partem excipias, omni doctrinæ ac virtutum genere conspicuum vel ipso Platina teste, quem scriptorem maxime Acatholici ab omni adulationis vitio eximunt, hunc Pium II. inquam Georgius *Impium Pontificem* adpellat, alibi *maxime impudicum.* Porro ait: *Imperatorum auctoritatem a Luthero vindicatam, in Protestantium terris antiquo juri restitutam, totamque Imperii faciem a Pontificiis abusibus reformatam esse.* Constat autem Lutherum Imperatorem Carolum V. aliosque Reges

ac Principes Catholicos *tyrannos*, *asinos*, *Papæ pedissequos &c.* in libris typo impressis, qui adhucdum superstites sunt, toti mundo promulgasse: constat, neminem magis Imperatoriis jussis, decretis, & juribus Majestatis se se opponere, ac supremam dignitatem in terris suis conculare, quam eosdem *Protestantes*, ut præsens, quo scribo, fatale bellum Germaniæ nos docet: constat, quod specioso *Reformationis* titulo integros Episcopatus, Abbatias, Monasteria a religiosissimis Majoribus, Cæsaribus, Regibus, Principibus, Nobilibus ad Dei cultum liberalissime fundata dotataque sacrilegis armis invaserint, ab Ecclesia avulserint, ac devorarint; quod sacras imagines, & quidquid in religione Catholica sanctum est, eliminarint ac pessum dederint. Et hoc est, si Superis placet, *ad Dei bonorem*, *ad Ecclesiæ veræ incrementum*, & scribere *temperato calamo*, *ut nemo possit offendi*, uti præfatur memoratus Fridericus Georgius. Unum adduxi, & ex uno pauca: sunt enim longe plura, crudiorave, quæ toto in Opere effutiit: sunt & reliqui Scriptores Acatholici atque Historici, quorum paullo ante memini, nec hilo meliores, ut passim libros eorum volventi patet. Præterire tamen nefas foret Samuelem

Puffendorfium, ejusque *Introductionem ad Historiam* (r), quæ e reliquis Viri hujus Operibus eo nocivior est, quo magis in manibus Juvenum, præsertim Nobilium, versatur vix non ante, quam in fidei Christianæ elementis instituuntur. Audiamus præclara ex hoc libro dogmata aliquot: 1. „ Auctoritatem supremam „ Apostolicæ Sedis adjudicat superstitio- „ sæ pietati Christianorum, maxime Cæ- „ sarum, Principum &c. donationibus ad „ pias caussas: artibus Pontificum in au- „ cupiis pecuniariis dispensationum, nun- „ dinis indulgentiarum, nugis Jubilæo- „ rum, fisco bonorum schismaticorum, „ oblationibus & annatis ad bella sacra &c. „ 2. Eandem auctoritatem tribuit infinitæ „ multitudini Clericorum & Monacho- „ rum, otii & luxus caussa ad Canonica- „ tus pingues, & bene dotata monasteria „ convolantium &c. item non minori nu- „ mero Mendicantium, hoc vitæ genus „ partim ex sacrilega ambitione austerio- „ ris vitæ, bonorum operum ostentatio- „ ne, & mercatura, partim ex despera- „ tione vel otio, partim ex parentum su- „ perstitione, vel prolium cogente inopia „ amplectentium, e quibus factos ait a „ Pontificibus milites prætorianos, canes

„ Ro-

(r) *C. 2. de Monarch. Eccles.*

„ Romanæ Aulæ venaticos &c. id efficientes, ut ne Pontificium jugum unquam, etsi multi in Germania vellent, excutere valeant. 3. Sacrarum imaginum cultum vocat idololatricum, quem Pontifices nonnisi stimulante superbia & avaritia contra Orientales Cæsares ostentarint. 4. Conqueritur de violenta Pontificum totiusque Cleri exemptione a potestate Imperatorum, Regum &c. inde machinationes, prætextus & fraudes suscitatas seditiones, bella, clades ob hanc exemptionem in Imperio exortas criminatur. 5. perstringit tyrannicam, ut vocat, ambitionem Hildebrandi (seu Gregorii VII. inter Divos relati) aliorumque Pontificum in Imperatores exercitam: horum fraude impedimenta matrimonii statuta esse dicit, ut ad forum Ecclesiasticum pertraherentur Reges ac Principes: obtrusum fuisse Christianis palpum per Commentitias Decretales, novumque jus Papisticum, in fulcrum hujus tyrannidis compilatum. 6. Leonem X. qui Lutherum ejusque doctrinam damnavit, depingit ut hominem fastui, luxui, avaritiæ, indulgentiarum nundinationibus, & sacrilego quæstui deditum: fabulatur Paulum III. auctorem fuisse Francisco Galliarum Regi, ut foe-

„ dus cum Turcis iniret ad refringendam
„ Cæsaris fortunam, & atterendas Prote-
„ stantium partes. 7. Pontificem exhibet
„ ut prætensum Hierarchiæ Ecclesiasticæ
„ caput; ejusque statum humanæ astutiæ
„ innixum fulcris: aliis siquidem statibus,
„ inquit, pro fine præfixa quies, pro me-
„ diis sufficientia ad intra, Imperii intra
„ terminos conservatio, nervus pro mili-
„ te, jus naturale & divinum pro regimi-
„ nis ratione. Huic (nempe Papali) pro
„ fine opes, potentia &c. pro adminicu-
„ lis sufficientia, immo & abundantia va-
„ riis artibus procuranda ab extra: impe-
„ rii continua dilatatio, præsidiariæ co-
„ piæ habendæ gratis, jus regiminis intra
„ statum contra statum erecti, & juris-
„ dictio a seculari foro avulsa, ratione
„ nulla, nullo divino testimonio demon-
„ strabilis, sed innixa fucis, quibus omni-
„ bus ni cæce annuas, mox hæreticus au-
„ dias. 8. Sub hoc regimine Catholicæ
„ Ecclesiæ, pergit nugari Puffendorffius
„ Calumniator, Laicos in officio continet
„ imaginaria salus, velut a Clericis con-
„ tinentiæ Rectoribus dependens: Dein
„ S. Scripturæ vetita lectio, ut ne figmen-
„ ta ac imposturæ Sacerdotum plebi subo-
„ leant &c. Traditiones non sine præju-
„ dicio S. Scripturæ, quasi incompletæ:
„ di-

„ distinctiones peccatorum levium, gra-
„ vium &c. Casus reservati, libelli pre-
„ catorii infiniti &c. aucupia sunt avari-
„ tiæ Sacerdotalis: Confessio auricularis
„ inducta ad expiscanda secreta cordium,
„ satisfactio pro peccatis telonium est,
„ erectum ad aucupanda legata, lenien-
„ dos muneribus conscientiæ arbitros, ad
„ redimendas pecuniis pœnitentias. Bo-
„ norum operum mercatura pro Clero,
„ Monasteriis &c. ad implendum id om-
„ ne, quod Pontificia superstitio induxit:
„ Demum innumeræ ceremoniæ, inutiles
„ feriæ, processiones, sacella, aræ non
„ necessariæ, Sacramenta ad septenna-
„ rium aucta &c. partim lucrum spectant
„ (nil enim sine pecuniis) partim pieta-
„ tem fucatam, ut ne infinita Clericorum
„ copia otiosa penitus videatur: sacrificia
„ Missæ inducta, ut sint loculorum subsi-
„ dium; nemo negotium suscipit, nemo
„ moritur absque tali tributo, cui etiam
„ mortui subjacent. 9. Ipsa denique ag-
„ greditur sacramenta: *Calicis* usus, in-
„ quit, contra Christi institutionem & tot
„ seculorum usum Laicis fuit ademptus,
„ ut esset tumentis Cleri prærogativa, nec
„ restitutus, ut ne errasse videatur. *Matri-
„ monium* Sacramenti nomine salutatum,
„ ut ratione lucri trahi posset ad Ecclesia-

„ sticum tribunal: Additi gradus prohi-
„ biti, ut per dispensationes magis magis-
„ que loculi turgerent. *Extrema unctio*
„ excogitata, ut esset occasio ad procu-
„ randas ultimas voluntates. *Purgato-*
„ *rium* confictum pro aucupio Missarum
„ & donationum ad pias caussas. *Reli-*
„ *quiarum* usus servit ad compensanda
„ Benefactorum obsequia. *Sanctorum cul-*
„ *tus* ad multiplicanda altaria, sacella,
„ festa pro accommodando Clero ac su-
„ stentando. *Apotheosis sanctorum* ambi-
„ tiosum fulcrum est Pontificiæ auctorita-
„ tis, quo sæpe ad Pontificia vota incli-
„ nantur Respublicæ, compensantur me-
„ rita, exaltantur plerumque hypocritæ
„ pietatis, & superstitionum auctores, vel
„ bene nummati Pontificiæ sedis cultores:
„ ut silentio involvantur tot figmenta mi-
„ raculorum, imaginum, spectrorum,
„ exorcismorum, indulgentiarum, jubi-
„ læorum, ciborum prohibitorum, quæ
„ nonnisi mera Romanæ avaritiæ sunt au-
„ cupia &c. „ Ita Puffendorfius, in cu-
jus opere veluti de palma certant inter se
tum crassa quædam mendacia, figmenta
de regimine Ecclesiastico audacissima, ma-
lignæ prorsus de consiliis & factis Pontifi-
cum interpretationes ac conjecturæ, nullo
nixæ fundamento: tum fraudulentæ, ad-
que

que omnem invidiam & extremum Ecclesiastici Ordinis contemptum compositæ exegeses, impudentes crises, & sacrilegæ adversus sanctissima Catholicæ Religionis mysteria & Sacramenta calumniæ. Obsecro: num hæ sunt probi Historici characteristicæ, quem titulum sibi tanto cum fastu arrogant scriptores acatholici? Hæcne veritas & fides historica inter ejusmodi miseras fabellas, toties jam a Catholicis Polemicis protritas? Hæcne introductio ad historiam, vel potius ad petulantem satyram? Et tamen pro pudor! hanc impune legunt, laudant in circulis, deprædicant Catholici (Acatholicos non moror stultitiam nostram hac ipsa in re tacite ridentes) immo & juvenibus legendam obtrudunt cum certa pernicie eius, quam profitentur, avitæ religionis, cujus falsissimas ideas non potest non ingenerare teneris & incautis animis. Non equidem is sum, qui Ecclesiam Dei esse sponsam in terris omni macula & ruga carentem aut credam, aut affirmare velim. Sunt e Catholicis gravissimi Ecclesiasticæ historiæ scriptores, qui aliquorum (paucorum tamen in tanto numero) Pontificum crimina etiam grandia, neutiquam dissimulant: sunt, qui Ecclesiasticorum æque ac Laicorum mores in quibusdam corruptos, &

non paucos abusus, qui in res etiam sacras irrepserunt, liberali censura perstringunt: sed id contendo, sycophantæ non historici esse, omne genus querelarum, abusuum, & vitiorum, quæ in privatis aliquibus membris reperiuntur, toti corpori, toti Ecclesiæ, cunctis Pontificibus, integro Ordini Ecclesiastico tribuere, ac per summum nefas adfingere, ipsamque Religionem antiquitate sua venerandam, sanctissimis legibus & dogmatibus instructam, & tot sanctorum hominum virtutibus & miraculis illustrem tanquam malorum istorum originem & fontem proclamare, atque in invidiam trahere: Sycophantæ inquam, ac maledici hominis hoc esse contendo, non Historici. Hinc recte ac prudenter monet Cl. Franciscus Schmier, celebris sacri & profani Juris Consultus ex Ordine D. Benedicti, ac Salisburgensis Academiæ Rector (s): *Jurisprudentiam ab Historia mirum in modum illustrari.* Mox vero addit: *Cautos tamen Jurisprudentiæ publicæ studiosos esse velim in legendis heterodoxorum libris publicis, Historiam Ecclesiasticam quomodolibet tangentibus: sunt enim illarum documenta plerumque domestica, vel depravata, præsertim contra*

(s) *In Oper. de Jur. Canon. Univers. Tract. præamb.*

contra Romanos Pontifices, quos cum nolint habere superiores in causis morum ac fidei, quavis occasione venenatis dentibus & calamis mordere ac perstringere non erubescunt. Immo Doctissimus Gletle non dubitavit animadvertere: *Quod si religio catholica in terris Imperii aliquando prædominari rursus incipiat* (non armis, sed Dei misericordia, donum avitæ fidei, ipsis indulgente) *omnes fere libros illustrando Juri Publico ab Acatholicis conscriptos ad censuram vocandos, ac vel omnino proscribendos, vel ita expurgandos esse, ut vestigia veneni detegantur.* His quæ hucusque de scriptoribus Acatholicis adtuli, (plura occurrent in libro de Jurisprudentia) his inquam nihil de illorum ingenii ac scientiæ laudibus detractum volo; illud solum Quinctiliani de Clitarcho Historico pronunciare liceat: *Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur.* Et vero quæ fides adhibenda veræ fidei hostibus? Certe Carolus V. Imp. uti Surius refert, dum Sleidani (quem historiæ semideum celebrant) librum res a Cæsare gestas commemorantem coram se legi audierat, identidem interrupit filum, dicens: *Mentitur nebulo:* ad extremum dignam Carolo & Cæsare sententiam adjecit: *Quænam istorum scri-*

ptis veritas fidesque insit, cum veritatis fideique lucem in se ipsis extinxerint? Verum satis de querelis contra scribentes Historiam.

XXXVIII.

Alia superest, quæ historicum studium, vel potius legentes historiam premit, censura & crisis, quam ut exponam, familiare quoddam colloquium, quod aliquot abhinc annis inter Virum aliquem primi Ordinis ac Regium Dynastam, alium vero literariæ rei cultorem non infimæ notæ intercessit, hoc in loco referre opus est. Utrumque novi, & uterque dum hæc scribo, inter vivos degit. Convenerant hi quadam die, ac inter alios eruditos, ut solebant, sermones delapsi sunt ad studium historicum, non ita pridem in gratiam studiosæ juventutis eo loci introductum. Et quomodo hoc tibi placet, ait Dynasta? nunquid bene factum, ut studii hujus nobilissimi cura tandem fuerit suscepta? Ego vero, respondit alter demisso nonnihil vultu subridens, ego vero, si rem bene intelligo, probare illud haud possum. Non exspectato perculsus responso: Jocaris credo vir bone, inquiebat ille; aliud enim mihi loquitur tuus, quem novi, animus, quo in bonarum artium ac literarum

rum cultum ferri ſoles. At hic adductis humeris: Ita eſt, probare haud poſſum, immo noxium potius eſſe quam utile hoc ſtudii genus eſſe cenſeo. Ad hæc vix indignationem premere Dynaſta: ſublatis dein ſuperciliis: Et cur hoc, ait, tam fidenter aſſeris? mihi ſane paradoxum videtur. Tum alter, ſi licet, pace tua dicam, Vir Excellentiſſime, ſed ſpatium loquendi a te peto: Quumque annuiſſet ille, hic ita loqui cœpit: Inficiari nec poſſum nec volo, eſſe plurima in Hiſtoriis, quæ nobilem animum, & ad ea quæ legit attentum, ad ſcientiam & virtutem erudire, a vitiis vero ac pravis moribus abducere poſſunt. Illud tamen mirari ſatis non poſſum, qua ratione fiat, ut dum maxime hoc ſeculo fervet ſtudium iſtud, tam pauci meliores, pene dixerim pejores efficiantur, ac fuerunt ante, quam hac in palæſtra juventus exercebatur. Et quidni? ut ab hac ipſa juventute ordiar, legimus in hiſtoria profana, Spartanos prolem ſuam vario aſperitatum genere ad virtutis & fortitudinis cultum erudiiſſe: unde *ſpartana patientia*: quin & parentes nimium ſuis indulgentes liberis infamiæ nota caſtigaſſe: Romanam Rempublicam ſtetiſſe firmam, quamdiu juventus ad ardua & fortia facta ſtimulabatur: at

post eversam Carthaginem ad luxum & mollitiem delapsam paullatim interiisse: a Theodosio M. filios Arcadium & Honorium nudo vertice ac stantes auscultare sedentem Magistrum Arsenium jussos fuisse, ac virgis cædi, si quid peccassent: Corneliam Romanam aliis Matronis gazas suas jactantibus monstrasse filios suos optime moratos, e schola reduces, dicentem hunc esse thesaurum suum omnibus aliis præferendum. In sacra vero historia legimus: Optimum Senem Tobiam filium suum docuisse timere Deum a prima juventute: Josephum inter fratrum insidias & flagitia innnocentem servasse animam: sacerdotem Heli repentina morte a Deo punitum fuisse ob insolentiam filiorum Ophnis & Phinees impunitam, nec emendatam: piissimam Ludovici Sancti Galliarum Regis Matrem Blancam, ut horrorem peccati tenello Principi ingeneraret, sæpius inculcasse hanc vocem: malle se illum ante oculos suos mortuum conspicere, quam peccati lethalis labe infectum. Sed quæ nostris temporibus est puerorum indoles? quæ educatio prolium? quæ cura parentum? Instituuntur mollissime, ad omnem luxum & vanitatem comuntur, discunt saltare, ludere, amare & amari, fescenninis jocis, prætextatis verbis,

bis, & æquivocis uti sermonibus: ob hæc laudantur, tanquam festivi ingenii primos flores: hæc discunt parentum exemplis: procul ferula vindex criminum, procul tristis Orbilius, & quidquid contristari aut coercere insolentem puerum posset: Prima politicarum artium, ultima cura pietatis, religionis, ingenuæ indolis.

Legimus in historia profana Numæ Pompilii solicitudinem nascente regno Romano circa ordinanda sacra, statuenda Deorum simulacra, ac Sacerdotum ministeria designanda: Æneæ pietatem in superos: in Sacra vero, Mosis & Aaronis labores in erudiendo ad Dei veri cultum populo, in erigendo tabernaculo, in sacrificiis, festis & ceremoniis rite peragendis; Salomonis templum Solymæum, auro, argento ac pretiosissimis lapidibus exornatum: Machabæorum pro tuenda vera religione gloriosa cum Antiocho Tyranno certamina. Sed quis nostris temporibus pro Religione zelus? quæ rerum sacrarum reverentia? An non cum Oza & Saule immittuntur profanæ manus in religiosa ministeria & jura? An non cum Heliodoro expilantur æraria & Ecclesiæ thesauri? Ubi Constantini, Caroli M. sancti Henrici, Imperatores, qui tot Ecclesias, Monaste-

nasteria, pauperum hospitia fundarunt atque dotarunt? An non quæ Majores seminarunt pro sacris Deo hominibus, pro liberis & nepotibus ad profanos usus demetunt posteri? Qua constantia fidem Catholicam in baptismo juratam profitemur verbis & operibus? An non erubescimus Evangelium? an non in gremio Ecclesiæ Catholicæ nati & educati cum ejus hostibus conspiramus doctrina & moribus?

Legimus in historia profana de Cambyse Persarum Rege, quod iniquo Judici, pellem detrahi, eaque tribunal vestiri jusserit: de Trajano Imperatore, quod itineri jam accinctus, involante in frenum equi paupere vidua & justitiam imploranti, mox ex equo descenderit, ejusque caussam ipse cognoverit: in sacra, celebre Salomonis judicium, vindicatam a Daniele Susannæ innocentiam, sancte administratam a Mose, Samuele, Davide justitiam. Sed, quot nunc pelles & spolia per iniquas sententias detracta circumferunt Judices? quot viduarum & pupillorum lamenta surdis excipiunrur auribus? quoties aurum excæcat oculos, fraus & violentia triumphat, & innocentia succumbit? quoties tragica renovatur historia Nabothi, quem in judicio vita spoliavit

vit impius Rex Achab cum peiore Conjuge Jezabele, ut vineam ejus occuparent?

Legimus in historia profana exemplum Lucretiæ Romanæ, læsum per vim Tarquinii conjugalem pudorem fuso sanguine in se ipsa vindicantem: castum Hippolitum Phædræ Novercæ incestos amores repudiantem ab equis discerptum: Crispum Constantini M. filium, vitæ integerrimæ Principem, dum Faustæ novercæ ad flagitium solicitanti se se opponeret, falsa criminatione neci adjudicatum: in sacra vero, Josephum de Putipharis uxore, ejusque libidine relicto in manibus pallio triumphantem: Susannam ab impiis senibus frustra solicitatam, & morti jam jam præsenti a Daniele subtractam: tot teneras Virgines repudiatis Tyrannorum nuptiis martyrii laurea coronatas. Hæc legimus, & non erubescimus contaminare juventam furtivis amoribus, alienæ pudicitiæ insidiari, alienum violare thorum, fovere incendium, nec Sodomæ nec inferni flammis sat expiandum?

Legimus in utraque historia, avaritiam in Cræso, in Sardanapalo, in Marco Crasso, in Achabo & Jezabele, in Anania & Sapphira flammis, sanguine ac morte funestis-

neſtiſſima punitam: Superbiam & ambitionem in Tarquiniis Regibus, in Pompeio & Cæſare, in Goliatho, Amano, Antiocho depreſſam, & ſeveriſſime exilio, patibulo, cruenta cæde caſtigatam: Aulicas artes & mala regimina in Achitophele, Amano, Beliſario, Stilicone, in Roboamo & reliquis Regibus Iſraeliticis, in Pharaone, Nabuchodonoſore, Herode graviſſimis pœnis ac plagis bellorum, vaſtationum, captivitatum, everſionis regnorum & Monarchiarum a Deo mulctata.

Plura parantem dicere interpellat Dynaſta, qui longioris ſermonis jam ſatur eſſe videbatur: &, Concionatorem ut video agis hodie, inquiebat. Immo vel maxime hiſtoricum, aut ſi mavis Parrhesjaſtem, reſpondit alter, quia quod proprium eſt ac præcipuum Hiſtorici, veritatem dico, & libere dico: novi enim, cui loquar; ſemperque in Te Virum probum, eruditum, & veritatis amantem ſuſpexi. Verum urgebat ille, ac necdum ex his id, quod initio dictum eſt, ſcilicet hiſtoriæ ſtudium ſeculo noſtro eſſe noxium potius quam utile, intelligere ſe affirmabat vel ſimulabat. At faxo, ait alter placido vultu, & ad modeſtiam compoſito (nam ante nonnihil incaluit) faxo ut mox intelligas, Vir Illuſtriſſime, ſi patienter audie-

lieris, quæ breviter modo dicturus n, Ecce! prioribus seculis, ubi necm hoc studium ita invaluit, sancta quan cum simplicitate vivebant homines li & recti tenaces, & ad Dei timorem iditi faciebant, quæ non legebant, re-; rationis, conscientiæ, ac religionis Ȝum secuti: nunc vero legunt optima æque, & pessima quæque passim fant, ingenio flexiles ad intelligendum, voluntate ad imitandum ferrei: Stunt esse mali, atque videntur hoc studio in id incumbere, ut ex optimis, quæ toria suppeditat, virtutum exemplis liscere vitia, & iis quæ legunt, e diatro, ut loquimur, contraria facere sint ac velint. Quæ igitur utilitas lenis historiæ? immo ipsius artis, quan nuncupari non patiebatur Galenus n, *quæ utilitatis nihil adferret vitæ?* non gravior post tantam lucem Deo dendæ erit ratio? Heic enimvero digin ori imposuit Dynasta, & alter velut o signo finem colloquio: ego autem ipsis libro huic de historia coronidem pono.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI V.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

Apel-

D.

Dio

E.

F.

G.

H. *Ha-*

H.

I.

L. *Las-*

L.

M.

Q.

R.

Re-

S.

S. Scri-

Aliud

V.

Con-

LIBER VI.

LIBER VI.

DE

RE NUMARIA.

EPITOME
LIBRI VI.
DE
RE NUMARIA.

CAPUT I.
PRETIUM ET UTILITAS HUJUS REI.

§. I.

Præstantia.

I.

Ex omnibus reliquiis Antiquitatis nihil ita integrum & intactum ad nos pervenit, quam numi & numismata. Studium rei numariæ commendatur, cujus ope plurima ad eruditionem spectantia fuerunt detecta.

II.

Præclara quorumdam opera tum in colligendis, tum in cælandis numismamatibus, quales fuerunt Goltzius, Ortelius, Princeps Croius, Lævinus Torrentius, Ant. Augustinus, Baronius, Paghius, Bollandistæ &c.

§. II.

Utilitas rei numariæ.

III.

Eruditio sine Antiquitatis studio nequit subsistere: ad hoc autem requiritur notitia historiæ, chronologiæ, & geographiæ, quæ tres artes per numos multum emendatæ fuerunt. Veteres numi testimonium præbent, quo nullum certius habere possumus.

IV.

Ostenditur utilitas, quam numorum cognitio adfert Pictoriæ, Statuariæ, Medicinæ, Jurisprudentiæ, ac Theologiæ: etiam Interpretibus S. Scripturæ, ut in Vilalpando & Tirino videmus.

CA-

CAPUT II.

HISTORIA REI NUMARIÆ.

§. I.

Origo numorum.

V.

Quid ſit numus, quid numisma, quid pecunia, explicatur, cum eruditionibus ad iſta pertinentibus.

VI.

Variæ ſententiæ de numorum origine, & inventione: alii eam deducunt a Caino, vel Tubalcain ante diluvium: alii vero tribuunt Jano, Saturno, Phidoni, Lydiis, Jono &c. Non eſt ſatis probabile, numos ante diluvium fuiſſe percuſſos.

VII.

Qua ratione primo commercia fuerint inſtituta usque ad numi inventionem. Oſtenditur e S. Scriptura, numi cuſi & ſignati primum locum fuiſſe regionem Chanaan, primum tem-

pus Abrahami ævum; & primum nummum signatum fuisse siclum.

§. II.

Varietas Numorum.

VIII.

Varietas desumitur a materia, & a forma. Materia numi communiter fuit æs, argentum, & aurum, aliquando etiam fiebant e ferro, stanno, plumbo, corio, testa, cortice arborum, & papyro.

IX.

Forma numi tum a figura, tum a characteribus desumitur. Figura numi fere rotunda semper fuit. Characteres partim indicant quantitatem & valorem numi, partim cujus auctoritate, & quo tempore cusi fuerint. Figurarum seu typorum variarum brevis catalogus.

X.

Agitur de potestate cudendi monetam: item de Censoribus, & Spectatoribus nu-

numi apud Romanos, deque Numulariis, Mensariis & Trapezitis. Pœnæ adulterantium pecunias.

XI.

Post Reges expulsos potestas cudendi numos penes Senatum fuit: tum ad Cæsares & Reges transiit, ab his potestas hæc multis Principibus, Provinciis, & civitatibus concessa fuit. De primo aureo, quem Ducatum *dicunt.*

CAPUT III.

OECONOMIA NUMORUM.

§. I.

Numi Romani.

XII.

Oeconomia hæc præcipue in tres classes dividitur: in numos Romanos, Græcos, & Hebraicos. Exhibetur schema valoris hodierni, ad quem numi trium harum classium reducuntur. Agitur de Asse, Sestertio, Quinario, Denario, Talento, & singulæ hæ species

cies numorum explicantur, additis variis eruditionibus.

XIII.

Appendix ad numos Romanos, ubi de signis & figuris eorum; de asse, ejusque partibus in dividunda hæreditate usitatis, ac de censu Romano, ejusque origine differitur.

§. II.

Numi Græci.

XIV.

Agitur de Obolo, Drachma, Bove, Statere, Mina, & Talento, ac rebus ad hos numos pertinentibus: ostenditur, qua ratione Græci numerum annorum numis suis inscripserint.

§. III.

Numi Hebraici.

XV.

Agitur de Asse, Obolo, Drachma, Didrachmo, Siclo, Argenteo, Mina

&

& Talento. De talentis auri & argenti, quæ David reliquit Salomoni pro templo ædificando.

§. XVI.

Adjiciuntur quædam observationes de pondere: de statua Nabuchodonosoris: de numis aureis: de assipondio: de libripende: de ponderatione pecuniæ apud Romanos, Græcos, & Hebræos. Scriptores de re numaria indicantur.

CAPUT IV.

STUDIUM REI NUMARIÆ.

§. I.

Requisita ac hoc studium.

XVII.

Numismata a Magnis Principibus cusa fuerunt tum ad delectationem, tum ad eruditionem; & vocabantur Missilia. Requisita ad hoc studium sunt, nosse 1. *originem numismatum.*

2. ætates & periodos illorum. 3. pretium & æstimationem.

XVIII.

4. ordinem & classes numismatum, quarum quinque sunt: Regum, Civitatum & Coloniarum, Consularium, Imperatorum, Deorum Dearum & Heroum.

XIX.

Alia requisita ad hoc studium. 1. notitia Græcæ ac Romanæ historiæ. 2. Geographiæ ac Chronologiæ. 3. scriptorum de re numaria. 4. inspectio numismatum. 5. peritia discernendi inter ficta & vera numismata.

§. II.

Scriptores & Chalcographi numismatum.

XX.

Enumerantur Scriptores & Chalcographi numismatum veterum secun-

dum

dum seriem annorum ab anno 1517. *usque ad annum* 1617. *Subjunguntur alii recentiorum usque ad nostra tempora.*

XXI.

Disseritur de numismatis recentioris ævi, & qui de iis scripserint. Agitur de numismatis Pontificum, eorumque excellentia: item de singulari collectione numismatum, quæ ubique gentium cusa fuerunt in honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

CAPUT V.

COGNITIO NUMISMATUM.

§. I.

Pars adversa.

XXII.

Explicatur, quid sit pars adversa seu Antica, quid pars aversa seu Po-

Postica numismatum. Prior continet effigies Augustorum, Regum, Consulum &c. Agitur de ornamentis & parergis, præcipue de coronis, & tegumentis capitum.

XXIII.

Effigies Deorum ac Dearum, aliarumque quæ muliebri habitu comparent in numis, una cum earum signis & symbolis, quæ ordine alphabetico recensentur.

§. II.

Pars aversa.

XXIV.

Hæc continet quinque classes rerum, Inscriptiones; Instrumenta varia: Animalia: Figuras: signa Coloniarum. Disseritur de Inscriptionibus diversis, quarum tredecim enumerantur.

XXV.

XXV.

Differitur de Instrumentis, & ordine alphabetico explanantur.

XXVI.

Differitur de animalibus, quæ symbola & signa sunt variarum rerum. Eorum catalogus.

XXVII.

Differitur de figuris diversarum Provinciarum ac regionum, eodem ordine alphabetico.

XXVIII.

Differitur de Coloniis, & earum signis, quibus discernuntur. Ostenditur amplitudo Romani Imperii e Coloniis per totum orbem deductis.

CAPUT VI.

COGNITIO RERUM E NUMISMATIBUS.

§. I.

Cognitio Familiarum.

XXIX.

Explicantur prænomina, nomina, & cognomina Romanarum Familiarum, unde ortum traxerint, & e quibus fontibus provenerint, ſcilicet vel a Majoribus, vel ab urbibus & populis, vel a quadrupedibus, vel ab aliquo miniſterio.

XXX.

Cognomina tum a virtute ac moribus, tum ab arte & ſtudio: tum ab urbe ac regione devicta, tum ab aliis eventibus, petebantur. Hæc omnia e numismatis addiſcuntur.

§. II.

§. II.

Cognitio Magistratuum.

XXXI.

Agitur de Magistratibus sacris: de Pontifice Maximo: de Augure: de XV. Viris: de Flaminibus: de VII. Viris Epulonum. Horum insignia, e quibus dignoscuntur.

XXXII.

Agitur de Magistratibus profanis: de Consule, de Censore, de Prætore, de Ædili Curuli, de Quæstore, de VII. Viris, de Dictatore, de Imperatore. Exponuntur istorum insignia, quæ in numismatibus videre est.

§. III.

Cognitio Prærogativarum & Titulorum Imperialium.

XXXIII.

Differitur de Titulis: Imperatoris, Cæsaris, Augusti, Patris Patriæ,

Pon-

Epitome Libri VI.

Pontificis Max. Pii, Felicis, Domini Nostri, Germanici, Britannici &c. Principis Juventutis. Hi tituli ex numis Augustorum deteguntur.

§. IV.

Cognitio rerum præclare gestarum & virtutum.

XXXIV.

E numismatis monstratur, qualibus symbolis, signis & figuris, ac ornamentis res Majorum præclare gestas, virtutes, beneficia expresserint Romani. Texitur Catalogus ejusmodi rerum ac virtutum. Adduntur sigilla & inscriptiones Imperatorum Christianorum. Ad calcem adjiciuntur Notæ Compendiariæ in latinis numis occurrentes.

LIBER

LIBER VI.

DE
RE NUMARIA.

CAPUT I.

PRETIUM ET UTILITAS HUJUS REI.

§. I.

Præstantia.

I.

Multa quidem sunt, quæ literatis hominibus, horumque immensæ cupiditati ac pertinaci studio penetrandi in rerum etiam remotissimarum notitiam edax licet tempus reliquit, venerandæ antiquitatis monumenta: Exstant adhuc libri vetustissimorum scriptorum, viginti & amplius seculorum æta-

tem excedentium, e quibus & res a Veteribus præclare gestas, & scientiarum omnium prima elementa ac fundamenta haurire licet: Exstant columnæ, statuæ, pyramides, obelisci, inscriptiones, arcus triumphales, amphitheatra, picturæ, aliaque vel urbium ruinis ac incendiis subducta, vel e tumulis & terræ visceribus eruta, quæ priscorum hominum ingenia, eximias artes, atque industriam incredibilem non sine admiratione nobis exhibent, & veluti produnt. Ausim tamen dicere, ex his omnibus nomumentis nullum aliud magis venerationem nostram, æstimationem ac curam mereri, quam Veterum numos, & numismata. Nam eorum libri, de quibus dixi, sæpe magnam partem mutili, aut hiatibus pleni, aut ob describentium seu oscitantiam seu imperitiam non sine mendis plurimis ad nos pervenere: non raro solum fragmenta supersunt. Columnæ autem, statuæ, inscriptiones, aliæque operum publicorum reliquiæ vel barbarorum furore truncatæ, vel exesæ a vetustate, vel auctoris & actoris, ævi, locique memoria exutæ conspectui nostro se sistunt, divinationibus & litigiis plurimis ansam præbentes. Soli numi & numismata communem vetustatis cladem evasere, non absque grandi temporum nostre-

strorum emolumento, utpote quæ cunctis tempestatum injuriis superiora & heroum imagines, & rerum gestarum symbola, & nomina, & annorum signa palam præseferunt, eruditis atque in arte ista peritis facili negotio, & absque multa hariolatione dignoscenda. Ut nihil dicam, prioris generis monumenta ejusmodi esse, ut loco moveri plerumque non possint, atque ita paucorum, nec nisi ad longa itinera conficienda bene numatorum aspectui se indulgeant, quum non omnibus Corinthum adire datum sit: ista vero peregrinationibus dudum adsueta ex unius in alterius manum transeant, atque in plurimis Europæ cimeliarchiis Principum, ac literatorum hominum hospitio excepta liberaliter intuenda se præbeant. Equidem non desunt, qui rei hujus studium miserum temporis diverticulum, aut omnino dispendium esse sibi persuadent, atque etiam aliis persuasum esse cupiunt, quia totum illius negotium curioso numismatum intuitu, effigierum cognitione, venatione characterum, & signorum interpretatione arbitraria absolvi credunt. Sed me hercle magnopere hi falluntur: latiores sunt fines hujus studii, immo amplissimus eruditionis campus in illo & per illud stat apertus. Ut paucis hoc in loco di-

cam, quæ alibi pluribus ſum expoſiturus; intelligimus numismatum ope Deos Deasque Præſides, quas virtutibus, moribus ſcientiis & artibus præfecerunt Veteres: functiones, inſtrumenta & ceremonias, quas in ſacris adhibuerunt miniſteriis: eorum templa, ſacrificia, hoſtias, vaſa, tumulos, & apotheoſes: detegimus opera quæ ſtruxerunt magnifica, qua publica qua privata, uti theatra, circos, porticus, pontes, arcus triumphales, fontes & thermas: legimus victorias, trophæa, diverſas coronas & præmia bellica, civitatum & provinciarum debellatarum inſignia, veſtes, armorum genus omne: Effigies tot magnorum heroum ac Cæſarum periiſſent, niſi eas numismata ſubtraxiſſent oblivioni poſterorum, ac ſeneſcentis ævi tenebris. Horum pulchra indoles, & characterum nobilitas conſervavit id, quod Veteres perennare voluerunt. Quid? quod non modo vultus & imagines Principum ac Virorum Illuſtrium, eorumque facinora præclara, ſed multa inſuper hieroglyphica, ſymbola, emblemata, & pleraque hujus generis, quæ ingenioſa antiquitas parturiit, variarum rerum argumenta innoteſcant e numis, quæ etiam noſtro ſeculo, & moribus noſtris non invenuſte conveniunt, ac pro rei natæ occa-

ſione

ſione queunt accommodari. Ipſa adeo animalium, rerumque naturalium, quin & nominum propriorum, ac ſinceræ orthographiæ notitia e numismatibus non obſcure poteſt erui, quorum omnium, quæ hucusque commemoravi, teſtes luculenti ſunt tot eruditi, qui hodie circumferuntur, libri de re numaria, totaque illius ſupellectile tractantes.

II.

Quapropter qui colligendis, cælandisque numismatibus operam & artem ſuam contulere, profecto & de tota antiquitate, & de omni poſteritate quam optime meriti ſunt. Nam illarum rerum memoriam æternitati tranſcripſerunt, quarum cognitio majoribus noſtris perquam honorifica, nobis autem oppido utilis eſt, quin & quandoque neceſſaria, quum ad omnium manus ipſa numiſmata in ære, argento, aurove, ſæpe tam rara quam pretioſa, devenire nec ſoleant, nec poſſint. Maximam, ſi non primam, hac in opera laudem tuliſſe videtur Hubertus Goltzius, Herbipolita, (alii in Geldriæ urbe Venlo natum aſſerunt) qui tanto in artem iſtam ſtudio amoreque ferebatur, ut profuſo patrimonio varias Europæ provincias peragrare, & ad clariſſimorum virorum bi-

bliothecas invisere non dubitarit, habita ubivis locorum & gentium inspectione numismatum, aliorumque quæ solers industria comparavit, mirabilium, quæ omnia postmodum Vir improbi laboris in plures libros digessit, atque ex illis Cæsarum, Imperatorumque Romanorum historiam vix non collapsam restituit. Non minus Abrahamus Ortelius, Cosmographus Regius, omnisque antiquitatis cultor insignis inter selectam librorum supellectilem etiam numismata cujusvis generis summa omnium admiratione collegit. Plurimum quoque debet incrementi res numaria Carolo Croijo, Principi de Arschot, qui thesaurum ingentem numismatum, unde unde poterat, congessit immensis sumtibus, quæ postea Antverpiæ typis expressa fuerunt, scilicet numismata aurea a Julio Cæsare usque ad Heraclium Imp. item aurea, argentea, ærea ab eodem Julio Cæsare usque ad Valentinianum Augustum. Sacra etiam tiara & purpura insignes Viri non defuerunt, qui hoc studium impense colebant: Lœvinus Torrentius, Episcopus Antverpiensis, qui pietatem cum eruditione pulcherrimo fœdere conjunxit, veterumque rerum æstimator simul ac admirator summus erat. Hic quandocunque nactus est otium ab Ecclesiæ sibi con-

concreditæ functionibus, vel sacrum aliquod poema, in quo genere excelluit, pangendo, vel rei numariæ studium tractando tempus omne transigere visus est: neque solum grandem numorum ejusmodi thesaurum comparavit, verum etiam XII. Cæsarum res gestas docto commentario numismatum divite illustravit. At nescio, an ullus negotium hoc ita perfecerit, ac celebris Vir Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, qui numismatum ænigmata editis undecim dialogis (quos in latinam linguam postea transtulit Andreas Schottus Soc. Jesu, & ipse eruditionis fama clarissimus) tam dilucide exposuit, ut antecedentibus palmam, sequentibus laborem præripuisse sit visus. Post hos Cæsar Baronius Cardinalis, inclytus ille Ecclesiasticorum Annalium scriptor numismatum imagines ac inscriptiones ad historiæ & antiquitatis demonstrationem frequenter adduxit, certo argumento, quantum & hoc studio delectatus, & quam præclare in illo versatus fuerit; id quod etiam doctissimus Pagius in criticis ad Annales Baronii animadversionibus historiæ subsidia e Priscorum numis petendo liberaliter præstitit. Hujusmodi pulchra vestigia passim quoque occurrunt in Actis Sanctorum, seu

vaſtis Bollandiſtarum, ut nuncupari ſolent, Tomis, in quibus multas res geſtas Sanctorum vetuſtate propemodum jam obliteratas numiſmatum & inſcriptionum ope in lucem protrahunt hi Viri eruditiſſimi. Patet igitur, ut opinor, ſatis clare, quanta ſit rei numariæ præſtantia, quæ tot rerum antiquarum vix ulla cæteroqui indagine deprehendendarum notitiam ſubminiſtrat, & cui operam ſuam addixerunt tot ſanguine, dignitate, ac eruditione illuſtres Viri, hoc præſertim ævo noſtro, quo paſſim in Regum, magnorumque Principum aulis (ut nihil de privatorum quorundam ædibus dicam) inter alia pretioſa ſeu natura ſeu arte factorum monumenta elegantes ac nobiles numorum veterum collectiones magno ſtudio adſervantur, ac hoſpitibus & rerum curioſis exhibentur. Sed ad majora pergamus.

§. II.

Utilitas rei numariæ.

III.

Eruditionis & Antiquitatis ſtudium tam arcto inter ſe vinculo utrumque connexum eſt, ut unum ſine altero ſubſiſte-

re

re nequeat. Nam præsentia cognoscere, quæ omnium sermone circumferuntur, cuivis facile licet, qui non rerum, quæ in mundo geruntur, omnino est ignarus: at scire, quæ præterita sunt, & quidem a nostris temporibus valde remota, eaque nosse cum præsentibus conferre, sibique familiaria reddere, id demum est, quod Eruditi hominis nomen alicui conciliat; quoque majorem quis notitiam vetustatis sibi compararit, eo altiorem etiam in regno eruditionis gradum occupabit. Ad hoc autem tria sunt, quæ vel maxime operam suam conferunt, nimirum historia, chronologia, & geographia: prima, quæ præclara priscorum facinora, & res memoratu dignas suppeditat: altera, quæ temporis, quo factæ sunt, rationem prodit: & tertia, quæ locum, ubi contigere, palam facit. Exemplo ut rem declarem satis obvio, incidat forte sermo de Scipione, de Alexandro Macedone, de Mose populi Israelitici duce, de Constantino aut Carolo M. si sola scias nomina, quod fuerint aliquando in orbe, & quinam: quæ vero fortiter gesserint, quo tempore vixerint, quæ loca victoriis aut factis suis illustrarint, si hæc inquam nescias, nunquam e militum gregariorum numero ac supra vulgus li-

teratorum emerges. Itaque opus est homini eruditionis studioso multa lectione librorum Historicorum, præsertim Veterum, & satis exacta chronologiæ ac geographiæ notitia. Verum ad has ipsas disciplinas, ut firmum in iis pedem figere liceat, plurimum sane utilitatis res numaria contulit, & confert etiamnum. Quippe ut jam monui, optimorum, qui eas tractarunt, Scriptorum lucubrationes ætatis vitio aut truncatæ, & ut ita dicam, sine manibus & pedibus, aut lacunis hiantes, aut scribarum mendis quamplurimis oppletæ, sæpe etiam aliena inscitia vel mala fide depravatæ ad nos pervenerunt: quin quod pejus, non raro ipsi in graves errores lapsi sunt, quod facile patet, dum tot tantaque inter se pugnantia non pauci eorum nobis enarrent. Profecto e Polybii libris quadraginta, primi duntaxat quinque, & duodecim sequentium synopsis superest: quadraginta item libris Diodori Siculi bibliotheca constat, sed præter fragmenta quædam aliorum tantummodo quindecim alii evaserunt interitum; Cornelii Nepotis lucubrationes multæ perierunt, uti & Curtii duo primi libri, & quinti finis: Suetonii historia Cæsarum acephala est. Appiani historiam valde mutilam accepimus: & Dionis Cassii nonnisi lacinias aliquot,

quot, atque ex græca historia Velleii Paterculi pauca fragmenta, aliorum vero scriptorum reliquias in duos libros divisas; In Livio Decadem secundam totam desideramus, & in quinta mediam fere partem. Plutarchus & Laertius in vitis Virorum Illustrium multa narrant, quæ sibi opponuntur: Velleium Paterculum in dilaudando Seiano modum & fidem excessisse tradit Tacitus: ipse autem Tacitus in multis ob fidem & sinistras affectiones apud criticos vapulat. Herodotum corrupisse historiam arguunt Plutarchus & Ctesias: contra vindicare ejus in scribendo integritatem conatur Halicarnasseus. Livius plus æquo favet Pompeio, quam Cæsari: contra Dio plus huic quam illi. Tacitus ubique laudibus extollit Germanicum, Paterculus vero ubique eum insectatur, ut placeat Tiberio: Josephus in antiquitatum Judaicarum proœmio Historiæ a Mose aliisque scriptoribus elucubratæ demturum se nihil, aut adjecturum promisit, fidem tamen in utroque fefellit; plura enim ex suo addidit, alia consulto præterire visus: maximis prodigiis, quæ in historia sacra referuntur, aut majestatem tollit, aut fidem minuit, ne suæ gentis odium incurreret. Ex his modo palam est, etiam post tot veterum scriptorum

monu-

monumenta literaria, quæ in manus nostras pervenerunt, & oculis quotidie obversantur, multa fuisse tum in Græca, tum in Romana, tum in Judaica historia, quæ vel omnino ignoravimus, vel de quorum fide merito dubitare licuit, vel quæ mercibus adulterinis adnumerare fas erat. Huic morbo sane gravi medicam manum adtulit rei Numariæ studium, quod solum potuit. Quippe omnia illa, quæ hoc in negotio in errorem inducere, aut saltem errandi periculo exponere quemquam possunt, quemadmodum sunt auctoritatis legitimæ defectus, documentorum penuria, oscitantia, ignoratio, sinister affectus, aut memoriæ lapsus, omnia inquam ista sustulit. Numi enim Veteres cusi signatique fuerunt publica auctoritate & Senatus Consilio: signati eodem, quo res gestæ sunt tempore: signati summa cum industria, ut nescias, an metalli an laboris pretium majus sit: signati tanta copia Consulum, Regum, Imperatorum, Urbium, populorum, qui suam illis effigiem ac majestatem indulserunt, tantaque varietate rerum bello ac pace gestarum, quæ omnium ore celebrantur, ut fidem illis tanquam testibus eorum, quæ recens facta fuerunt, negare idem foret, ac totum orbem publici mendacii arguere.

Neque

Neque solum historiæ veteris lacunas explevit res Numaria, verum etiam Regum, & Augustorum chronographiam restituit, illorumque sibi succedentium seriem continuam edocuit. Nam qui e priscis scriptoribus Illustrium harum personarum facta descripserunt, de magnitudine ac claritate rerum exponenda plus erant soliciti, quam de temporum ratione ineunda. Unde factum, ut vel prætermissis iis, qui ævum suum duntaxat vitiorum fama funestarunt, vel aliorum heroum egregiis facinoribus admixtis, Consularium Virorum, Regum, ac Imperatorum ordo ac series chronologica his intervallis magnopere turbata fuerit. Ubi vero numorum veterum lux accessit, subito chaos istud emendatum vidimus, instauratas dominantium series, atque historias varias meliori temporum ordine digestas. Conspicere hoc licet in Goltzii Fastis Consularibus, & Vaillantii historia de Imperio Seleucidarum, seu Regum Syriæ & Ægypti: in Harduini libro de numis Herodiadum, & numis populorum ac urbium: in Norisii epochis Syro-Macedonum: in Begeri & Spanhemii operibus de variis regibus & regnis. Non minus emolumentum res Numaria præstitit Geographiæ emendandæ, ad quam pertinet locorum nomina,

situm,

situm, originem, fertilitatem, mores incolarum, arma, vestes, ritus, religionem, politiam, & quæ sunt alia, luculenter describere. Hæc omnia exhibent numi Veteres non minus eleganter quam fideliter, vel palam vel symbolice, id quod patet inspicienti præclaram Abrahami Ortelii geographiam, ubi ad prodenda urbium nomina numismatum subsidio liberaliter usus est: item Harduini laudati numos octoginta aliquot supra centum, in quibus urbium complurium effigies adnotato situ clare satis & curate exprimuntur: nec non Cellarii de antiqua geographia opus eruditum, in quo de populorum ritibus, armis, & moribus plurima numis veteribus constabilita leguntur. Hæc quum secum probe perpenderet idem Joannes Harduinus Soc. Jesu (a) ut erat homo acerrimi judicii, adserere non dubitavit: *Adjicimus subinde veteres numos, quorum testimonio adferri humanum certius nullum potest.*

IV.

Ne autem angustos nimium limites, scilicet intra solam historiam, ejusque comites chronologiam & geographiam, rei nu-

(a) *In Chronol. Vet. Test.*

nummariæ utilitati ponere videar, non minora sunt alia, quæ aliis quoque artibus & scientiis palam adfert, illius emolumenta. Ut nihil dicam de pictorum & sculptorum honestissimis Facultatibus, quibus numismatum diligens consideratio plurimum prodest ad effigies Deorum Dearumque, Augustorum, Regum, Belliducum, Virorum ac fæminarum illustrium, ad insignia & arma, ad vestimentorum varia genera, ad structuras templorum, arcuum, trophæorum imagines coloribus vel scalpro rite decenterque formandas, quum ejusmodi numi plerumque ad omnem elegantiam & artem a priscis fuerint elaborati: ut inquam de his nihil dicam, numorum pondus & valor, ac utriusque notitia Medicæ ac Pharmaceuticæ arti non modicum adfert subsidium ad intelligendos Veterum Machaonum libros, utpote qui medicamenta sua componere miscereque consueverunt ad pondus nunc denarii, nunc victoriati, nunc drachmæ, nunc oboli, nunc libræ &c. quæ priscorum numorum, ac ponderum nomina esse certum est. Jurisperiti quoque magnam inde utilitatem consequuntur ad varias Juris Civilis leges & rectius percipiendas, & eruditius explicandas, ut quum quæstio instituitur, quodnam sit pretium vi-

gin-

ginti librarum, viginti solidorum &c. (b) qua ratione LXXII. solidis libra auri feratur accepta (c). Quomodo pro singulis libris argenti, quinque solidi inferri jubebantur ab Imperatore (d). Quantum nostratis pecuniæ faciant dena sestertia, quæ Claudius Cæsar Advocatis concessit: quomodo distinguendum sit inter monetas: nam Jurisconsulti in infecta *pondus*, in signata *numerum*, in facta *speciem* observant (e). Quid in hæreditatibus dividundis nomine trientis, quincuncis, semissis, assis veniat (f). Præterquam quod scientia Juris Publici Romano-Germanici absque historia veterum temporum, hæc vero absque numismatum cognitione ac intelligentia plane sit jejuna & manca. Denique Theologis quantum S. Scripturæ, tantum rei quoque numariæ studium non utile solum, sed vix non necessarium esse videtur, quoniam hoc destituti ignorabunt, quid sint pondera & numi, quorum frequens sane mentio fit in ejusdem Scripturæ pluribus libris, ut, sicli, stateris, denarii, drahmæ, di-

drach-

(b) *Lib. 2. Feud. de pace tenenda.*
(c) *L. quotiescunque. C. de susceptoribus.*
(d) *L. unica. C. de argenti pretio.*
(e) *L. Si in rem. ff. de rei vendicatione.*
(f) *ff. de hæred. instit.*

drachmæ, minæ, talenti (quorum multa millia expensa fuerunt in structuram templi Hierosolymitani) & argentei, quorum 20. venditus est Ismaelitis Joseph, & Christus 30. Judæis. Hinc tam solicite S. Codicis interpretes in istud eruditionis genus inquisierunt: aliqui etiam, inter quos Villalpandus & Tirinus, præviis commentariis rem numariam illustrarunt. Hæc de præstantia & utilitate rei hujus dixisse sufficiat ad excitandum studii, de quo agimus pulcherrimi gustum.

CAPUT II.

HISTORIA REI NUMARIÆ.

§. I.

Origo numorum.

V.

Quoniam ad numismatum scientiam, & inde profluentem eruditionis thesaurum perveniri haud potest, nisi per notitiam numorum, iccirco de his curatius agendum mihi esse video. Et

quidem primo loco nosse oportet, quid sit numus, quid numisma, quid moneta, quid pecunia, quæ nomina passim pro eadem re significanda adhibentur, cum peritis tamen discrimen aliquod est faciendum. Numus itaque græca vox est ἀπὸ τȣ̃ νόμȣ, id est, a Lege. Nam primis temporibus homines permutationis beneficio, dum pro his rebus aut mercibus aliæ res ac merces exhibebantur, mutuum exercebant commercium. Postmodum ut publica perpetuaque æstimatione permutationum difficultatibus subveniretur, & rerum inæqualium pretia ad æqualitatem revocarentur, numus a Lege introductus fuit. Hunc si ad scholæ normam finire placeat, est metallum (æs, vel argentum, vel aurum) legitimi Magistratus auctoritate publica, forma eaque fere rotunda signatum inscriptumque, & certa magnitudine, debito justoque pondere, ut de valore ac pretio constet, percussum. Tria igitur sunt, quæ in numo requiruntur, nempe materia, pondus, & figura: materia numi sumitur a substantia æris, argenti &c. pondus a quantitate; forma seu expressa effigies & nota a qualitate. Ab his numis dicuntur numuli, qui sunt majoribus commutandis idonei; & qui hos nume-

ratos

ratos exhibent, atque cum iis negotiantur, Numularii adpellantur, quales erant, quos Servator e Templo Solymæo ejecit, dicente Evangelista; *& Nummulariorum æs effudit.* Numisma apud Antiquarios non ita late patet, ut numus: neque enim numismata illi accipiunt eo in usu, quo numos, scilicet ut emendo vendendoque serviant instar pretii & pecuniæ, sed familiari usitataque phrasi numismata vocant, quæ vulgari adpellatione alii dicunt *Medallia* a metallo auri, argenti, vel æris, e quo conficiuntur, ita ut non sint obviæ cujusvis, sed *priscæ monetæ* numi, qui ob vetustatem raritatemque suam studiose adservantur. Hinc Pomponius Juris Consultus (g), dum nomismatum aureorum argenteorumve meminit, ea pro gemmis adhiberi solere dixit, atque ex his non minus quam illis usum fructum legari posse: & Horatius (h) regalia nuncupat, dum de moneta a Philippo Macedonum Rege percussâ canit:

Rettulit acceptos regale nomisma Philippos.

At

(g) *L.* 28. *ff. de usu fructu.*
(h) *Lib.* 2. *epist.*

At monetam ſcriptores a monendo dictam volunt, eo quod ſigni impreſſione, aç inſcriptione Auctoris, temporis, ponderis & valoris nos admoneat, ne qua fraus in ea expendenda recipiendaque committatur. Ita Romani Junonem olim *Monetam* nuncupabant ea de cauſſa, quod ab illa per anſeris vocem de imminente periculo arcis capiendæ moniti fuerint, ut Lucanus meminit:

Numina Caſtrenſis miſcebit flamma Monetæ.

Ac Tullius (i) poſt cladem, inquit, maximam a Senonibus Gallis factam audita vox ex arce Junonis fuit, ex quo illa vocata eſt *Moneta*, ſcilicet a monendo. Ovidius vero jam olim inter priſcam & novam monetam diſcrimen fecit, dum cecinit (k).

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro eſt,
Victaque conceſſit priſca moneta novæ.

Demum pecunia nominis ſui etymologiam debet pecori vel ob materiam, vel ob formam. Materiæ originem adſcribit Iſidorus (l) dum ait: pecuniam dictam eſſe, quod

(i) *L.* 1. *de Divin.* (k) *L.* 1. *Faſt.* (l) *L.* 16. *etymol. c.* 17.

quod numi de pecudum corio incisi & signati fuerint. At Varro, Plinius, Plutarchus & Gellius formæ eam tribuunt, atque pecuniam a pecu vocatam esse contendunt, scilicet ab effigie ovis, vel bovis, aut suis, quam æs primum a Romanis signatum præseferebat; neque absque mysterio, quum a pecudibus istis potissimum facultates suas tunc habebant Romani. A pecunia peculium derivatur, quasi parva pecunia, sive pusillum patrimonium, quod servus Domini permissu separatum a rationibus Dominicis habet, ut cautum est in Jure Civili (m), & est, quidquid alicujus labore ac industria partum est.

VI.

Detecta vocum etymologia ad numorum originem transire juvat. Non solum necessitas, aut indigentia, vel inopia, sed vel maxime utilitas atque commoditas numi parens fuisse, primaque illum invenisse merito dici potest. Quum enim tot diversæ rerum species, quas usus quotidianus qua publicus qua privatus postulat, facile permutari nequirent, inventus est numus, certa mole ac pondere percussus, nota valorem indicante signatus, & legitima

(m) *L. Si. ff. de peculio.*

ma auctoritate munitus, qui rebus permutandis succederet, earumque vel defectum vel pretium suppleret, promoveretque commercium commoda contrahentium expeditaque facultate. Vix enim fieri poterat, quin aliqui in variarum rerum permutationibus, si numus non interveniret, defraudarentur, & simplices circumvenirentur a callidioribus. Agnovit hoc Aristoteles (n) dicens: *Itaque omnia, quorum est commutatio, talia esse oportet, ut quodammodo inter se comparari possint; ob quam caussam numus in usum venit, quia quoniam omnia metitur, fit quodammodo medium*, scilicet inter id, quod datur, & quod accipitur. Est igitur nobis numus, ut cum Ulpiano loquar, velut fidejussor, quum æquum sit, ut qui hunc adfert, accipiat, quod ei respondet: omnia enim paria facit, quum omnia numo æstimentur. Hinc Plato (o) in sua Republica ad omnem æquitatis normam constituta, ubi privatorum nulli licere sanxit quidquam auri argentive possidere, numum excepit: numus enim, inquit, quotitidianæ permutationis caussa, qua & artifices utuntur, propemodum necessarius est, ut operariis, servis, & advenis

(n) *L. 5. Ethic. ad Nicomachum c. 5.*
(o) *L. 5. de Leg.*

venis merces ſolvatur, quorum gratia numum poſſidere concedimus. Atque hæc ſatis plana ſunt.

Jam vero, quis apud varias gentes primum æs, argentum, vel aurum percuſſerit, ſignaveritque, res eſt admodum controverſa. Qui a remotiſſimis temporibus, ipſumque diluvium præcedentibus, originem numi petunt, cum Joſepho ajunt (p), Cainum ingentes opum & pecuniarum facultates per vim & rapinam accumulaſſe, ac tandem ædificata civitate Henochia, quam domeſticis ſuis habitandam tradidit, pondera & menſuras ad exercenda commercia eis præſcripſiſſe: Porro in ſeptima Caini generatione artes illas, quæ reipublicæ conſervandæ augendæque uſui maxime ſolent eſſe, inventas fuiſſe a tribus Lamechi filiis, inter quos Tubalcain, de quo Scriptura S. inquit (q): *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit Malleator & Faber in cuncta opera æris & ferri.* Cenſet itaque Joſephus, quem Villalpandus & alii ſequuntur, Tubalcain artem ferrariam & ærariam primum perfeciſſe, utpote qui metalla fundere, malleo diducere, formare ac expolire docuerit, atque ita & monetas ſeu numos primum cudiſſe, tan-

(p) *L.* I. *antiq. c.* 3. (q) *Geneſ.* 4.

tanquam rem ad civitatis & reipublicæ commoda oppido necessariam. Verum ultra conjecturæ fines hæc opinio non egreditur. Aliam ineunt viam profani scriptores: Macrobius (r) & Eutropius (s) Jano ac Saturno inventionem numi adjudicant. Primus quidem narrat, Saturnum cum classe sua in Italiam profectum a Jano fuisse hospitio liberaliter exceptum, ubi quum ille ruris colendi peritiam Janum docuisset, ab hoc in regni societatem adlectum esse: quumque Janus primus æra signaret, in Saturni reverentiam cusum fuisse numum, in cujus una parte Jani bifrontis effigies, in altera navis rostrum (quoniam Saturnus navigio advectus fuerat) exprimebatur. Atque hujus sententiæ Ovidium quoque fuisse satis constat, dum velut interrogando canit (t):

Multa quidem didici; sed cur navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps?

Et mox sibi ipsi respondet:

At bona posteritas puppim formavit in in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Secun-

(r) *Lib.* I. *Saturnal.* (s) *Lib.* I.
(t) *Lib.* I. *Fast.*

Secundus vero, nempe Eutropius, auctor est, Saturnum æreos numos primum instituisse, quando in Italiam altera navigatione delatus fuit: unde apud Romanos ærarium fuisse erectum in Saturni æde, tanquam Custodis & Præsidis publicarum pecuniarum; quod & Plutarchus scribit (u). At Pollux (x) & Strabo (y) a Phidone primum numum signatum esse tradunt, quod posterior Phidoni Eleo, prior Argivo tribuit. Herodotus (z) Lydios omnium primos numum aureum & argenteum publico usui percussisse memorat, dicens: *Primi autem hominum, quos nos novimus, Lydii numo ex auro & argento percusso usi sunt.* Lucanus Jonum Thessaliæ Regem numi auctorem prodit his versibus:

Primus Thessaliæ Rector telluris Jonus
In formam calidæ percussit pondera massæ:
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, & immensis coxit formacibus æra.
Illic, quod populos scelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum est.

VII.

(u) *In Publicola.* (x) *Lib.* 9. (y) *Lib.* 9. (z) *Lib.* 1. *Histor.*

VII.

Verum ex hactenus in medium allatis scriptorum testimoniis, tam inter se diversis, necdum vera numi origo patescit. Certe qui ad Cainum & Tubalcain ante diluvii tempora eam referunt, fines rei numariæ nimium liberaliter extendunt, & absque firmo in S. Historia vestigio: Illi vero, qui ex profanis scriptoribus varios numi conditores celebrant, arctiores quam par est limites ponunt, quum satis constet, ante horum omnium tempora numos percussos atque signatos in mundo jam comparuisse, ut mox dicam. Mihi, ut verum fatear, media via placet, eoque magis, quod omnium fere artium atque scientiarum, de quibus hactenus egi, agamque deinceps, certa primordia apud populum Dei electum circa Abrahami & Mosis ævum in S. Historia, utique fide dignissima, deprehendere liceat. Itaque qui remotissimis seculis vixerunt homines, mercimonia sua exercebant permutando res cum rebus, v. g. triticum cum panno, panem cum calceo &c. At invento ac invalescente metalli usu constituebant certam illius molem, quæ universarum mercium vices subiret: hinc ære adpenso utebantur, non adhuc signato, sed rudi, atque non tam

for-

forma vel figura, quam pondere metalli æstimabant rerum pretia, ita ut qui rem alterius magni æstimatam comparare sibi vellet, magnum æris aut argenti pondus ipsi vicissim traderet. Successu temporis invalescente mercatura, quum pondus æris plusculum gravaret, molestumque esset semper adhibere bilancem, alio verterunt curas & ingenium: loco æris adpensi cœperunt uti ære signato, seu tali, cui signum quoddam impressum erat, quo vel magna vel minor æstimatio, ac pretium politicum significabatur: atque æs hoc signatum ponderis longe levioris fuit, ita ut *as* seu pondo non jam esset amplius libra æris duodecim unciarum, ut antea, sed ne uncia quidem, solumque parvus ex ære numus, cui valore ac æstimatione respondent quinque quadrantes nostri, seu cruciger, ut vocant, cum una illius parte: Neque pretium jam a materia ejusque mole desumebatur, utpote quæ paullatim magis magisque imminuta fuit, sed a figura ut dixi numo impressa. Tempus autem, locum, & numi signati genus quale primum fuerit, cui tuto acquiescere possimus, e Geneseos historia habemus. Refertur enim in ea (a), Abrahamum postquam ex Ægypto

(a) *Genes.* 23. *v.* 14. *&c.*

pto rursus in terram Chanaan ascenderat, petiisse ab Ephron agrum, in cujus extrema parte duplex spelunca fuit, ut in ea Saram uxorem suam vita functam sepelire posset: quem quidem agrum sponte ac gratis oblatum recipere noluit, nec aliter ac pro justo pretio empturum se ipsi Ephron declaravit Patriarcha. Hæc ubi narrat S. Scriptura, mox subjungit: *Responditque Ephron: Domine mi, audi me, terra quam postulas, quadringentis siclis argenti valet, istud est pretium inter me, & te: sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum. Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Quæ ultima verba consideratione nostra dignissima sunt, quum vel maxime percussi apud Hebræos sicli vetustatem indicare videantur. Publica autem moneta dicitur, quæ auctoritate legitima cuditur; probata quæ justum pondus ac pretium habet, sive id, quod in tractandis rerum commerciis exponitur. Non minus eodem in libro S. Codicis (b) dicitur, Jacob Patriarcham emisse partem agri *centum agnis*, quem ipsum locum Scripturæ adducit S. Stephanus Levita, cum Judæis

in

(b) *Genes. 23. v. 19.*

in Synagoga disputans (c), interpretaturque dicens: emisse Abrahamum partem agri *pretio argenti*, scilicet centum numis argenteis forma *agnæ* signatis. Hac ipsa ratione in libro Job (d) legimus, singulos cognatos Jobo dedisse *ovem unam*, quod alii ex Hebraico vertunt *numum unum*, nempe figura *ovis* signatum. Quapropter quum ex una parte profana historia primæ monetæ signatæ auctores faciat Janum, Saturnum, Phidonem, Jonum, Lydios &c. (e) hi omnes autem sexcentis & ultra annis post Abrahamum & Jacobum vixerint: sacra vero historia Veteris Testamenti primam monetæ signatæ mentionem faciat, dum de Abrahamo, Jacobo, & Jobo loquitur, vero simillimum est, *primum tempus* introductæ pecuniæ signatæ ad Abrahami ævum, quo etiam Monarchia Assyriorum surrexit, mille & octingentis scilicet post conditum mundum annis, *primum locum* ad regionem Chanaam, in qua habitarunt Patriarchæ, *primumque numum* percussum ad siclum referri debere. Impugnat quidem hanc opinionem Eruditissimus Calmet (f) negans Abrahami pecuniam fuisse signatam; idque hoc præcipuo ac fere unico persuasus argumento, quod S. Scri-

(c) *Act*. 7. *v*. 16. (d) *Cap. ult. v*. 11. (e) §. *antecedente*. (f) *In Dissert. de monet. Hebr*.

S. Scriptura disertis verbis dicat, Abraham *appendisse pecuniam* : pecunia autem signata appendi non soleat, sed numerari, utpote quæ pretium non a pondere, sed a valore per signum indicato acquirit. Verum facilis ad hoc argumentum responsio est : nimirum res hæc pertinet ad modos loquendi, quales non raro etiam diutissime perseverant, etsi ea, quæ verbis significantur, longe alia, quam antehac, ratione peragantur. Ita hodie adhuc dicimus *jaculari aves*, licet modo non jaculo configamus aves ut olim, sed glande plumbea e sclopo emissa : dicimus *majorum ceras ostendere*, non quod ut olim imagines istæ e cera sint effictæ : dicimus *hostem sub jugum mittere*, *prærogativam obtinere*, *nigro vel albo calculo notare*, *colophonem imponere*, *lituram facere*, *stilum vertere*, &c. quæ omnia non eo nunc modo fiunt, quo quondam facta sunt : quin ut ad institutum propius accedam, dicimus etiamnum *pecuniam alicui appendere*, pro numerare ; *verba appendere* pro considerate loqui. Cur igitur S. Scriptura de Abrahamo dicere nequiit, quod *appenderit pecuniam* pro numeraverit, retento scilicet pristino loquendi more, ubi pecunia necdum signata fuit, præsertim quum addat speciem pecuniæ, seu *siclos argenti pro-*

bata

batæ moneta publica? Sed certiora nunciare possumus de numis Romæ signatis, longo licet post temporum intervallo: qua in re fere consentiunt Scriptores prisci, nimirum a Servio Tullo VI. Romanorum Rege (qui primus etiam censum civium instituit) æs primum Romæ signatum esse circa annum M. 3388. & V. C. 176. quum antea nonnisi æris rudis usus fuisset: argentum vero ibidem cusum signatumque an. V. C. 484. auream denique monetam annos sexaginta duos post argenteam in Urbe fuisse percussam.

§. II.

Varietas numorum.

VIII.

Expedito sat difficili argumento de numi origine ad varietatem progrediamur, quæ profecto tanta est, quanta nationum in mundo diversitas. Ut vero certis finibus rem adeo late patentem circumscribam, tota ista varietas ad materiam & formam numi redigenda esse mihi videtur, utpote e quibus ortum suum trahit. Quantum igitur ad materiam adtinet, præcipua e qua numi cuduntur, triplex est. Latini vacant æs, argentum, & aurum:

Græ-

Græci χαλκὸς, ἄργυρος, & χρυσός: Hebræi Nachúſch, Keſeph, & Zachav. harum enim trium nationum numi ante alios celebres ſunt, & peritorum indagini ſerviunt. Æris uſus antiquiſſimus eſt, jamque ante diluvium de artefactis ex ære mentio fit in S. Scriptura, ubi Tubalcain vocatur *malleator & faber in cuncta opera æris & ferri*. Argenti vero & auri primum in eadem veſtigium occurrit trecentis poſt diluvium annis (g), quando Abraham dicitur *dives valde in poſſeſſione auri & argenti*. Quum autem prima pecunia e ſolo ære cudi cœpta fuerit, rudis tamen & ad libram expenſa, necdum ſignata, factum eſt, ut omnis alia quocunque metallo conſtans æris adpellatione comprehenderetur. Inde natum eſt proverbium: *Qui non habet in ære*, id eſt, in pecunia, *luat in cute: Obæratus* quoque apud Livium & Cæſarem nuncupatur, qui eſt debitis gravatus: hinc etiam *Ærarium* derivatur, tam civile, ſeu locus, in quo omnis generis pecunia publica Romæ cuſtodita fuit in æde Saturni, quam militare ab Auguſto Cæſare inſtitutum, e quo militibus ſtipendia ſoluta fuerunt.

Argentum erat præcipua materia, qua ad numos cudendos utebantur Græci & Ro-

(g) *Geneſ.* 13.

Romani, qui postremi in tres veluti classes argenteos numos suos divisere, scilicet in Denarium, Quinarium, & Sestertium, quæ monetæ genera erant frequentissima usque ad inclinationem Imperii. Sumitur autem quandoque argentum pro omni pecunia: ita Horatius: *Argenti sitis & fames*, & Plautus *argentum locare fænori* dixit, id est, cum pecunia fœnerari. Aurum a Romanis durante Republica nonnisi purum sine ullius alterius metalli admixtione ad monetam cudendam adhibitum fuit, & quidem ex Senatus Consulto, quod a Dictatore Sylla per legem sibi cognominem, atque ab Augusto per legem Juliam confirmatum est, tenuitque mos iste usque ad Alexandrum Severum Imp. qui quintam partem argenti cum quatuor auri partibus misceri permisit. Hinc sincerus aureus numus Romanus haud reperitur, qui non sit ex auro probatissimo confectus. Accipitur quoque aurum apud Veteres non raro pro quovis numo, uti apud Virgilium legitur:

Auri sacra fames.

Quamvis vero, uti dictum est, numi probi e triplici potissimum materia, videlicet ære, argento, & auro omnibus fere seculis percussi fuerint, nihilominus alias quandoque materias iis conficiendis adhi-

bitas fuiſſe ſatis certo conſtat. De Lycurgo prodit Plutarchus (h) quod monetam omnem auream atque argenteam e Lacedæmoniorum Republica proſcripſerit, ac ſoli *ferreo* numo magni quidem ponderis ac molis, exigui tamen pretii, auctoritatem in commerciis adtribuerit. Hoc eo fine Lycurgum feciſſe tradit idem Plutarchus, ut pleraque facinorum malorum genera e ſua Republica ſimul cum auro & argento proſcriberet. Meminit quoque numi ferrei Byzantium introducti Plato Comicus (i) dum ait: *Difficulter Byzantii habitaſſemus, ubi ferreis numis nunc utuntur*. Numos e *ſtanno* percuſſit Dionyſius Syracuſanus ob argenti inopiam, & ut pro argenteis haberentur, publico mandato ſanxit teſte Ariſtotele (k). *Plumbei* numi uſum tanquam abjectæ conditionis ſignum irridet Plautus (l) inquiens:

Tace ſis faber, qui cudere ſoles plumbeos numos.

Idem ſuo quo vixit ævo ex orichalco fabricatos fuiſſe numos his verſibus teſtatur (m):

Credo treis mihi homines orichalco
Ita emptos iſtis moribus.

Ne-

(h) *In ejus vita.* (i) *In Pyſandro.* (k) *Lib. 2. Oeconom.* (l) *In Moſtellaria.* (m) *Plautus in Milite.*

folum metallis hisce villofibus mo-
etium tribuerunt Veteres, verum
orio & loro; unde numi Scortei
Lorei, & Lorei dicti sunt, quos ali-
per Carthaginensium manus & ta-
ipsoque in foro circumivisse con-
latonis Eryxia (n), quosque ita
t: In pellicula exigua illigatum
nta est stateris amplitudo maxime;
ro illigatum sit, nemo scit, nisi qui
. Deinde hoc obsignato pro numo
r: & qui hujusmodi numos plurimos
, is plurimas pecunias possidere, ac di-
resse videtur. Platonis testimonio ac-
quod Suidas præbet, scilicet ante Nu-
omanorum Regem per scorteos & te-
pecuniæ usum fuisse expletum. Quin
moneta e mori quoque corticibus a
orum Imperatore Cham in urbe
lli, & apud Cathainos, gentem In-
, e papyro forma quadrata regis
iem præseferente confecta feratur.
s materia numi.

IX.

ma illius tum a figura, tum a chara-
us & imaginibus impressis desumi-
Figura plana & fere rotunda gau-
dens

Seu Dialogo de divitiis.

dent plerique numi, ut ex antiquissimis illorum cuivis patet, quam elegerunt credo prisci homines partim quoniam hæc figura reliquis omnibus perfectior est, partim quia ad tractandos manibus, & portandos in loculis commodissima videbatur. Characteres vero duplicis generis sunt: vel enim sunt notæ, quibus quantitas & valor numi significatur, quemadmodum animadvertit Aristoteles (o), dum ait: *Primum quidem omnino finitus est numus magnitudine & pondere: tandem vero & charactere impresso, ut a dimensione eos liberaret: character enim quantitatis nota constituta est*, ut si legas in denario Romano vetusto 10 ℔, in quinario ʃ ℔, in sestertio $2\frac{1}{2}$ ℔, id est, libras quas mole sua continent, aut quibus æquivalent: vel sunt ἐπιγραφή seu inscriptio literarum & nominum, nempe Principum, Civitatum, Coloniarum &c. quorum auctoritate, ac temporum, quorum decursu cusi fuerunt. Ejusmodi est ille, quem Corinthii dicarunt Augusto Cæsari, in cujus fronte legitur AVGVSTVS. CORINTHI. a tergo C. HE IO. POLLIONE. IER. C. MVSSID. PRISCO. IIVIR. id est, *Caio Heio Pollione iterum, Caio Mussidio Prisco Duumviris.* Et alius, cui una ex parte inscri-

ptum

(o) *L. 1. c. 6. de Repub.*

ptum est: IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. ex altera: P. M. S. COL. VIM. AN. IIII. seu *Provinciæ Mæsiæ Superioris Colonia Viminacium anno quarto.* Imagines autem tot sunt, quot Imperatores, Reges, Principes Viri, Nationes, Respublicæ, Civitates, aliique, penes quos vel cudendi auctoritas est, vel in quorum honorem numi sunt percussi, impressa fronti effigie aliqua, tergo autem nota quadam seu typo, Principi aut Nationi proprio. Juvat heic adtexere e Camerario catalogum brevem ejusmodi typorum veterum, secundum ordinem Alphabeti dispositorum: *Ætoli* in numo suo Herculem inciderunt, cornua Acheloi clava confringentem. *Alexander* Macedo bucephalum equum, item effigiem suam in solio sedentem, tenentemque manu avem; item victoriam alatam numis a se cusis inscripsit. *Argivi* lupum indiderunt, vel murem. *Asia* puerum delphino vectum. *Athenienses* noctuam cum Palladis effigie. *Augustus Cæsar* sidus capricorni, sub quo natus erat. *Brutus* hinc imaginem suam, illinc pileum cum duobus pugionibus, symbolum liberalitatis adsertæ. *Byzantini* delphinum tridenti circumfusum. *Chii* harpyiam. *Corinthii* pegasum cum Neptuno tridentigero sedente. *Cyziceni* leo-

nem. *Demetrius* Neptunum reducem. *Dardania* gallorum duorum pugnam. *Hebræi* ſiclo ſuo inſculpſerunt virgam Aaronis effloreſcentem cum thuribulo fumante. *Itali* Janum bifrontem & ratem, item bovem & ovem. *Livia* cererem legiferam inſcripſit. *Lycii* leonem cum capra inſidente. *Macedones* Herculis clavem & cornua hircina. *Naxii* bruchum, vel ut alii ſcribunt, bacchum barbatum, & ſatyrum cum poculo. *Perſæ* ſagittarium. *Peloponneſii* teſtudinem. *Philippus Macedo* bigas pro inſigni habuit. *Phocenſes* aquilam & tripodem. *Pyrrhus* Palladem haſtatam in ſolio ſedentem. *Samii* pavonem. *Seleucus Nicanor* anchoram numo inſculpſit. *Thebani* herculis bipennem. *Teſſali* equum.

X.

Superſunt adhuc quædam, ad rei numariæ hiſtoriam ſpectantia, quæ paucis expediam. Et quidem poteſtas cudendi monetam ad ſummum Principem, aut Magiſtratum ſupremum, qui Principis loco eſt, ſemper ſpectabat, ut etiam in Jure communi ſtatuitur (p). Ita primi ſtatim Reges Romani Numa, & qui ſecuti ſunt, eam exercuere, quemadmodum produnt co-

(p) *L. fin. C. de fal. monet.*

eorum numi, quos ipſum nomen ſuum a Numa memorato traxiſſe perhibet Tranquillus. At exactis Regibus Reipublicæ Principes curam ac poteſtatem ſignandi numi Romæ commiſerunt minoribus Magiſtratibus, ut Cicero (q) ex legibus XII. Tabularum his verbis teſtatur: MINORES MAGISTRATVS AES, ARGENTVM, AVRVMVE PVBLICE SIGNANTO. Triumviros quoque, quos Monetales, & Æris, argenti, aurique Flatores adpellabant, conſtituerunt, ut ex antiquis aliquot numis patet, quorum uni inſcriptum legitur: C. PLOTIVS III VIR. A. A. A. F. F. hoc eſt: *C. Plotius Triumvir auro, argento, ære flando, feriundo.* Ne vero fraudis quidquam in re tanti momenti interveniret, numi Spectatores addiderunt, ab officio ſic dictos, utpote quorum erat, numos inſpicere, cenſere, ac æſtimare. Solebant hi vel tinnitu, vel ad coticulam lydiam eos explorare, minusque probos rejicere tanquam ſpurios; quæ res adeo placuit populo Romano, tamque jucunda accidit plebi, teſte Plinio (r) ut Mario Gratidiano, qui legem *numi ſpectandi* tulit, vicatim ſtatuas dicarit. Ut autem non commerciis duntaxat,

(q) *Lib.* 3. *de leg.* (r) *L.* 33. *c.* 10.

xat, ubi maximè argentum expendebatur, sed etiam quotidianis usibus prospicerent, ubi minutis numis opus est, adhibuerunt Argentarios (Livius Mensarios, Suetonius Numularios, Trapezitas Plautus nuncupant) qui perpetuo fere ad mensam in foro pone ædes Castoris adsidebant, ut argenteam monetam cum ejusmodi minutis numis promte commutarent. Horum meminit Plautus (s), ubi ait:

Sub veteribus ibi sunt, qui dant, qui accipiunt fœnore,
Pone ædem Castoris ibi sunt.

Porro non solum Romani, sed aliæ quoque gentes gravissimis pœnis in eos animadvertebant, qui pecunias adulterare ausi fuerunt, vel admiscendo sequioris metalli portionem, vel aliquid de justo pondere detrahendo, vel signando absque legitima auctoritate (queis tribus modis adulteratur pecunia). Nam Tacitus Imperator cavit, ut si quis argento publice privatimque æs, si quis auro argentum, si quis æri plumbum miscuisset, capitale esset cum bonorum proscriptione, ut Flavius Vopiscus testatur (t). Ulpianus ait: Quicunque numos aureos par-

(s) *In Curcul.* (t) *In ejus vita.*

artim raſerint, partim tinxerint, vel finerint, ſiquidem liberi ſunt, ad beſtias ari: ſi ſervi, ſummo ſupplicio affici deent (u). Adulterinam monetam clandeinis artibus conficientes extremo ſupplicio afficiendos eſſe, & domum vel funum, in quo fabricantur, publicandum mperator Conſtantinus reſcripſit (x). Diogenem Sinopeum Iceſiii Menſarii filium ob monetam corruptam e Græcia in exiium una cum patre pulſum fuiſſe memorat Laertius (y). Apud Ægyptios pecuniam adulterantibus ambæ manus amputabantur teſte Diodoro Siculo (z) Jure Saxonico falſæ monetæ cuſores vivi igne cremantur. Hodiernis moribus in Imperio capitalem pœnam incurrunt.

XI.

Ut autem ad poteſtatem & jus numi cudendi ſignandique revertar, de quo dicere inſtitui, Reipublicæ tempore Senatus Romanus, penes quem ſumma rerum erat, poteſtatem hanc per inferiores

(u) *In L. Quicunque. ff. ad L. Corneliam de falſis.*
(x) *In L. 1. Cod. de falſa moneta.*
(y) *Lib. 6.*
(z) *L. 2. de Ægypt. legibus.*

res magistratus exercebat, atque initio quidem numis imponebant effigies Deorum suorum, tum etiam icones triumphorum a strenuis Belliducibus obtentorum. Postquam vero ad Cæsares per Legem Regiam suprema potestas Imperii devoluta fuit, jus quoque monetæ non solum exercuerunt ipsi, verum etiam privilegium hoc concesserunt sanguine aut cognatione sibi proxime junctis, atque illis, quos regni successores designarunt. Plurimi eorum Matris, Conjugis, & Sororum effigie numos insignivere, uti Augustus Liviæ: Agrippinæ, Drusillæ, ac Juliæ Caligula: Claudius Messalinæ & Agrippinæ: Octaviæ ac Poppææ Nero, & Titus Juliæ; quod honoris genus præcipuum habebatur. Nihilominus usque ad Hadrianum Imperatorem Senatus Romanus jus numos cudendi retinuit, uti produnt literæ iis adpositæ S. C. id est, *Senatus Consulto*. Hadrianus vero primus fuit, qui sibi soli jus hoc arrogavit, quamvis etiam post ipsum multi reperiantur, auctoritate Senatus, quin etiam Tribunitia potestate signati, qualis est, quem penes me habeo Constantini M. tempore cusum cum inscriptione a fronte: IMP. CONSTANTINVS. P. F. AVG. a tergo: SOLI INVICTO COMITI

MITI

ĸITI. T. P. ſeu *Tribunitia poteſtate.* At ıccedentibus temporibus Imperatores tiam Regibus inferioribus, Ducibus, Reıuspublicis, ac Civitatibus facultatem cuıendi monetam conceſſere quamlibet, & quolibet metallo. Quin & alii uſurpaione illam ſibi vendicarunt. De Antiocho ŀege, Demetrii filio, in Sacris Literis (a) egimus, quod Simoni Duci ac Sacerdoti Magno Judæorum honoris ergo permiſerit, ıt propria patriæ ſuæ nota monetam cudee poſſet: *Permitto tibi percuſſuram proprii numismatis in regione tua.* Sylla empore belli Mithridatici Lucullo ſignanli numi in Peloponneſo negotium dedit; ınde is numus *Luculleus* dictus eſt, ut reert Plutarchus. Henricus III. Imp. an. 049. jus monetæ ſignandæ Epiſcopo Paavino indulſit. Genuenſes an. 1139. a Conrado III. Germanorum Rege pecuniæ ignandæ jus obtinuerunt. Quare in accepti ıujus beneficii monumentum aureos ipſius Conradi Regis nomine ſignabant. Idem avor Placentinis ab eodem Conrado exıibitus eſt. Fridericus I. Imp. capta Dorona an. 1158. Cremonenſibus amicis hoıoris cauſſa jus pecuniæ ſignandæ imperivit. Lucius III. Pontifex Max. ut cives ſuos Lucenſes ob legationem honeſtiſſimam ad

(a) 1. *Machab.* 15.

ad se missam eximio aliquo beneficio afficeret, adsentiente Friderico I. Imp. illis indulsit, ut pecuniam cuderent Tusciæ, Marchiæ, Romaniæ, Campaniæque communem. Henricus VI. an. 1191. Bononiæ hospitatus civitati jus cudendæ monetæ concessit: primus numus ab una parte Henrici, ab altera Bononiæ nomen habuit. Otto III. Verdensi Episcopo facultatem tribuit cudendi argentum, & ut solemnes nundinas intra sui Episcopatus limites celebraret. Exempla hucusque allata remotioris ævi producunt Sigonius (b) & Cranzius (c), Nostris temporibus quivis fere Ducatus, Principatus, Respublica quævis, & civitas dominans vel habet vel arrogat sibi jus monetæ cudendæ. In Imperio solius Cæsaris effigies *laureata* imprimitur numis, qui tamen in re numaria generalem quemdam modum præscribere non potest, nisi plures Electorum consentiant. Denique memoratu digna est origo numi aurei, quem vulgo *Ducatum* vel *Zecchinum* adpellamus, qui 20. Julios Romanos seu quatuor florenos valet. Polydorus Vergilius (d) ducatum esse dictum memorat a Romano Ducatu, qui Magistratus fue-

(b) *Lib.* 8. 11. 12. 14. & 15. *Regni Italici.*
(c) *Lib.* 9. *Metrop. c.* 1. & *lib.* 3. *c.* 36.
(d) *Lib.* 2. *de Invent. c.* 20.

fuerat primum conſtitutus a Longino, quem Juſtinus Imperator Narſeti Italiæ Præfecto ſucceſſorem dedit. Verum alii contendunt, primam monetam auream, quem Ducatum ſeu Zecchinum vocamus, Venetiis an. 1280. cuſam fuiſſe, cujus inſcriptio erat:

Sit tibi Chriſte datus, quem tu regis, iſte Ducatus.

A qua voce ultima monetæ hujus ortum ac etymologiam deducunt.

CAPUT III.

OECONOMIA NUMORUM.

§. I.

Numi Romani.

XII.

Dum œconomiam numorum nomino, diſtributionem eam intelligo, qua rerum periti numos in tres claſſes dividunt, ſcilicet in Romanos, Græcos, & Hebraicos, utpote reliquis aliarum gentium numis celebriores, quorumque notitia tum ad hiſtoriæ, tum ad Juris Civilis,

vilis, tum ad S. Scripturæ ſtudium perutilis, quin & quandoque neceſſaria eſt. Porro in quavis claſſe plures ac diverſæ numorum ſpecies continentur: in Romana As, Seſtertius, Quinarius, Denarius, Talentum: in Græca Obolus, Drahma, Bos, Mina, Talentum: in Hebraica Siclus, Drachma, Didrachmum, Mina, Talentum. De his igitur ordine agendum eſt, ut eorum uſus & valor pateſiat, quæ res cum non modica eruditione conſociata eſt. Ne autem Lector, dum memoratas numorum ſpecies legit, de illorum valore, qui nunc iis reſpondet, continuo aut dubius hærere, aut ſingulis locis interpellari debeat, valorem iſtum, quem olim habuerunt, ad noſtræ monetæ rationes ſubducere ſtudui, ac in unum ſimul conſpectum dare. Ubi tamen notari velim, quum auctores in hoc negotio minime conveniant, medium inter ſummum & infimum pretium me elegiſſe atque rotundum, omiſſis tam moleſtis quam multis, quas Arithmetici vocant, fractionibus. Pro fundamento conſtitui florenum Imperialem, ſeu 60. crucigeros, quorum unus 4. quadrantes, quadrans autem 2. obolos valet, in quos ultimos denique omnium fere gentium moneta deſinit. Itaque in numis Romanis *As libralis* noſtro valore unum

fere

fere crucigerum adæquat; *Sestertius* minimum 2. crucigeros: *Sestertium* seu mille *Sestertiorum* 33. florenos, 20. crucigeros. *Quinarius* 5. fere crucig. *Denarius* 10. fere crucig. *Mina* seu mille æris 16. flor. 40. crucig. *Talentum* 1000. floren. In numis Græcis *obolus* fere unum crucigerum & 3. quadrantes. *Drahma* fere 10. crucig. *Bos* fere 20. crucig. *Stater* fere 40. crucig. *Mina* fere 16. flor. 40. crucig. *Talentum* 1000. flor. In numis Hebraicis *As* 5. quadr. *Obolus* 10. quadr. *Denarius* 12. crucig. 2. quadr. *Drachma* 12. crucig. 2. quadrag. *Siclus* seu Stater 50. crucig. *Argenteus* 50. crucig. *Mna* seu Mina 20. flor. 50. crucig. *Talentum* 1250. flor. Intelligendum autem hoc est de siclis & talentis argenti: nam siclus auri valet 10. flor. Talentum auri 15000. flor. His præmissis:

Æs, *As*, *Assis*, tria nomina sunt, eadem tamen res, uti ex Livio, Plinio, aliisque intelligimus. Nam quod prior (e) *millia æris* vocat, posterior (f) millia assium adpellat: & quum in legibus XII. Tabularum dicitur, *si injuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœnæ sunto*, Phavorinus (g) id exponens inquit: *Quis erit tam*

(e) *Lib.* 1. (f) *Lib.* 33. *c.* 3. (g) *Apud Gellium l.* 20. *c.* 1.

tam inops, quem ab injuria facienda XXV. asses deterreant? Equidem *Æs* generale nomen est, & pro quovis numo & pecunia usurpatur, peculiarem tamen simul numum denotat, a materia unde cuditur, sic dictum. Vetustissimus enim inter Romanos ex ære primum rudi ac informi, postea etiam signato confici cœpit regnante Tullo, dicebaturque *Æs*, seu *As*, & *Assis*, quemadmodum denuo Plinius refert, *Tullum VI. Romanorum Regem æs apud illos primum signasse* (h). Nota hujus monetæ erat I vel O. imago autem impressa Jani caput geminum, & prora navis, qua Saturnus in Italiam vectus est. Duo autem heic observanda veniunt: primum est, auctores sæpius usurpare per enallagen voce *æris* pro æreis numis. Ita dicunt v. g. expensum esse *centum* aut *mille æris*, intellige, expensum esse centum aut mille numos æris vel æreos, sive totidem asses. Alterum, quod aliquando *æris gravis* adpellatio occurrat. Sic Livius (i): *Et quia nondum argentum signatum erat, grave æs plaustris quidam ad ærarium convehentes speciosam collationem faciebant.* Intelligitur per grave æs moneta, qua necdum numerata, sed solum adpensa solvebantur debita. Cæterum As

(h) *Lib.* 33. *c.* 3. (i) *Lib.* 4.

As prima ſui inſtitutione unius libræ pondus æquabat, & *libralis* dictus eſt: libram vero in duodecim uncias diviſerunt. Unde *Semis* ſeu ſemias ſex unciarum numus erat: *Triens* ſeu $\frac{1}{3}$ aſſis pars quatuor unciarum: *Quadrans* ſeu $\frac{1}{4}$ aſſis pars trium unciarum, propterea & *Teruntius* nuncupatus: *Sextans* denique ſive $\frac{1}{6}$ pars aſſis duarum unciarum. Diſtinguebant autem veteres hos numos certis ſignis, Trientem ●●●●, Quadrantem ●●●, Sextantem ●●, uti priſcum æs intuentibus patet. Non minus varias pecudum formas iis impreſſerunt, ovis, bovis, ſuis, & rotæ currus, quibus veluti grato animo teſtatam volebant Romani primam opum ſuarum originem ex pecoribus & agricultura provenientem. Porro æris ſeu aſſis pondus non ſemper idem erat, ſed pro temporum varietate atque inopia ſæpius imminutum eſſe legimus, remanente tamen valore priſtino. Sic bello primo & ſecundo Punico, quum Reſpublica grandibus impenſis par non erat, conſtitutum fuit, ut aſſes, qui alias librales erant, ad ſextantis pondus reducerentur, ita ut ex uno aſſe ſex aſſes fierent, quorum quisque ejusdem cum librali æſtimationis eſſet: poſtmodum Hannibale Italiam infeſtante unciales aſ-

ſes introducti fuerunt, qui ſeptimam li-
bræ partem duntaxat æquabant: brevi etiam urgente majori neceſſitate per legem Papyriam Semiunciales facti ſunt. Atque hac ratione Reſpublica primum pro 12. unciis non plus quam ſextam libræ partem, tum ſeptimam, denique ſeptimam cum dimidia pendebat, magno ſatis lucro. Ex hucusque dictis patet, minimum pecuniæ genus aſſem fuiſſe apud Latinos: inde natum proverbium: *Non aſſis facere*, id eſt, minimi æſtimare; & quod apud Horatium legitur: *ad aſſem omnia perdere.* Cicero quoque pro P. Quinctio *aſſem ſe daturum negat*, *niſi prius de rebus rationibusque omnibus ſocietatis decidiſſet.*

Seſtertius, quaſi ſesquitertius, erat apud Romanos numus argenteus, nunquam æreus, valuitque duos aſſes & amplius aliquid. Ejus nota fuit, quam ſcriptores exprimunt literis HS. vel IIS. vel ĦS. Advertendum vero diligenter ad genus, quo ab Auctoribus profertur, an maſculinum ſit, vel neutrum, nempe *Seſtertius* aut *Seſtertium.* Magnum quippe inter hæc duo diſcrimen intercedit. Quamvis enim Agricola (k), Hotomannus, & alii idem pretium utraque voce ſignificari

(k) *Lib. 2. de pret. Vet. num.*

ri velint, Budæus tamen (l) cujus opinioni Recentiores passim accedunt, censet Sestertium neutro genere prolatum non numum, sed mille Sestertiorum summam indicare: immo totidem millia, quot numerus adjectus denotat, v. g. quina sestertia, vel quinque sestertium, quinque millia sestertiorum. Clarum satis rei hujus testimonium habemus in Tullii Oratione quarta Verrina, in qua *quinque sestertia*, *quinque millia sestertium*, *quinque millia numum* pro pecunia ejusdem valoris accipit: Verba ipsius sunt, *Facta est sponsio sestertiis quinque: coegit enim Scandilius recuperatores aut judicem postulare.* Ac paullo post: *Coegit Scandilius Apronio dare quinque millia HS.* Quodsi vero numerus adverbio exprimitur, ut *decies sestertium* summam conficit decies centenorum millium sestertiorum, quemadmodum e numis Augustorum colligitur:

Quinarius erat numus Romanus quinque assium æstimatione, insignitus vel litera Q, vel nota numerum exprimente V. De hoc Plinius meminit (m) dicens: *Et placuit Denarius pro decem æris, Quinarius pro quinque.* Huic & pondere & valore

(l) *Lib. de Asse.* (m) *Lib.* 33. *c.* 3.

lore par erat *Victoriatus*, cui victoriæ simulacrum inerat: utrumque numum argenteum fuisse constat.

Denarius, numus argenteus, decem asses valuit teste Tacito (n) scribit enim, *decem asses militibus datos esse, qui denarium faciunt.* Ejus nota fuit X. vel ✕. numerum assium exprimens. Aliquos etiam denarios reperire est cum nota XVI. qui variato tunc temporis valore totidem assibus æstimati sunt. Inscriptio autem vel nomen Principis & Auctoris, vel caussam numi percussi, vel utrumque præseferebat. Ita in denario Antonini Imper. una facie legebantur hæc verba: ANTONINVS PIVS. AVG. BRIT. altera vero P. M. TR. P. XII. COS. III. id est, *Antoninus Pius, Augustus, Britannicus .... Pontifex Maximus, Tribunitiæ Potestatis Duodecimum, Consul Tertium.* Ejusmodi denarium Augustus Cæsar ad instaurandum palatium incendio absumptum a quovis privatorum exegisse fertur. Idem cum denario pretium obtinuerunt Romæ alii numi argentei, quos dicebant a nota bigarum aut quadrigarum impressa *Bigatos*, & *Quadrigatos*. De prioribus meminit Livius (o): *M. Fulvius*, inquit, *Nobilior ex ulteriore Hispania ovans Urbem est in-*

(n) *Lib.* 1. (o) *L.* 6. *Decad.* 4.

ingressus: argenti transtulit duodecim millia pondo: Bigati argenti centum triginta. De posterioribus vero idem his verbis (p): *Pacti, ut arma & equites traderent, in capita Romana trecentis numis quadrigatis.* Erant etiam in usu Romanis numi *Serrati*, quibus serræ typus, & *Ratiti*, quibus ratis figura insculpta fuit: de horum autem valore ac pondere nil certi tradunt auctores; denarium tamen excessisse non videntur.

Talentum, quo Græci & pro pondere, & pro summa numaria usi sunt, Romani ad suæ pecuniæ rationes transtulere primum, ubi devicta Græcia illuc fines Imperii sui propagarunt; neque hoc vocabulo, aut ipso pondere Talenti sunt usi, nisi in rebus & negotiationibus, quæ cum Græcia, Asia & Ægypto ipsis intercesserant. Valor itaque Talenti Romani a Græco petendus est. Mentionem illius faciunt Plautus atque Terentius (q) ubi ait:

Dos est decem Talenta Pamphile.

XIII.

Præter hæc ad rem numariam Romanorum rite intelligendam pertinent, quæ se-

(p) *Lib.* 2. *Decad.* 3. (q) *In Andria.*

ſequuntur: *Primo*, dum libra ſeu pondo dicitur, non tam numus aliquis (excepto aſſe) ſed potius certa pecuniæ ſeu numorum ſumma & pondus ſignificatur, intelligiturque libra ſeu pondo argenti. *Secundo*, Argentum Romæ ſignari cœpit, invalueruntque numi argentei quinque annis ante primum bellum Punicum Q. Ogulnio, & C. Fabio Conſulibus anno V. C. 485. Ejusmodi numum argenteum Fabii produxit Harduinus, his literis inſcriptum: C. FABI. C. F. EX. A. PV. *Cajus Fabius Caii Filius ex argento publico*. Unus autem Denarius argenteus æquabat 10. ℔. cupri: Quinarius 5. ℔. & Seſtertius 2½. ℔. Atque tria hæc numorum genera fuerunt, quibus utebantur usque ad occaſum Imperii Romani. Porro in his numis argenteis primum videre fuit una ex parte Romæ caput Galeatum, ex altera Caſtorem & Pollucem, quos Deos Tutelares Urbis habebant, equis inſidentes, & ſtella utriusque pileo imminente. Tum notabant in iis victorias de hoſtibus reportatas, unde nomen Victoriatus. Non multo poſt inſerebant currus cum duobus vel quatuor equis, ut nuper dixi, vocabanturque Denarii bigati & quadrigati. Subſequentibus temporibus magiſtratus ille, cui Senatus rem mone-

ta-

As prima ſui inſtitutione unius libræ pondus æquabat, & *libralis* dictus eſt: libram vero in duodecim uncias diviſerunt. Unde *Semis* ſeu ſemias ſex unciarum numus erat: *Triens* ſeu ⅓ aſſis pars quatuor unciarum: *Quadrans* ſeu ¼ aſſis pars trium unciarum, propterea & *Teruntius* nuncupatus: *Sextans* denique ſive ⅙ pars aſſis duarum unciarum. Diſtinguebant autem veteres hos numos certis ſignis, Trientem ●●●●, Quadrantem ●●●, Sextantem ●●, uti priſcum æs intuentibus patet. Non minus varias pecudum formas iis impreſſerunt, ovis, bovis, ſuis, & rotæ currus, quibus veluti grato animo teſtatam volebant Romani primam opum ſuarum originem ex pecoribus & agricultura provenientem. Porro æris ſeu aſſis pondus non ſemper idem erat, ſed pro temporum varietate atque inopia ſæpius imminutum eſſe legimus, remanente tamen valore priſtino. Sic bello primo & ſecundo Punico, quum Reſpublica grandibus impenſis par non erat, conſtitutum fuit, ut aſſes, qui alias lib[illegible] [illegible]d ſextantis pondus redu[illegible] ex uno aſſe ſex aſſes [illegible] quiſque ejuſdem cum [illegible] poſtmodum [illegible] unciales aſ-

tem census, de quo heic loquimur, æstimatio rerum ac bonorum facta, secundum quam tributa penduntur: inde est *censum agere*, ut loquuntur Veteres, seu recensere hominum facultates, & *censum pendere*, quando nimirum certa pecuniæ summa Principi vel ærario solvitur viritim. Cætera primus omnium apud Romanos Servius Tullus Rex censum egit, quum decrevit, quæ quisque civis pro facultatibus suis in Republica tam pacis quam belli tempore in rem communem conferre cogeretur, id quod copiose describit Livius (s). Equidem ante tempus hoc censum rem adhuc per orbem terrarum incognitam fuisse asserit Eutropius: sed perperam. Nam census agendi initium factum est apud Hebræos, quum de hoc ipse Deus mandatum Mosi dederit, ita loquens (t): *Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis coram Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram Templi. Qui habetur in numero a viginti annis & supra, dabit pretium.* Ita in populo electo tributum imperatum erat in singula capita eorum, qui annis viginti ma-

(s) *L.* 1. (t) *Exod. c.* 30.

majores essent, quique arma ferre possent. Aliam hoc in negotio viam tenuerunt Romani, apud quos Rex Servius Tullus primus omnium censum instituit, rem, ut Livius ait, saluberrimam tanto futuram imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim ut antea, sed pro possessione pecuniarum cives obirent. Hos nimirum divisit in quinque classes (seu Ordines.) Prima fuit illorum, qui centum millia æris, id est, 1666. circiter florenos vel majorem adhuc censum habuere, a quo *Cives Centenarii* sunt vocati. Secunda LXXV. millium æris, seu fere 1250. flor. Tertia L. millium æris, sive propemodum 833. flor. Quarta XXV. millium æris, id est, fere 416. flor. Quinta demum XI. millium æris, seu 183. flor. circiter. Adeo nempe teste Plinio id temporis Romanorum opes exiguæ fuere, quæ posthac immensæ exstiterunt, quando Census Senatorius fuit duodecies centena millia sestertium numum. Aliquando autem pro temporum & opum diversitate altius ascendit primæ classis census, scilicet ad CX. ad CCCXX. ad D. denique ad X. C. id est, decies centum millia æris. Quare ut dixi, non viritim, ut apud Judæos, sed secundum classes memoratas atque censum iis respondentem

tributum exigebant, & pendebant Romani.

§. II.

Numi Græci.

XIV.

Obolus, Ὀβολὸς, infimum pecuniæ genus apud Græcos, numus erat e ferrea lamina, primum oblongus, & in acumen instar teli desinens: postea tamen aliam induit figuram, nempe rotundam, fuitque pro diversitate materiæ ac nationum diversus: alius æreus, alius ferreus, argenteus alius: rursum alius Græcus, alius Atticus, Ægineus, & Externus, nimirum Macedonicus, Judaicus. Atticus partem sextam drachmæ æquabat, at Judaicus aliquantum superabat, ut postea videbimus. Ipse quoque obolus & imminutionem & incrementum passus est: erat enim semi-obolus, seu dimidium oboli: & diobolus duos obolos, triobolus tres, tetrobolus quatuor ejusmodi numulos continens. Obolo par fuit alius numus minutus, quem Græci λεπτὸν, Latini *minutum* vocant. Ita legimus (u) in Evangelio, viduam pauperculam in gazophylacium

(u) *Luca c. 21.*

cium conjecisse duo λεπτὰ, seu minuta, quæ D. Chrysostomus duos obolos interpretatur. Cætera utuntur tam Græci quam Latini obolo pro paupertatis signo, uti Lucianus (x) dum de valde egenis pronunciavit: *Qui pridie ne obulum quidem, quo restim emerent, habuerunt:* triobolo autem pro nequitiæ nota; unde natum proverbium: *homo triobolaris*, id est, nequam & nullius pretii. Æsopum ab Hero suo Zena tribus obolis venditum fuisse scribit Maximus Planudes.

Drachma Δραχμὴ, Græcis pondus simul erat, & numus: pro pondere ea Medici sæpe utebantur: numo autem Drachmæ impressa erat nota <, semidrachmæ vero >. Alia erat argenteus, alia numus aureus: non minus alia Græca, ut Attica, Æginea, Corinthia: alia Externa, ut Ægyptiaca &c. Valor idem erat Drachmæ Atticæ apud Græcos, qui apud Romanos Denario. Hoc monetæ genere Attici mercedem diurnam, quin & stipendium militare solebant persolvere, quemadmodum de priori Athenæus (y) de posteriore Aristophanes (z) testantur. Thucydides quoque (a) *duas drachmas stipendium*

(x) *In Timore.* (y) *Lib.* 4. (z) *in Acharnensibus.* (a) *Hist. lib.* 6. *&* 8.

dium militare fuisse prodit. E drachma orti sunt alii numi, scilicet *Didrachmum*, seu duæ drachmæ, quem etiam Bovem adpellabant, & de quo apud Matthæum legimus (b): *Magister vester non solvit didrachma? Tridrachmum* tres drachmæ, *Tetradrachmum*, quatuor drachmæ, cui Athenienses noctuam insculpsere, utpote quam avem Palladi amicam Deæ loco habebant. *Pentadrachmum*, *Hexadrachmum* seu quinque & sex drachmæ: demum *Pentecontadrachmum*, id est, quinquaginta drachmæ.

Βοῦς seu *Bos* omnino antiquus erat apud Græcos numus, & quidem argenteus valore unius didrachmæ, quo Athenienses & Delii utebantur. Theseus quoque Athenis hunc numum (nempe bovem argenteum) percussisse in memoriam Minotauri a se devicti legitur apud Plutarchum. Ex una numi parte prisci effigiem Regis, ex altera bovem signarunt, vel quia animal hoc ut sacrum habebant, vel quia pecudum permutatione ante usum pecuniæ negotiari consueverunt. Non solum autem argenteus, sed etiam aureus fuit hic numus. Hinc apud Homerum idem est *centum boum pretio*, ac centum numis aureis æstimari.

Sta-

(b) *Luca c.* 17.

Stater, græce Στατὴρ, derivatur quidem a pondere ſeu libra, quum verbum ἱςάναι appendere, ponderare, ac librare ſignificet quod nomen a ſtatere ſeu inſtrumento, quo res variæ ponderari ſolent, accepit. Sumitur autem & pro pondere & pro numo, qui varius eſt tum a materia, ſcilicet aureus vel argenteus: tum a nationibus, nempe Græcus, ut Corinthius, Macedonicus &c. & Externus, ut Perſicus, Hebraicus: tum ab illis, quorum juſſu & auctoritate percuſſus fuit, ut Cræſeus a Cræſo Lydiæ Rege, Philippeus a Philippo Macedonum Rege, dum Crenidenſes aurifodinas inſtauravit, Alexandreus ab Alexandro M. Daricus a Dario Perſarum Rege, Cyzicenus a Cyzico Propontidis oppido. Valor ſtateris argentei tetradrachmum explebat.

Μνᾶ latine *Mina* duplex fuit, una vetus, altera nova: prior erat drachmarum ſeptuaginta ſeptem, poſterior quam Solon auxit, centum drachmarum. Hoc tamen non eſt ita intelligendum, quaſi mina numus fuiſſet argenteus tanti ponderis, ſed quod tanta argenti maſſa tot numis æſtimaretur.

Talentum pro libra & lance primum a Priſcis uſurpatum fuit, a græco verbo ταλαντίω ſeu appendo & pondero: poſtea locus

locus quoque Talento factus est in re numaria, ita ut certam quamdam pecuniæ summam significaret. Porro talentum inter pondera maximum est, ita ut reliqua omnia superet. Varium fuit tum ratione quantitatis: aliud magnum, parvum aliud, scilicet quadragenarium, octogenarium, complectens quadraginta, vel octoginta, vel centum minas: tum ratione qualitatis, nempe Græcum, quo Attici, Euboici, Æginæi, & Externum, quo Babylonii, Hebræi, Ægyptii utebantur. Quamvis autem apud varias Græciæ nationes inter pondera non modica fuerit diversitas, omnes tamen in hoc convenere, quod Talentum re ipsa sexaginta minas, mina vero centum drachmas conficeret, ex quo valor talenti facile desumi potest.

Res memoratu digna occurrit circa numos græcos, Exprimitur enim in his plerumque numerus annorum literis majusculis. Quod ut intelligatur, nosse oportet vim & potestatem literarum Alphabeti græci. A valet annum unum, B duos, Γ tres, Δ quatuor, E quinque: sex annorum peculiaris nota est ς. aut ϛ. tum rursus Z valet septem, H octo, Θ novem. Reliquarum literarum quælibet decem annos valet, ut I decem, K viginti, atque ita usque ad nonaginta, cujus

jus nota rursus est peculiaris ϙ vel ϙ vel ϟ vel Ϛ. Pergitur denuo: P valet centum annos, Σ aut C ducentos &c. Ipsum vero anni vocabulum a Græcis aut penitus omittitur, positis solum notis numerorum, ΣΙΔ, vel ordine inverso (nihil enim refert) ΔΙΣ, id est anno 214. aut adhibetur litera L, v. g. L. AI. vel IA. seu anno undecimo. His itaque literis, tanquam annorum numeris, indicatur in numis, vel quot annis regnum quis tenuerit, vel epocha seu æra rerum memorabilium.

§. III.

Numi Hebraici.

XV.

As numus erat, valore nonnihil major asse Romano. Hujus mentio fit in Evangelio (c), ubi Christus divinus Magister discipulos suos ad fiduciam in Dei providentia collocandam excitat dicens: *Nonne duo passeres asse veniunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?*

Obolus, vel ut Hebræi vocant *Gera*, sæpius occurrit in S. Scriptura. Sic in libro

(c) *Matth.* 10.

libro Exodi (d) dicitur: *Siclus viginti obolos habet.*

Drachmæ meminit Esdras (e): *Auri drachmas mille.* Item (f) *duodecim mille drachmas argenti.* Rursus Servator, ut animæ pretium explicaret, parabola usus dixit (g): *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat?* Drachmæ hujus valor erat idem cum denario, qui fuit merces diurna pro operis, ut legimus apud Evangelistam (h): *Nonne ex denario convenisti mecum?*

Didrachmum Hebræis *Beka* dicitur, quasi dissectum & divisum: erat enim dimidium sicli sacri. Judæi omnes, quotquot viginti annos excesserunt, usque ad annum ætatis quinquagesimum Deo jubente (i) viritim pendere didrachmum quot annis cogebantur, ut ea pecunia cultus templi, & expensæ in res sacras faciendæ sustinerentur. Non minus, ubi a Romanis Judæa vectigalis facta est, Præsidibus didrachmum singulis annis persolvi debuit, publico Romæ ærario inferendum. Hinc legimus (k) a Christo jus-

(d) *C.* 30. (e) *Lib.* 2. *c.* 7. (f) 2. *Machab. c.* 12. (g) *Luc.* 15. (h) *Matth.* 20. (i) *Exod.* 30. (k) *Matth.* 17.

juſſum fuiſſe S. Petrum, ut primum, qui e mari aſcendiſſet, piſcem tolleret, ac inventum in ejus ore ſtaterem (cui æquivalebant duo didrachma) exactoribus ſolveret, pro quovis, ſcilicet Petro & Chriſto, unum didrachmum. Immo everſa Solyma Veſpaſianus Imp. *tributum*, ut ait Joſephus (l) *Judæis, ubicunque erant, impoſuit, duas drachmas quemque quot annis in Capitolium ferre jubens, quemadmodum ante in templum, quod eſt Hieroſolymis, conferebant*, eo videlicet fine, ut belli nervus incideretur.

Siclus græcis Σίκλος, Hebræis *Scbékel*, & ponderis & numi munus obibat; ſicuti enim Latini ſeſtertiis, græci drachmis, ita hebræi ſiclis ſummas pecuniarias confecere. Erat autem varius: primo quidem argenteus, aureus, quin & æreus ac ferreus, ut S. Scriptura nos docet: de aureo (m) *auri ſicli centum viginti.* De argenteo (n) *triginta ſiclos argenti.* De æro & ferro (o) *porro pondus loricæ ejus* (Goliathi) *quinque millia ſiclorum æris erat.* Et ibidem, *ipſum autem ferrum haſtæ ejus ſexcentos ſiclos ferri habebat.* Dein alius erat Hebraicus, alius Per-

(l) *Lib.* 7. *c.* 27. (m) *Numer.* 19.
(n) *Exod.* 2. (o) 1. *Reg.* 17.

Persicus, alius Ægyptiacus. Demum ac potissimum siclus profanus, & sacer. Hic profano, si Pagnino, Vatablo aliisque credimus, fuit duplo major, & ad pondus *Sanctuarii* expendebatur, uti constat ex libro Levitici (p): *Duobus siclis juxta pondus Sanctuarii*. At Cornelius a Lapide in Exod. c. 30. v. 13. sat luculenter ostendit, neutrum altero majorem minoremve fuisse, sed ejusdem valoris utrumque: dictum vero fuisse *juxta pondus Sanctuarii*, quia inibi servabatur justissimi ponderis siclus, ad quem adpendi possent, ac examinari reliqui, ne fraudi locus pateret; quemadmodum apud Romanos publica *pedis* & *amphoræ* mensura servabatur in capitolio. Porro sicli maxime sacri inscriptio erat literis hebraicis una ex parte SCHEKEL IISRAEL, hoc est, *Siclus Israel*, cum ara seu caliculo thuris fumante: ex altera IERVSCHALAIIM HAKKEDOSCHA seu *Sancta Hierusalem*, cum virga Aaronis florente. Huic siclo par erat valore *Stater*, quatuor scilicet drachmas æquans, qualem, ut paullo ante memini, Christus pro se ac Petro solvi jussit.

Argenteus, quem *Kesepb* Hebræi dixere, diversimode a S. Scriptura usurpatur: vel

(p) C. 5.

vel pro rudi maſſa argenti, ſeu argento infecto; ſic Abraham (q) dicitur: *Dives valde in poſſeſſione auri & argenti*, vel pro argento ſignato, ut in libro Exodi (r): *Triginta ſiclos argenti.* Et Chriſtus a Juda venditus eſt *triginta argenteis.* Hi autem argentei omnino videntur fuiſſe ſicli ſacri valore quatuor drachmarum, quum Judas proditor de pretio iſto triginta argenteorum tranſegerit cum Principibus Sacerdotum, ad quos ipſos poſtmodum pœnitentia ductus hanc ipſam pecuniam retulit, atque in templum projecit. Fuere igitur ſicli ad templi ærarium pertinentes, ſeu e ſacra pecunia, cujus cuſtodia penes Sacerdotes erat. Ex quo patet, pretium quo Chriſtus a Juda venditus fuit, nempe 30. argenteis ſeu ſiclis, fuiſſe viginti quinque florenorum Imperialium, numerando ſiclum unum pro quinquaginta, ut dixi, crucigeris.

Mina ſeu *Mna* a verbo Hebraico *Maná* derivatur, quod rem per partes ſeu numeros ſubducere ac ſubtrahere ſignificat. Pecuniæ hujus mentio occurrit ſæpius in S. Scriptura, uti *trecentæ minæ auri* (s). *Argenti mnas duo millia.* Et apud Evangeliſtam Homo ille nobilis abiens in

(q) *Geneſ.* 12. (r) *C.* 2. (s) 2. *Esdr.* 7.

in regionem longinquam, servis suis *decem mnas* dedit ad negotiandum (t). Valore autem græcam minam superabat mna hebraica.

Talentum quod vocant Latini, *Kickar* Hebræi adpellant. Aliud erat profanum seu publicum, quo in rebus civilibus vulgo utebantur: aliud sacrum seu Sanctuarii, cujus usus in Templo & rebus sacris fuit, eratque valor hujus major quam prioris, continebatque ut Josephus tradit (u) minas hebraicas centum. Talenti tum aurei tum argentei frequenter meminit sacer Codex utriusque Testamenti. Consideratione dignissimum est, quod in primo libro Paralipomenon (x) de grandi thesauro, seu pecuniæ summa legitur, quam David Rex congessit, Filioque Salomoni reliquit, struendo Solymæ templo servituram. Fuerunt autem centum millia talentorum auri (id est, in auro mille quingenti milliones florenorum) argenti vero mille millia talentorum (sive in argento mille ducenti quinquaginta milliones florenorum) quæ omnia simul sumta bis mille septingentos quinquaginta milliones ejusmodi florenorum, de quibus initio dixi, Imperialium universim conficiunt, dignum sane Templo

(t) Luc. 19. (u) Lib. 3. c. 7. (x) C. 22.

ple per totum orbem celeberrimo, ejusque habitatore Deo Maximo pretium.

XVI.

Oeconomiæ numorum qua Romanorum, qua Græcorum, qua Hebræorum hactenus recensitæ quasdam observationes subnecto. *Prima* est, quod extra dubium sit, apud omnes has tres nationes moris primitus fuisse, pecuniam ponderare. Nam ad Romanos quod adtinet, As ipse pondus significat, & numus æreus assis nomine insignitus *libralis* dicebatur. Inde vox *assipondium* orta est, & illi, qui militum stipendia expendebant ad libram, *libripendes* vocabantur. Non minus apud Græcos stater, præcipua ipsorum moneta, a statera, in qua appendi ac ponderari solebat, nomenclaturam suam accepit, seu quod idem est στατὴρ ab ἱστάναι. Demum apud Hebræos Siclus seu Schékel derivatum fuit a verbo Schákal, quod appendere ac librare significat. Inde apud Prophetam (y) dicitur: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Neque res ista ab hodiernis moribus abludit, dum apud omnes fere nationes certum aliquod numorum genus reperiatur, quod ad libram

(y) *Zachariæ c.* 11.

bram numerari consuevit. *Secunda* est, ex eadem materia, e qua olim famosa statua, quatuor Monarchiarum imago, Nabuchodonosori in somno oblata (z) veluti conflata fuit, ex eadem inquam materia, nimirum ferro, ære, argento & auro in quavis Monarchia numos fuisse cusos, pecuniamque confectam. Quippe in omni Monarchia homines rem atque summam pecuniariam, quasi commerciorum animam, tractabant numis, quos quatuor hæc metalla subministrabant, videlicet sub prima Monarchia Assyriorum Hebræi siclis, argenteis, minis & talentis: in secunda Persæ aureis Daricis, & talentis: in tertia Græci obolis, drachmis, statere, minis & talentis: in quarta demum Monarchia Romani assibus, sestertiis, denariis, & solidis, seu aureis, de quibus Didacus Covartuvias, Doctor Hispanus, magno rationum pondere ostendit, in Jure solidos pro aureis, & aureos pro solidis nullo discrimine facto usurpari. *Tertia* observatio est, quæ veterum numum aureum tangit. Hic Romæ sexaginta duobus annis serius argenteo percussus fuit, diversa tamen mole, ita ut alius drachmæ, alius didrachmi, tridrahmi, ac tetradrachmi, alius demum libræ pondus æquavenit.

(z) *Daniel. 2.*

verit. De Græcis, maxime Atticis aureis, Polemarchus & Pollux (a) teſtantur, illos valuiſſe drachmas duas. Apud Hebræos vero & Chananæos aureus numus ſiclus mole ſua dimidio fere minor erat argenteo. Ut autem aurei numi valor, noſtræ monetæ argenteæ comparatus innoteſcat, drachmam ſeu denarium aureum pro duobus florenis & dimidio, didrachmum pro quinque, tetradrahmum ſeu ſiclum pro decem florenis ſumere oportet, ac ulteriori in quavis trium harum nationum moneta numerationi adplicare. Cæterum præclare de re numaria meriti ſunt complures ſcriptores, inter quos Guilielmus Budæus, magnum Galliæ nomen, qui primus numorum Veterum veſtigia ſectatus eſt, eorumque indolem magnis laboribus in lucem protraxit, editis quinque libris *de Aſſe* inſcriptis: Budæum ſecutus eſt Georgius Agricola, qui tribus libris metallorum ac numorum pretium illuſtravit: Wilhelmus Pyrckemerus, Patricius Norimbergenſis: Didacus Covarruvias a Leyna, Hiſpanus: Matthæus Hoſtus, Germanus: quisque horum editis lucubrationibus veteres numos cum patriæ ſuæ numis diligenter conferre ſtuduit.

CAPUT

(a) *Lib.* 4. *c.* 24.

CAPUT IV.

STUDIUM REI NUMARIÆ.

§. I.

Requiſita ad hoc Studium.

XVII.

Quum de ſtudio rei numariæ hoc loco agere conſtitui, non tam de numis, quam de numismatibus intelligi volo. Sunt enim, ut initio ſecundi capitis monui, ſatis multi ex antiquitatum ſtudioſis, qui numos inter, & numismata diſcrimen faciunt, creduntque numorum nomine venire monetam vulgarem, quam vocamus *currentem*, cujusque uſus eſt in quotidianis commerciis ac in publico foro: numismata vero eſſe monetam, a magnis Principibus vel Magiſtratibus cuſam & ad delectationem, & ad eruditionem. Certe Suetonius meminit, *Auguſtum tempore ſaturnaliorum amicis ſuis numos omnis notæ, etiam Veteres, Regios, & peregrinos donaſſe.* Alii ſcribunt, numismata ab Imperatoribus Romanis honoris ergo oblata fuiſſe Principum

ac nationum Legatis, vel etiam tempore, quo Imperium capessivere, aliasque res magnas gesserunt, victorias reportarunt &c. in vulgus memoriæ conservandæ caussa fuisse sparsa. Unde ejusmodi numismata Romanis *Missilia* a mittendo, ac *numi Missiles* dicebantur. Hodie qui de numis scribunt recentioribus, eos dividunt in *historicos* seu *mnemonicos*, *iconicos*, & *monetas*: certe numismata modo non per plebeiorum manus vagantur, sed inter Principum, Optimatum, ac Eruditorum thesauros diligentissime adservantur. Quanti autem faciendum sit hoc studium, quo exacta Veterum (& quid prohibet, etiam Recentiorum) numismatum notitia comparatur, satis ex eo patet, quod tot nobiles Viri, rei literariæ peritissimi de hac liberalium disciplinarum parte copiose hactenus scripserint, & luculentos de numismatum figuris & inscriptionibus commentarios ediderint. Ex universa antiquitate, ait eruditissimus Carolus Patinus (b), ex universa antiquitate, cujus monumenta ad nos pervenere, nullam esse cognitu digniorem ea, quam Numismata Symbolica referunt. Non minus in laudes studii hujus excurrens doctissimus Præsul Josephus Maria

(b) *Introd. ad hist. num. c. 1.*

Maria Suaresius: *Numismata*, inquit, *sunt memoriæ tabulæ adamantinæ, gloriæ perennis & immortalis charta, inclusumque est in numis nobile historiarum opus, atque adeo alibi collapsam restituunt numismata, & illustrant historiam antiquam* (c).

Ut autem rite instituatur illustre hoc studium, non pauca sunt, de quibus candidatum illius ipso in limine admonere oportet. Primum est *Origo numismatum*. Priusquam numismata invenirentur, moris erat apud Veteres Romanos, ut effigies Virorum de Republica bene meritorum in cera vel lapide formarentur: honos hic primis quidem temporibus solis Diis atque Deabus habebatur teste Plinio (d). At postea etiam ad Semideos, ad Reges, consules, & Imperatores transiit. Hujuscemodi imagines diebus festis & solemnibus omnium conspectui expositæ fuerunt, additis honorum titulis, dignitatum insignibus, & præclare gestarum rerum symbolis, ut earum memoria ad similes majoresque ausus excitarentur posteri, quemadmodum commemorat Valerius Maximus (e). Sed quum imagines e cera nimium fragiles essent, ac depravationi obno-

(c) *Cap. 2. dissert. de numis.*
(d) *L. 34. hist. nat. c. 4.* (e) *L. 5. c. 8.*

obnoxiæ; illæ vero, quæ ex lapide fuerunt ſculptæ, rariores ad paucorum venirent conſpectum, hinc ut æternitati conſulerent, varium metalli genus, æs, argentum & aurum ſubſtituere, cui easdem effigies & ornamenta indere cœperunt, canente Poeta profano:

Illuſtres animas & quas ab imagine laudes.

Sacro autem vate Prudentio (f):

En Cæſar agnoſcit ſuum
* *Numisma numis inditum.* * ſcilicet imaginem.

Secundum ſunt *ætates & periodi numismatum.* Prima erat Romanorum a tempore Regis Servii Tulli usque ad Gothorum adventum in Italiam. Ea enim ætate artes maxime florebant Romæ, & exquiſitiſſima numismata cudebantur, quæ noſtri ævi admirationem merentur, imitationem vix admittunt. Altera fuit ab initio regiminis Gothici usque ad ejus finem, quo temporis tractu quieſcebant omnes bonæ artes, immo exulabant Gothis, Vandalis, Hunnis, Longobardis Italiæ, aliarumque regionum vaſtationi, & Romanorum faſtui ſupprimendo intentis. Hujus ævi pauca, nec niſi rudia numismata eſt invenire. Tertia numeratur

(f) *Hymno III. Periſt.*

tur ab excidio barbaricæ dominationis ad nostra usque tempora, ubi reflorescere artes, & incredibili studio, maximisque sumtibus partim prisca numismata ab interitu vindicari, colligi, ac inter cimelia reponi cœperunt, partim nova ad Veterum imitationem cudi & exornari. Tertium est *notitia pretii & æstimationis numismatum*, quæ desumenda est tum a materia, tum ab historia, tum a cælatura. *A materia* quidem, nempe metallo: numismata Regum, urbium, Deorum pleraque sunt ænea vel argentea, præter pauca aurea, quæ Macedoniæ Reges referunt: Consularia ut plurimum argento nitent, quamvis non desint multa, quæ auro etiam fulgent: Augustorum vero numismata auro, argento, ac ære cusa fere numerum & pretium excedunt. Ad materiem quoque spectat moles, quam *modulum* vocant periti: Æneorum uti copia ingens, ita & molis maxima varietas, nunc magni, nunc mediocris, nunc parvi moduli. Romanorum numismata, quæ auro argentoque constant, maximam partem exigua sunt, ac infimæ classis modulum obtinent. Majora sunt Græcorum, in quibus Reges & urbes repræsentantur, quin & crassitudine superant reliqua.

Ma-

Magna vero diverſi generis, aliqua etiam peculiaris moduli, non pauca in technophilaciis Principum eſt reperire, ſuntque illa potiſſimum, quæ Regalibus donis, & Miſſilibus, de quibus dixi, adnumeranda ſunt. Ab *hiſtoriâ* æſtimationem accipiunt numismata, quum inſignia facta, merita, victoriæ, triumphi, apotheoſes in iis legantur immortalitati transſcripta, & omnis ætatis memoriæ ſervitura, quæ ut latius propagarentur, æri potiſſimum incidebant, utpote metallo facilius parabili, ac de una manu in plurimas tranſituro. *Cælatura* vero maximum numismatibus priſcis pretium conciliat. Cernuntur namque imagines heroum, Regum & Imperatorum, figuræ, ſymbola, ſigilla, characteres, cæteraque parerga ad omnem artem ac elegantiam cum decore ac magnificentia ſingulari elaborata, ita ut metalli pretium cum arte & induſtria de palma certare videatur.

XVIII.

Quartum eſt *Ordo numismatum*. Nam rei hujus periti, ut vaſtiſſimum hoc & late patens ſtudium in ordinem aliquem redigerent, neve immenſum ejuſcemodi numismatum acervum quaſi molem indi-

di-

digeſtam relinquerent, quinque potiſſimum ordines, & veluti claſſes eorum conſtituerunt. *Prima* complectitur numismata Regum, quales ſunt Reges Syriæ, quos a Seleuco usque ad Antiochum XIII. edidit in lucem Vaillantius, & poſt hunc plenius illuſtravit Erasmus Frœlichius S. J. Macedonici Reges ſimiliter præclara numismata cuderunt: non minus habetur ſeries Regum Ponticorum: Bythynicorum, Ægyptiorum, Cappadocum, Thracicorum, Parthicorum, Numidicorum, & Judaicorum: Gothici quoque Reges in auro & argento ſuperſunt; metallum tamen & ſigillum rude quid præſeferunt. *Secunda* continet numismata civitatum, quarum copioſa ſeries haberi poteſt, qualemque exhibet Hubertus Goltzius, qui ex profeſſo de iis ſcripſit. His accedat oportet ſeries coloniarum, quarum numismata egregie explicarunt Harduinus S. J. Vaillantius, aliique. Circa hæc notandum, quod in numis civitatum plerumque in parte averſa, ut vocant, Dei vel Deæ cujusdam imago, vel Genius civitatis, vel aliud quid, quod in magna ibidem veneratione habebatur, ſit conſpicuum. *Tertia* claſſis eſt numismatum Conſularium, ſeu quæ cuſa fue-

fuerunt tempore, quo Consules Rempublicam Romanam obtinuerunt, in quorum parte adversa ut plurimum eminet caput galeatum, quod Urbem Romam repræsentat, vel simulacrum cujusdam Numinis: Sexto Urbis conditæ seculo Majorum quoque imagines incidebantur. Quapropter si in numismatibus effigies Romuli, Numæ Metelli, Reguli &c. occurrant, non ita accipiendum est, ac si viventibus ipsis, sed sæpe longo post eos tempore in illorum memoriam cusa fuerint. *Quartam* classem constituunt numismata Imperatorum, eo magis æstimanda, quo accuratius non solum continuam eorum sibi succedentium seriem, sed etiam bellorum, pacis fœderum, Imperii finium propagatorum, ac rerum mirabilium, quæ sub illorum regimine contigerunt, copiosam notitiam nobis suppeditent. In *Quinta* collocantur Ethnicorum profana Numina, Deorum Dearumque turba, in quorum numismatibus eorum nomina, officia, symbola, templa, aras, & regiones, ubi colebantur, agnoscere licet. His quinque classibus addunt alii *Sextam*, in qua numismata Virorum Illustrium & Heroum, ac Conditorum urbium vel Rerumpublicarum, ut Herculis,

lis, Jasonis, Cecropis, Romuli: item Legislatorum, ut Lycurgi, Solonis, Zaleuci: etiam literatura insignium, ut Socratis, Pythagoræ, Archimedis, Euclidis, Anacreontis, Homeri, Virgilii &c. Heroinarum quoque, & Reginarum, uti Cleopatræ, Zenobiæ, Arsinoes, Phœdræ &c. aliorum denique celebrium Virorum, ut Thései, Meleagri, Hectoris, Diomedis, Ajacis, Locri, Telamonii, quorum numismata multa in Italiæ cimeliarchiis se conspexisse asserit Spanhemius: & Jobertus similia superesse adhuc testatur de aliis Athletis, quorum victoriæ palmis, & curribus bijugis, ac quadrijugis signantur. Verum rectius alii hanc sextam classem inserunt Quintæ, quum Veterum mos fuerit, ejusmodi illustres Heroes ac Heroinas per apotheosin elevare in cœlum, ac inter Numina collocare. Horum numismata sunt plerumque peculiaris moduli, & rarius spectanda se præbent. Atque ordinem istum in quinque classes distribuendi numismata eorum Custodes in gazophylaciis quoque observare solent, separando illa in scriniis ad rem hanc destinatis, ut commodius & secundum series curiosorum oculis exhiberi queant.

XIX.

XIX.

Porro, qui ſtudio huic ſe impendit, & ad plenam perfectamque intelligentiam numismatum pervenire cupit, huic opus eſt *primo*, ut in Græca & Romana hiſtoria domeſticus ſit, ac eruditionem neceſſariam hauriat ex ipſis fontibus, quales ſunt Herodotus, Dion, Dionyſius Halicarnaſſeus, Polybius, Livius, Tacitus, Velleius Paterculus &c. *Secundo*, ut antiquam & novam tum geographiam tum chronologiam quam optime calleat, ad quod negotium tabulæ chronologicæ Petavii, & Geographia Brietii plurimum ſervient. *Tertio*, ut eos ſcriptores ſibi perquam familiares reddat, tam qui ex profeſſo antiquitates græcas & latinas tractarunt, uti ſunt Suidas, Pauſanis, Philoſtratus, Rhodiginus, Gyraldus &c. quam qui rem numariam commentationibus ſuis illuſtrarunt, quos paullo poſt producam. *Quarto*, ut numismata ipſa diligenter perluſtret tum quæ æri inciſa in libris exſtant cum ſymbolis ſuis ac inſcriptionibus, tum quæ in diverſis ærariis & gazophylaciis adſervantur. Sic enim fiet, ut e notis & imaginibus unum ab altero numismate quamprimum diſcernere,

& vetustos characteres ac inscriptiones abbreviatas, quæ plurimum negotii facessere solent, sine multa divinatione legere ac interpretari queat. *Quinto*, ut falsa & ficta numismata distinguere a veris & genuinis discat. Sunt enim non pauca, quæ artifices aliqui (quemadmodum Bassianus, Sambellus, Celinus, & in Hollandia Carteron, in Italia Joan. Cauvinus Paduanus, atque Laurentius Parmesanus) magna quidem industria, sed minore fide ad Veterum imitationem in auro argentove elaborata Principibus, aliisque minus intelligentibus magno pretio vendiderunt. Dignoscuntur autem multiplici ratione, partim e bonitate metalli prisci, cui non æquatur novum: partim quod ficta numismata sint igne liquata & fusa, quum antiqua sint malleo subacta & cusa; unde in fictis hinc inde adparent exiguæ arenulæ, quæ sub ipsa fusione insinuare se, ac foramina parva, quæ vacua relinquere solent: partim deprehenduntur ex pondere, quum majus insit illis, quæ cusa sunt, quam quæ fusa: partim e figuris, quæ in fictis non eam majestatem spirant, qualem in veris, neque etiam tam curate ac scite sunt fabrefacta: partim ex characteribus inscriptionum non ita graphi-

cis:

cis: partim quod una pars numismatis non reſpondeat alteri, nec effigies cum ſymbolis & ſigillis, nec iſta cum illa bene conveniant, utpote non ſatis apte mutuata e veteribus numis, & recentibus adplicata.

§. II.

Scriptores & Calcographi numismatum.

XX.

In ipſo ſtatim limine hujus libri quosdam prodidi Viros Clariſſimos, & omnis ætatis memoria digniſſimos, qui vel primi fundamenta pulcherrimi hujus ſtudii qua labore ac induſtria ſua, qua doctis lucubrationibus jecerunt, vel protractis in lucem Veterum monumentis ſcientiam numismatum magnis auxerunt incrementis. Juvat nunc brevem & horum & aliorum Catalogum texere, ac plerosque vel certe celebriores ſub unum conſpectum dare, ut conſuli poſſint ab iis, qui operam ſuam huic ſtudio navant. Primus quantum ſciam fuit, qui de re numaria ſcripſit, Card. *Sadoletus*, purpura & doctrina inſignis, ac eruditis notiſſimus. Hic Illuſtrium virorum imagines Romæ

in lucem dedit anno 1517. sed ut omnia initia esse rudia solent, & typus squallidus est, & multa numismata, quæ allegantur, non sunt genuina. Hunc insecutus est Joannes *Huttichius*, qui anno 1525. Imperatorum & Consulum Romanorum elenchum cum aversis partibus Argentorati produxit. Wolfgangus *Lazius* Rempublicam suam Romanam, de qua scripsit, & res Græciæ veteribus numis multum exornavit, Viennæ an. 1551. Jacobus a *Strada* Mantuanus Thesauri Antiquitatum epitomen nobis reliquit, Lugduni impressam an. 1553. & ejus Frater Octavius a *Strada* vitas Imperatorum cum numis aversis, Francofordiæ. Abrahamo *Ortelio*, insigni ac Regio Cosmographo, Deorum Dearumque capita & effigies, Antvverpiæ an. 1559. æri incisas debemus: numorum vero notitiam insignem & copiosam reperire est in illius Theatro orbis terrarum. Fulvius *Ursinus* Romanus Familias Veteres Romanas pene obliteratas e numismatibus restituit, Romæ an. 1577. Abrahamus *Gorlæus* sigillarium annulorum Promptuarium an. 1601. Lugduni Batavorum concinnavit. Gaspar *Waserus* de numis Hebræorum, Chaldæorum, & Syrorum edidit Tractatum an. 1605. Tiguri. Jacobus

bus *Binæus* numismata aurea, argentea, ærea cum adverſis partibus : item numismata aurea Impp. a Julio Cæſare usque ad Valentinum cum notis poſteritati reliquit Antverpiæ an. 1617. Excellens Opus hoc in linguam latinam Andreas Schottus S. J. transtulit.

Præter hos, qui veluti viam ſtraverunt ad arcem rei Numariæ, non minus celebres occurrunt alii : & quidem de Auguſtorum florentis ævi numismatibus, qui integram eorum ſeriem primus conſcripſit, fuit Adolphus *Occo* : ſecuti ſunt Æneas *Vicus*, Sebaſtianus *Erizzus*, *Patinus*, *Angelonus*, *Triſtanus*, *Mediobarbus*, *Begerus*, *Harduinus* S. J. *Vaillantius*, *Pedruſius*, & qui prioris opus continuavit, Petrus *Piovene* S. J. Auguſtorum vero declinante Imperio regnantium numismata inſigni ſtudio collegerunt celeberrimi Viri *du Cangius* & *Bandurius*. Regum, Principum & urbium effigies, nomina, ſymbola doctis commentariis in lucem produxere *Vaillantius*, *Harduinus* in libro de numis Herodiadum, & de numis populorum & urbium, Card. *Noriſius* in Epochis Syro-Macedonum, *Begerus*, *Spanhemius*, eruditiſſimus *Frœlichius* in Annalibus Regum Syriæ, Petrus *Schazius* S. J. in hiſtoria Ducum Styriæ. Magiſtratuum & Familia-

rum Romanarum historiam e numismatibus eruerunt, hisque locupletarunt Carolus *Sigonius*, Onuphrius *Panvinius*, Hubertus *Goltzius*, Stephanus Vinandus *Pighius*, *Norisius*, *Gorlæus*, *Liebeus* in Gotha Numaria. Græcorum numi, quos Regum suorum effigiebus, ac variis eruditis, ænigmaticis, ac hieroglyphicis imaginibus, quæ singulis Provinciis erant propriæ, ditarunt, tot difficultatibus obnoxii videbantur, ut a diligentiore cura atque indagine illorum bene dijudicandorum plurimos absterruerint: sed hanc difficultatem abstersérunt magna ex parte *Goltzius*, qui æri eos incidit, & præstantes duo Viri Andreas Schottus S. J. ac Ludovicus Nonnius Medicus, dum historiam Asiæ minoris, Insularum Ægei maris, Græciæ, Siciliæ, & partis Italiæ, olim magna Græcia dictæ, fundatasque a Græcis colonias magno cum labore, majorique ingenio eruderarunt. Univèrsim vero de numismatum studio præclare meriti sunt: Joannes Harduinus, de quo dixi, & de quo testatur Jobertus (g), quod ingenium nactus fuerit ad scientias natum cum profundo vivoque judicio, felicissimum in arcanis rimandis: memoriamque rerum lectarum tènacissimam. Inter alia librum edidit de

(g) *La science des Medailles.*

de re monetaria Veterum Romanorum, item alium *de populis & urbibus, quorum memoria in numismatibus exſtat*: ejusmodi numismatum multa millia collegit, & tam dextre explicavit, ut vix ſit pagina, ubi non aliquid novæ eruditionis palam fiat: Antonius Auguſtinus, Tarraconenſis Epiſcopus *Dialogis* quos conſcripſit *de Antiquitatibus Romanis, & Veterum numis*: Anſelmus Bandurius *Bibliotheca numaria*: Jobertus S. J. *Notitia rei numariæ*, edita Lipſiæ an. 1695. Erasmus Froelichius S. J. *Numismatis Veterum Regum* Macedoniæ, Bithyniæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, Alancorum, Bosphori, Ponti, Thraciæ.

XXI.

Non ſolum autem ad Veteris, ſed & ad Recentioris ævi numismata ſtudium, de quo agitur, ſe ſe extendit; quamvis fateri oporteat, poſterius iſtud ſuperatis, quibus prius obnoxium erat, difficultatibus longe expeditiſſimum eſſe, quum & accurata temporum proximiorum hiſtoria, & Chronologia ac Geographia plurimum emendata maximum ſubſidium præbeant, ſimul etiam cognitio plenior antiquorum numismatum, ad quorum imitationem recentiora fabrefiunt, lucem clariſſimam affundat. Certè habemus longam ſeriem

tum Pontificum, tum Cæſarum, tum Regum & Principum ſacrorum æque ac profanorum, tum Rerumpublicarum, tum Urbium: nec eſt illuſtre factum recentioris ævi, quod non in hisce numismatibus inveniri ac legi poſſit. Repræſentant nobis heroum effigies, adparent pugnæ terra marique commiſſæ, obſidiones urbium, triumphales pompæ, fœdera, connubia, familiarum inſignia, ludi Trojæ ſeu decurſiones equeſtres, quas *Torneamenta* Germani vocant, Eccleſiæ Romanæ ſacra monumenta, Sanctorum Apotheoſes, annorum quos dicunt Jubilæorum ſolemnes ritus, cæteraque quæ ad Religionis negotium pertinent. Ubique adeſt Epocha, ſeu annorum numerus, ita ut vix ullus fraudi vel adulterio locus pateat. Facem veluti prætulit recentioris ævi numismatum collectioni ac Numothecæ Joannes Jacobus Luckius Argentoratenſis *in Sylloge numismatum elegantiorum, quæ diverſi Imperatores, Reges & Principes ab anno* 1500. *ad annum usque* 1600. *cudi fecerunt*, edita Argentinæ an. 1620. Quamvis autem in multis hallucinetur, ſtudium tamen recentiorum numorum, præſertim Germanicorum, amplius perpoliendi occaſionem dedit. Secutus hunc eſt felicioribus auſpiciis Jacobus a Mellen Lubecenſis an. 1698.

qui

qui Lubecæ vulgavit *Syllogen numorum ex argento uncialium, vulgo Thalerorum seu Imperialium, quos Imperatores & Reges Romanorum, nec non Austriæ Archiduces signari jusserunt.* Norimbergæ sub seculi hujus finem prodiit opus inscriptum: *Thesaurus Numismatum modernorum hujus seculi, sive Numismata mnemonica & iconica, quibus præcipui eventus & res gestæ ab anno MDCC. illustrantur, figuris æneis expressa, addita Latina & Germanica explicatione.* Præterea Joan. David Kœhlerus anno 1729. *Delicias numarius* usque ad nostram ætatem, & Hieronymus Lochnerus *Collectionem numorum memorabilium* posteritati reliquerunt.

Ut vero de Cæsarum & Regum ævi recentioris numismatibus pauca dicam, sincera numismatum Imperatores exhibentium series initium ducit a Friderico III. (secundum alios IV.) circa annum 1463. nam illi, quam Octavius Strada a Julio Cæsare usque ad Imperatorem Mathiam producit, modica fides adhibetur. Hispaniæ Reges a Philippo I. Caroli V. patre in numis genuinis vivere incipiunt. Galli non interruptum ordinem suorum Regum a Clodovæo exhibere conantur: fortassis autem ultra Carolum M. se non ex-

tendit. Maximilianus I. Imp. magnis impensis confici jussit Austriacæ Domus numismata. Sed horum plenior notitia in lucem prodiit hac ipsa, qua hæc scribo ætate in Vasto Opere, cui titulus: *Monumenta Augustæ Domus Austriacæ, in quinque Tomos divisa:* cuique operam insignem navarunt duo Viri Clarissimi Marquardus Herrgott, & Rustenus Heer, Ord. S. Bened. in Principali Monasterio ad S. Blasium. Duos Tomos primos videre mihi licuit (an reliqui jam lucem aspexerint, ignoro) Primus complectitur sigilla & insignia Marchionum, Ducum, Archiducum Austriæ: Secundus Numothecam Principum Austriæ, qua continentur numismata mnemonica atque historica, quæ horum jussu, vel eorum gratia ab aliis in lucem prodierunt, nec non monetæ, singula æneis e tabulis expressa: Tertius exhibebit Pinacothecam, in quam Marchionum, Ducum, Archiducum Austriæ utriusque sexus effigies, simulacra, statuæ, anaglypha, cæteraque cælata, sculpta, pictaque Austriacorum monumenta tabulis æneis incisa referentur, adjecta singulorum descriptione. Aliud pulcherrimum rarumque in paucis opus vidi, quod adservatur in Bibliotheca Monacensi S. J. scilicet grandem Tomum, in quo Ludovici XIV. Gal-

lorum Regis, totius veluti vitæ hiſtoria continetur: effigies primum Regis Juvenis, tum Viri, demum Senis in parte adverſa fulgent: in averſa vero omnia illius facta belli pacisque tempore, emblematibus ingenioſe ſimul ac artificioſe ad vetuſtatis invidiam cupro inciſis illuſtrata, ſubjunctis intra nobilia parerga inſcriptionibus. Inſigne Opus hoc eſt partus Viri multis aliis eruditis ſcriptis clari, Claudii Franciſci Meneſtrier S. J. nati Pariſiis 10. Martii an. 1631. & mortui ibidem an. 1705. 21. Januarii, uti ſcribit P. Jobert. Præcipuam vero hoc in loco mentionem merentur numismata Pontificum: horum effigies e numis & picturis excerptas, absque tamen averſa parte, ſpectandas præbuit Dominicus Tempeſta, Civis Romanus, continua ſerie a Chriſto & D. Petro usque ad Clementem VIII. in libro de vitis Pontificum. Auxit theſaurum hunc Ciacconius multis numismatibus: longe pluribus locupletavit Auguſtinus Oldoinus S. J. Nemo tamen ex his propoſitorum numorum latentem aperuit ſenſum, aut inſcriptiones & imagines adpoſitas ſatis explicuit. Primus tantæ molis opus aggreſſus eſt Philippus Bonanius S. J. Sunt autem duplicis claſſis numi Pontificum: quidam ſunt fuſi, quidam cuſi: prioris ge-

generis habentur a D. Petro usque ad hæc tempora, in quibus eminent duæ claves prægrandes erectæ ac decussatim stantes cum epigraphe: *Claves regni cœlorum*. Posterioris sunt, qui series Pontificum a Martino V. usque ad ævum nostrum exhibent. Hæc ipsa numismata, videlicet a Martino V. usque ad Innocentium XII. primus ut dixi, publicam in lucem dedit Bonanius profecto elegantissima. Effigies Pontificum quam accuratissime sculptæ sunt cum ornamentis, quibus quovis tempore diversis usi sunt, in parte antica: in postica vero sunt ingeniosissima, pulcherrimaque simulacra virtutum, rerum præclare gestarum, ædificiorum, templorum, pontium, fontium, jubilæorum, annonæ, pacis conciliatæ, triumphorum de hæresibus, fœderum cum Christianis Principibus, victoriarum de Turcis relatarum, Insignium gentilitiorum, Apostolorum Petri & Pauli, naviculæ ac petræ intra fluctus illæsæ, aliaque symbola Ecclesiæ perennantis, Pastoris ovium Christi, solemnium dierum, quibus electi ac coronati sunt Pontifices, Apotheseos Sanctorum, imaginum Christi & Deiparæ, Principum Christianorum Ecclesiæ, ac Sedi Apostolicæ devotorum, virtutum præcipue Justitiæ, Pietatis, Prudentiæ, Providen-

dentiæ, Munificentiæ &c. obelifcorum & columnarum Trajani & Antonini fub Sixto V. Vaticanæ Bafilicæ, Caftelli S. Angeli, urbis Romæ amplificatæ &c. profecto facies averfa feu poftica ad omnem elegantiam numorum antiquorum & profanorum eft exornata, ita ut vetera numismata circa figuras, inftrumenta, habitus perfonarum, infcriptiones &c. non tam æquare, quam multis novis inventis ad res graphice exprimendas additis fuperare videatur. Omnia hæc Bonanius luculenter exponit, & erudite interpretatur.

Illud præterire nefas, dum de facris numismatibus ago, quod Romæ vidi apud P. Andream Budrioli S. J. ibidem etiamnum decrepita licet ætate degentem, Virum Religiofiffimum, qui admirabili fane ftudio numismata collegit ac penes fe habet, quæ in omnibus fere Europæ Catholicæ regnis ac regionibus in honorem Beatiffimæ Virginis fine labe conceptæ a ducentis propemodum annis cufa fuerunt, variis cum fymbolis, emblematibus ac infcriptionibus. Plures funt numismatum horum centuriæ ex auro, argento, & cupro: infigne profecto monumentum Mariani fupra peccatum originale triumphi, & thefaurus profanis ejusmodi gazis non quidem pretio, fed indole ac pietate longe fuperior.

CAPUT

CAPUT V.

COGNITIO NUMISMATUM.

§. I.

Pars adversa.

XXII.

Qui numismata rite cupit cognoscere, omnium primo ad duas illorum partes attendat oportet, quas alii geminas numi facies adpellant. Prima est, quæ vocatur *Adversa* seu Antica, quæ caput seu effigiem Augusti, Augustæ, Cæsaris, Regis, Pontificis Maximi, Dictatoris, Consulis, Pro-Consulis, Triumviri, item Dei alicujus vel Deæ præsefert, uti videre est de Julio Cæsare, Augusto, Bruto, Cassio, Æmilio, Lepido, Marco Antonio apud Hubertum Goltzium: simulque nomina & honorum titulos ostendit, etiam in partem alteram aliquando excurrentes. Secunda est *Aversa* pars seu postica, in qua res cum laude gestæ, victoriæ, triumphi, ludi, sacrificia, fœdera pacis, devicti populi, coloniæ, frugum abundan-

tia,

tia, liberalitas & clementia Cæſarum, aliaque memoratu digna, quæ ſub cujusque imperio contigerunt, ſymbolicis plerumque figuris exhibentur, cujusmodi ſunt corona, cornucopiæ, quod una Gratiarum geſtat, trophæum, victoria agens currum triumphalem, victoriola, ſeu parva victoriæ imago, orbi inſiſtens, & a Genio porrecta, plauſtra cum bobus & vexillis, Pegaſus, Neptunus, Aquila, Lupa cum Romulo & Remo, urnæ cum inſcriptione, amphitheatra, aræ fumantes &c. De utraque harum partium aliquanto curatius heic agendum eſt. Et quidem de prima ſeu Adverſa: Capita Auguſtorum, Regum, aliorumque ut plurimum tecta ſunt. Horum autem tegminum, e quibus inter ſe dignoſcuntur effigies impreſſæ, multiplex genus eſt. Antiquiſſimum erat *Diadema* Regium ſeu faſcia, quæ circa frontem & caput nunc arctius nunc latius circumit, binis retro tæniis in collum defluentibus. Hoc diademate utebantur quoque poſt Conſtantinum M. Cæſares ita, ut faſciam una vel duplici gemmarum vel unionum ſerie ornarent, quod etiam conjugibus ſuis permiſere. *Corona*, quæ Regibus alias propria eſt, adhibuerunt etiam Cæſares: primam e lauro geſtaſſe invenio in Goltzii Faſtis Numam

Pom-

Pompilium. Post hunc Julius Cæsar plerumque corona seu laureo serto redimitus comparet, cujus gerendi potestatem ipsi Senatus fecit, eumque successores constanter sunt imitati. *Corona Radiata*, seu radiis prominentibus cincta illis Principibus imponebatur, qui vel vivi vel mortui inter Divos relati fuerunt: *Rostrata vero*, veluti ex rostis navium contexta obtigit victoribus in prælio navali, qualis est M. Agrippæ, quam ab Augusto obtinuit, ubi navigia Pompeii, & Marci Antonii superavit, cujus numismatis inscriptio est in parte adversa: M. AGRIPPA. PRAEF. ORAE. MARIT. ET. CLASS. in aversa vero Neptunus cernitur cum Tridente, manu læva tenens delphinum, pede autem sinistro insistens rostro navigii cum subscriptione EX. S. C. *Muralis* corona in victoriæ præmium cessit illis, qui in muros civitatis primi sunt eluctati: similes coronas etiam gestant capita Dearum, quæ urbibus præsident, ut Cybele Dea terræ, ac Genii provinciarum & civitatum.

Quercina redimiti fuerunt, qui patriam & cives servarunt: item qui publicis in ludis luctando, vel ad metam currendo victores evaserunt. *Sacerdotalis* denique constituta fuit pro summis Pon-

Pontificibus, fiebatque e capite bovis, quod circumdederunt vasa, in quæ reponere solebant exta animalium in sacrificiis, & funes, quibus ad aram trahebantur victimæ. Hujusmodi corona in aliquo e numis Augusti reperitur. *Cassis* seu *Galea* tegmen erat capitis tam Regum quam Cæsarum, quin & Deorum, ut ex antiquissimis numis Græcorum & Romanorum adparet: præcipue vero Romæ caput hoc insigni, seu galea splendebat, prominentibus plerumque geminis alis instar petasi, quem Mercurius gestat. *Tiaram* ad modum coronæ, quali nunc Pontifices utuntur, factam Persici ac Parthici Reges in capite portant: *Mitram* vero Reges Phrygiæ & Armeniæ, quemadmodum numi veteres Midæ, Atyos, & Zemiscis monstrant. Non pauci Græcorum Regum exuvias leonis adhibuerunt super capita elatas, uti Philippus Pater Alexandri, quos imitati sunt etiam Romani quidam Cæsares Commodus, Alexander Severus, aliique. *Peplum* denique, seu *Velum*, quod non raro e Principum ac Imperatorum capite supra dorsum defluit, vel officicii Pontificii, vel eorum apotheseos signum est, quo honore omnes Cæsares usque ad Constantinum afficiebantur. Ultimis etiam temporibus Imperatorum ca-

pita radiante quodam nimbo cincta vi
tur, qualis modo Sanctorum imagin
adhibetur, uti patet e numis Maur
Phocæ, aliorumque.

Præter effigies hucusque recensitas
moratu dignæ sunt etiam illæ, quas *d*
diatas vocant, in quibus scilicet ar
quoque manus conspicuæ sunt. In
adparet non raro pomum Imperiale d
tans regimen totius orbis, cui vict
alata insistit: sæpius vero crux em
post Constantinum M. quo signo Imp
tores regnum Jesu Christo in acceptis r
rebant. Præterea in sceptris Cæsar
maxime Constantinopolitanorum, s
riori parte pomum & Aquilam videre
velut symbolum, quod Principes volu
te sua & potentia imperent. Primus
Phocas, qui crucem sceptro impos
Aliquando effigies dimidiatæ portant
tum & cassidem, atque in manu vel
meris contum: Si Principes truncati c
parent, gestant sceptrum, quod a Lat
Ferula vocatur, seu longam perticam
perius quadratam, inferius nonnihil
planum declinantem; estque signum ju
tiæ vindicantis, ac sceleratos punien
In numismatibus Constantini M. ejusc
Familiæ Augustæ Labarum se prodit,
star vexilli equitatus, cui impressi

sign

ſignum ☧, quod triumphum crucis Chriſti, aut literæ A & Ω, quæ divinitatem ejus indicant. Fulgur quod aliquoties capitibus imminet, quale in numis Auguſti viſitur, dominationem ſupremam ac diis parem ſignificat. Sunt quædam effigierum dimidiatarum; quæ præter haſtam & clypeum in manibus tenent frenum equi, ac ſi ſuper hunc ſederent, in ſignum victoriæ de hoſtibus relatæ. Demum quo plures effigies in numis expreſſæ ſunt, eo pretioſiores habentur, ut qui Auguſtum ſimul & Julium, Veſpaſianum & Titum referunt: vel omnino tres, uti eſt ille Severi cum duobus filiis Geta & Caracalla quin & quatuor, quemadmodum Trajani, ad cujus pedes ſe proſternunt tres Reges, quibus diademata imponit cum adſcriptione: REGNA ADSIGNATA.

XXIII.

Venio ad effigies Deorum Dearumque quæ ex additis ſymbolis cuique propriis dignoſcuntur. *Jupiter* aquilæ inſidet, vel eam penes ſe ſtantem habet, dextra fulmen rotat: vehitur etiam bigis & quadrigis, ac triſulco armatus. *Neptunus* tridentem tenet, & conchæ inſiſtit, quam equi Marini aut Delphini per cærula ducunt. *Æſculapius* cum ſerpente, qui

ſpiris ſuis baculum erectum involvit. *Bacchus* corona ex pampinis redimitus cum ſcypho in manu, vel cum thyrſo hedera cincto: currus ejus trahitur a tygribus. *Canopus* Ægyptiorum Deus cum vaſe figulino, e quo caput prominet cum flore Iſidis. *Apollo* pone ſuſpenſa lyra. *Apis* quem colebant Ægyptii cum tauro gerente intra cornua herbam Loton: ſupra caput autem Apis creſcens luna reſplendet. *Mercurius* cum petaſo & caduceo. *Mars* pedibus incedens cum haſta & caſſide, aut vectus biga vel quadriga cum lancea & ſcuto. *Vulcanus* pileo turbinato tectus cum forcipe penes collum. *Dii Penates* ſeu duæ effigies Deorum juvenum, lauro redimitæ cum literis D. ΠΠ. *Deos Terminos* exhibent ſtatuæ, quibus nec pedes ſunt, nec manus: unde Jupiter Terminalis. *Pollux & Caſtor* plerumque equis ſublimes adſunt cum teſtis ovorum in capite, cui imminent binæ ſtellæ. *Solem* orientem repræſentat figura nuda, radiis circa caput diffuſis, agitansque ſcuticam, qua celeritas curſus indicatur. *Juno* caput cincta peplo defluente, addito ſerto ex lauro: Junonis pronubæ medium corpus tegit peplum, quod dicitur flammeum: Juno Soſpita comparet caprina pelle veſtita, cui oſſa adhærent. *Minerva*

na cum caſſide, ac noctua cernitur. *Diana* mediam lunam vel in veſte venatica vel ſupra capitis verticem gerens: currum trahunt cervi: *Diana* Epheſina Polimorphis ſeu multorum uberum, quoniam credebatur mater omnium rerum: ad pedes jacent cervi & boves, capiti impoſitus eſt cophinus frugum. *Aſtarte* Dea Sidoniorum, vecta curru duabus rotis inſtructo. *Cybele* coronam geſtans, in qua turres eminent, cum leone ad pedes. *Ceres* ariſtis coronata, facem manu præferens ob quæſitam Proſerpinam: currui quo vehitur, dracones juncti ſunt. *Venus* pomum Paridis manu ſuſtinet; pone Cupido & gubernaculum ad denotandum, quod in homines exercet, dominium: adparet in aliquibus numis vecta bigis aut quadrigis, aurigantibus Cupidinibus. *Veſta* cum ſella ſeu pulvinari. Dearum nomine veniunt quoque *Pax* præferens ramum olivæ & facem, cujus flammis arma cremantur. *Providentia* cum bacillo in manu, quo globum tangit. Effigies hæc ſæpe indicat Principis munificentiam, qui in annonæ caritate ſuccurrit. *Abundantia* portans ariſtas ex acervo tritici prominentes. *Pietas* non raro portat in manu templum vel thuribulum: ad pedes

rumque parergorum copiam, plurimumque negotii facessit Candidatis hujus studii, quum res plurimæ cognitu difficiles numismata lustrantium oculis liberalissime se se objiciant. Verum & hæc difficultas mitigari potest, quin & superari, si singula ordine pertractentur, & ornamenta ista in certas classes distribuantur, quoniam multa sunt multis communia. Primis temporibus bos aut ovis figurabatur in numis: postmodum Dii, ut Janus biceps, Castor & Pollux, vel caput Romæ: tum currus victoriæ, quibus duo vel quatuor equi jungebantur; unde numi victoriati, bigati, quadrigati, de quibus alibi egimus, fuere adpellati: deinde ubi imagines Majorum, Regum, illustrium Virorum ac Cæsarum in adversa parte signari cœperunt, in aversa imprimebantur nomina, officiorum instrumenta, & monumenta familiarum, quo ex fonte tanta fluxit copia signorum, quibus dignitatum & Magistratuum, heroicorum facinorum, celebrium victoriarum, & omnis generis rituum notitiam, quæ ad nos usque pervenit, in acceptis referre debemus. Hæc de ortu & progressu numismatum. Jam in quinque potissimum classes ea, quæ in his observatu digna, immo scitu necessaria sunt, commode di-

distribui posse mihi videntur, nimirum agendo de Inscriptionibus, de Instrumentis variis, de Animalibus, de Figuris, de signis Coloniarum.

Quantum ad Inscriptiones adtinet, I. in aliquibus numis (de parte aversa loquor) nil nisi inscriptiones occurrunt. Nam characteres in circulum ducti, ut CÆSAR. IMP. vel CÆSAR COS. QUIN. DICT. PERP. seu *Cæsar, Consul quintum, Dictator Perpetuus* ad partem adversam pertinent. Tales inscriptiones tum in latinis tum in græcis numismatibus reperiuntur, in quibus soli characteres S. C. *senatus consulto*, vel Δ. E. Δημαρχικῆς ἐξουσίας, serto ambiente includuntur. II. Aliquæ harum inscriptionum sunt species epocharum, ut PRIMI DECENNALES. COS. III. in numo M. Aurelii: LUDI SÆCULARES. VOTIS. V. X. XX. &c. seu *Votis Quinquennalibus, Decennalibus, Vicennalibus* in Augusto Imp. Aliæ singularia facta exhibent, vg. VICTORIA GERMANICA. IMP. VI. COS. III. in M. Aurelio: in Augusto SIGNIS PARTIS. RECEPTIS S. P. Q. R. III. in quibusdam adparent honorum tituli, quibus Principes ornabantur, ut S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI in Trajano & Antonino Pio. ADSERTORI PUBLI-

CÆ LIBERTATIS in Vespasiano. IV. Nonnullæ Inscriptiones signa produnt beneficiorum a Principibus acceptorum, veluti LIBERTATE P. R. RESTITUTA. EX S. C. in Galba Imp. S. P. Q. R. OB. CIV. SER. *ob cives servatos.* V. sæpe nonnisi nomina personarum, Magistratuum &c. exprimuntur, ut in Julii numis videtur. Q. ÆMILIUS. Q. FABIUS BUCCA. III.VIR. A. A. A. F. F. id est, *Triumvir, auro, argento, ære flando, feriundo.* VI. Multoties epochæ temporum cernuntur, tanquam signa auctoritatis publicæ, seu concessionis a Senatu, populo, aut Principe factæ. Ita additur annus Consulatus, Potestatis Tribunitiæ, Urbis Conditæ: COS. IER. COS. III. COS. QUINT. T. P. V. C. VII. In numis Imperatorum leguntur sæpe nomina civitatum, in quibus cusi fuerunt: primis temporibus nomina hæc loco inscriptionum fuerunt inserta; posterioribus vero post Constantinum subscriptionis loco vg. P. T. *Percussa Treviris.* S. M. A. *signata moneta Antiochiæ.* CON. OB. *Constantinopoli obsignata &c.* VIII. Adparent etiam signa valoris, præcipue in numis Consularibus: Talia sunt X. V. Q. S. L - LS. X. denotat Denarium. V. et Q. Quinarium. S. semissem. L. L. S. sestertium IX. Conspiciuntur quoque in multis nu-

mis-

mismatibus tituli honorum, quibus Principes honorabantur *vel ob egregiam indolem*, ut OPTIMUS. FELIX. PIUS. *vel ob victorias* GERMANICUS. BRITANNICUS. DACICUS. PARTHICUS. GENIO SENATUS. GENIO EXERCITUS. GENIO POPULI ROMANI. DIVO. DEO. ET DOMINO CARO. *vel ob beneficia* CONSERVATOR URBIS. FUNDATOR PACIS. RESTITUTOR ORBIS. LOCUPLETATOR ORBIS TERRARUM. SALUS GENERIS HUMANI. GAUDIUM REIPUBLICÆ. DELICIUM ORBIS &c. *vel ob monumenta publica* BASILICA ULPIA. AQUA MARTIA. FORUM TRAJANI &c. Scribebantur autem hæc vel integris, vel abbreviatis literis. X. Ex characteribus super signa militaria positis & in orbem ductis patefiunt nomina legionum & exercituum, nec non e quibus nationibus conflati fuerint. ita LEG. GEM. vel PAC. vel PARTH. vel ULP. id est, *Legio gemina, Legio Pacifica, Parthica, Ulpia* LEG. I. ADI. P. F. *Legio prima adjutrix, pia, fidelis.* LEG. II. TR. FOR. *Legio secunda Trajana fortis.* LEG. XII. GEM. M. V. *Legio duodecima Gemina Minervia Victrix.* LEG. XXX. ULP. *Legio tricesima Ulpia.* Itinera quoque Ducum & exercitus signabantur eg. PROF. AUG. *profectio Augusti.* TRAJECT. AUG. Tra-

Trajectus Augusti. XI. Ad ludos notandos urnam adhibebant Veteres, e qua palma vel sertum ascendit cum inscriptione CER. SACR. PER. *Certamina sacra periodica.* vel CERT. QUINQ. ROM. CON. *Certamina quinquennalia Romæ constituta.* vel SUB NERONE. LUDOS QUINQ. INSTITUENTE. XII. Vota publica, quæ singulis quinquenniis aut decenniis fiebant Cæsaribus, notabantur hac epigraphe: VOT. DEC. ANN. SUSC. *Vota decennalia suscepta.* VOT. QQ. vel V. *Votis quinquennalibus.* V. P. *Vota populi.* V. PR. RE. CÆS. *Votum pro reditu Cæsaris.* XIII. Denique notandi veniunt diversi honorum tituli, quibus se ipsos honorarunt aliqui Imperatorum pro diversitate temporis: I. A. *Imperator Augustus* I. C. *Imperator Cæsar*, vel *Julius Cæsar.* DIC. PERP. *Dictator Perpetuus.* PP. *Pater Patriæ.* P. M. *Pontifex Maximus.* CEN. *Censor.* CENS. PP. *Censor perpetuus.* AUG. *Augur.* COS. *Consul.* COS. DES. *Consul designatus.* PRINC. I. vel JUVENT. Princeps Juventutis. &c. item tituli Augustarum. GENET. ORBIS. *Genetrix orbis.* MATER AUG. MAT. SEN. M. PAT. *Mater Augustorum*, *Mater senatus*, *Mater patriæ.*

XXV.

Confideranda modo veniunt post Inscriptiones Instrumenta varia, quibus veteres numismatum partem aversam insignivere. Præcipua horum cum sua significandi virtute symbolica, ut facilius inveniri possint, ordine alphabetico exhibeo. *Botrus* notat abundantiam vini & lætitiam. *Caduceus* seu baculus alis & serpentibus binis instructus Mecurio adsignatur, immo & reliquis Diis ac semideis ad significandum bonum regimen pacem, ac felicitatem. *Calathus* florum & frugum, ubertatis signum. *Clypei*, qui votivi nuncupantur, indicant vota pro incolumitate Principum aut senatus facta: ita in numis Antonini Pii cum inscriptione ANCILIA. *Cornua copiæ* tenent Dearum figuræ, Genii, Heroes in signum felicitatis, abundantiæ, & divitiarum. *Currus* ab equis, leonibus, elephantis tractus denotat triumphum, vel Apotheosin Principum. *Fulmen* in manu est signum dominantis vel irati Jovis. *Gubernaculum* supra globum adjectis fascibus monstrat supremam potestatem. *Hasta* sine spiculo ferreo, seu potius sceptri formam referens, est potentiæ signum, omnibus Diis commune. *Laurus* in manu Imperatoris symbolum est triumphi.

La-

Lyra una vel gemina indicat regiones Apollini, vel Musis sacras. *Duæ manus* sibi cohærentes fœdera inter personas publicas, vel concordiam inter privatas. *Modius*, e quo aristæ ac lunæ capita prominent, abundantiam frumenti; *Navigii* incurvati ornamentum victoriam navalem, aut superatam urbem maritimam: Si navigium plenis invehatur velis, notat gaudium, felicitatem, & prosperitatem in bene cœptis: si ad pedes jaceat, signum est urbis, portu & mercimoniis inclytæ. *Olea* est pacis nuncia. *Pali* munitionem castrorum adversus hostem repræsentant, quemadmodum in numis Licinii spectantur. *Pertica* superius nonnihil curva seu *Lituo* Augures discernuntur: sæpe adduntur pulli gallinacei, vel aves volantes. *Phiala* seu patina, qua in sacrificiis utebantur Veteres, quæque omnibus Diis, subin etiam Cæsaribus & principibus in manus datur, aut adponitur Imperatoribus in signum Pontificiæ dignitatis, *Porta civitatis* vel turris, quæ præcipue post Constantini tempora comparet cum inscriptione, PROVID. AVG. seu *providentia Augusti*, ostendit, quod populo subventum fuerit in caritate annonæ. *Rota* in numis occurrit ob reparatas vias: Si jacet ad pedes fortunæ, symbolum

lum eſt inſtabilitatis: ſi ad pedes Nemeſis, vindictæ erga malefactores. *Sceptrum*, quod ex utraque parte rotundum, dictum parazonium, in Imperatorum numismatibus effulget, ab aliquibus pro pugione, ab aliis pro virga regiminis indice habetur. *Sella curulis* eſt inſigne Magiſtratus ſeu Ædilium, ſeu Prætorum, ſeu Conſulum. *E ſignis militaribus*, quorum non raro quatuor ſtant erecta, cognoſcuntur vel victoriæ relatæ, vel certæ legiones, quæ jurarunt Cæſari, vel Coloniæ fundatæ, vel vexilla hoſtibus erepta. *Tripus* una cum graculo & delphino characteriſtica eſt XV-Virorum, qui cuſtodes Sibillinorum oraculorum fuerunt, & quorum conſilia in publicis neceſſitatibus exquirebantur, cum inſcriptione XV-VIR. SAC. FAC. *quindecimvir ſacris faciundis*. *Urnæ* cum lauro aut ſerto, una cum ſimpulo (vas erat ſacris faciendis deſtinatum) annunciant publicos ludos, ubi multa fiebant ſacrificia. Non raro *Pantheon* ſe ſpectandum præbet, uti in numis Antonini Pii, & Fauſtinæ: adſunt ibi menſura, medimnus dicta, quæ Serapidem: radii coronæ, qui ſolem: cornua, quæ Jovem Hammonem: longa barba, quæ Plutonem: tridens, qui Neptunum: ſerpentes brachium circumdantes, qui Æſculapium denotant.

XXVI.

XXVI.

Jam de animalibus, quorum varia genera in numis, eorumque parte aversa cernuntur. Adhibentur autem vel tanquam symbola pacis, fortitudinis, providentiæ &c. vel tanquam signa coloniarum & urbium. *Bos* vel taurus denotat patientiam & fortitudinem: aliquando sacrificium, si florum sertis ornatus comparet: item pacem agricolis datam. Quodsi autem a Sacerdote velato ducantur boves, signum sunt coloniæ. *Canis* ore aperto, item *concha* indicat Urbem Tyrum, eo quod purpura ibidem confecta sit, & canem Herculis, qui concham ejusmodi aperuit, ore aperto ac rubro reversum fuisse fabulæ narrent. *Capricornus* signum est nativitatis Augusti. Nam ex hoc cœlesti sidere, sub quo natus est, Apollonius Astrologus Augusto prædixit Imperium. *Cervus* utpote animal Dianæ Sacrum Ephesinæ urbi adponitur. *Delphinus* inflexus cum tridente Neptuni argumentum est liberi commercii & potestatis supra mare. *Equus* in Punicis numis symbolum est urbis Carthaginensis: Unus vel duo equi in pascuis ambulantes notant pacem & securitatem; vel etiam regionem, ubi abundat pabulum. *Elephas* ob vitam longævam portendit æternitatem: etiam ad pu-

bli-

blicos ludos significandos adhibetur. *Gallus gallinaceus* Deo Luno aut Mercurio adsociatur. *Pisces*, Pelamides dicti, adtribuuntur Constantinopoli, circa quam frequentes capiuntur. *Pavo* & *Aquila* Principis inter Deos relati emblema est; famulatur etiam Junoni. *Pegaso* Corinthus gaudet, quem ibi Minerva Bellerophonti dedit, cum Chimæra certaturo. *Phœnix* symbolum æternitatis est, aut temporum meliorum: *Sphynx* prudentiæ: nonnunquam est insigne urbis Gabalæ in Cælesyria: *Serpens* vero Æsculapii, salutis, & Hygeæ. Quodsi occurrunt ignota animalia cum inscriptione. MUN. AUG. seu *munificentia Augusti*, vel SEC. AUG. ludi *seculares Augusti*, signum est, quod Princeps ille, qui hanc monetam cudi jussit, ejusmodi animalia longe asportari, & in ludis, maxime secularibus, exponi jusserit.

XXVII.

Ab animalibus ad figuras transeo, per quas intelligi velim Provincias & Regiones orbis, quæ sub habitu Geniorum vel semi-dearum in numismatibus frequentissime conspiciendas se offerunt: discernendas autem per adposita quædam symbola, præcipue animalium aliarumque rerum,

quarum vel magna in illis copia reperitur, vel quæ singulares sunt, & regionibus iis propriæ. Itaque *Africa* sibi vendicat elephantis caput, scorpionem, serpentem, vel leonem, quæ animantia in illa orbis parte præ cæteris natales suos habent. *Amazonum* regio fæminas refert pilis oblongis armatas, & scuto, quod peltam vocant. *Arabiam* camelus, uti & balsamum ac thus prodit. *Armenia* singulare habet tegimen instar mitræ, cum arcu & telo. *Ægyptus* sistrum, ciconiam aut crocodilum. *Asia* serpentem aut gubernaculum navis, quia Roma nonnisi navigiis eo perveniri potest. *Magna Britannia* clavum, cui innititur; aliquando etiam proram navigii jacentem ad pedes. *Cappadocia* coronam e turribus, & signum equestre, quoniam Romani equitatum suum inde instruxerunt: plerumque additur mons Argæus. *Dacia*, fœminæ speciem præseferens hastam & caput asininum, quum Daci asinis equorum loco utantur. *Europa* propria effigie caret. Nam numi, qui repræsentant Europam tauro insidentem, raptam scilicet a Jove, Sidone duntaxat cusi fuerunt. *Gallia* militarem habitum gerit cum hasta, Virgilio *Gæsum* dicta. *Germania* ut fæmina procera comparet, cum hasta & scuto

longiore, fed minus lato, quam quo Romani utebantur. *Hifpania* cuniculum penes fe habet propter abundantiam horum animalium, unde Hifpania Catullo *cuniculofa* dicitur. *Italia* fedet ut regina orbis fuper globum cum fceptro & cornucopiæ: caput corona turrita circumdat ob celebres urbes. *Judæa* militari vefte induta cum palma in manu, quum fit pars Phœniciæ, cujus fignum palma eft. *Macedonia* adparet ut auriga cum fcutica propter equorum præftantiam, vel propter folem, quem ut Deum colunt: Hercules quoque fe exhibet, à quo genitos credunt Reges fuos. *Mauritania* equum medio in curfu conftitutum monftrat ob velocitatem equorum ea in regione. *Mefopotamia* inter duos fluvios Tigrim & Euphratem medium occupat locum cum mitra fulgente. *Pannonia* duplicem repræfentat fœminea in forma perfonam, pellibus ferarum indutam ad frigus arcendum, & in manibus geftantem arma, tanquam fortitudinis figna. *Parthicum regnum* muliebri patrioque veftitu, arcu & telo obarmatum. *Sicilia* trium offium figuram refert ob tria promontoria: Subin etiam cum falce & aliquot ariftis ob abundantiam frugum confpiciendam fe præbet.

XXVIII.

Denique & de Coloniis agendum superest. Est autem Colonia locus, ad quem ex Urbe vel regione aliqua mittuntur, qui eum inhabitent, agros & prata colant, ac prole fœcundum reddant; unde nata paræmia: *deducere colonias*, fuitque res hæc inter præcipuas Romanorum artes politicas, quibus fines suos imperiumque dilatabant, nimirum in remotissimas etiam plagas deducendo colonias. Ita etiamnum hodie exstat & vocatur *Colonia Agrippina*, seu colonia ad Rhenum, *Colonia Allobrogum* seu Geneva, *Colonia Munatiana Rauracorum* seu Basilea, *Colonia Decumanorum* seu Narbo in Gallia, *Colonia Trevirorum* seu Treviris. *Colonia Bracara* seu Braga in Lusitania &c. Ut autem diversæ Coloniæ in numismatibus rite dignoscantur. 1. Commune signum est coloniarum, si ex parte aversa bos, vel taurus unus, aut duo præter colonum sacrificulum, qui aratrum ducit, vel signa militaria compareant. Nam primos urbis condendæ limites aratro, bove ac vacca juncto, definierunt teste Isidoro (h). Si solum aratrum adsit, indicium est, quod plebs in aliam regionem fuerit immissa: si signa militaria stant erecta, colo-

(h) *Lib.* 15. *Origin.*

colonia originem ſuam ducit a militibus veteranis: '*Multis legionibus* inquit Hyginus, *contigit bellum feliciter tranſigere, & ad laborioſam agricultura requiem primo tyrocinii gradu pervenire. Nam cum ſignis & aquilis, & primis ordinibus ac tribunis deducebantur.* Quodſi utraque ſigna, & aratrum & militaria conjunguntur, milites ſimul ac Cives illuc migraſſe colligitur. 2. e diverſitate ſignorum intelligitur etiam diverſitas militum num pedites vel equites eo miſſi fuerint. 3. Coloniæ nomina ſua nanciſcuntur ab iis, a quibus conditæ fuerunt, vel amplificatæ: omnes a Julio Cæſare erectæ vocantur *Juliæ*, uti Julia Colonia Beritus: quæ ab Auguſto Imp. *Auguſtæ*, ut municipium Auguſta Bilbilis. Quando nomen Juliæ & Auguſtæ ſimul concurrunt, ita ut absque intervallo ſe ſequantur, ſignum eſt, Coloniam a Julio Cæſare quidem inchoatam, ab Auguſto autem perfectam vel reſtitutam fuiſſe, uti *Colonia Julia Auguſta, Dertoſa.* 4. diſcrimen inter Romanas & Latinas Colonias in numismatibus hac ratione patet: Jus civitatis Romanæ in eo poſitum erat, quod Coloni ad dignitatem Magiſtratus pertingere poſſent, omnibusque juribus Civium Romanorum gauderent: jus autem Latinitatis

quo tota Italia fruebatur, consistebat in privilegio, quo Coloni ab oneribus publicis immunes erant, ac libertatem adgregandi se legionibus Romanis obtinuerunt. Jam vero Coloniæ, quibus jus Civitatis obtigit, in numis suis signarunt Romulum & Remum cum lupa, qua effigie uti non poterant, quæ solum jus Latinitatis habebant. 5. quam late per tres orbis plagas fines suos propagarit Romana gens, ex Italiæ angulo seu Latio primitus egressa, facile e numis Coloniarum adparet. Paucos duntaxat eorum recensere juvat: COL. A. A. PATR. seu Colonia Augusta Aroe Patrensis, *Patrasso*. COL. ÆL. COMM. Colonia Ælia Commodiana, *Jerusalem*. COL. Æ. A. HA. MET. Colonia Ælia Augusta Hadrumetina, Metropolis *Africæ*. COL. ALEX. TR. Colonia Alexandrina Troas: *Troja instaurata*. COL. AMAS. Colonia Amastrianorum *Paphlagoniæ*. COL. ANT. Colonia Antiochena *Pisidiæ*. COL. ARELAT. SEXTAN. Colonia Arelata Sextanorum, *Galliæ Arles*. COL. AST. AUG. Colonia Astigitana Augusta *Hispaniæ*, *Eceja*. COL. AVG. JUL. PHILIP. Colonia Augusta Julia Philippensis, *Thraciæ*. COL. AUR. P. M. SIDON. Colonia Aurelia Pia Metropolis Si-

Sidon, *Syriæ.* COL. CÆS. AUG. Colonia Cæsarea Augusta, *Palæstinæ.* COL. CAMALODUN. Colonia Camalodunum, *Angliæ.* COL. CL. PTOL. Colonia Claudia Ptolemais, *Phœniciæ.* COL. COR. Colonia *Corinthus.* COL. GEM. ACCI. LEG. VI. Colonia Gemella Accitana Legio Sexta, *Guadix in Granata.* COL. HA. MET. Colonia Hadriana Mercurialis Thænitana, *una ex insulis Cycladum.* COL. VIC. JUL. LEP. Colonia victrix Julia Leptis, *Africæ Lebida.* COL. ULP. TRA. Colonia Ulpia Trajana, *Transsylvaniæ Varhel.* COL. VIM. I. Colonia Viminacium Anno primo, *Widin in Servia &c.*

CAPUT VI.

COGNITIO RERUM E NUMISMATIBUS.

§. I.

Cognitio Familiarum Romanarum.

XXIX.

Non solum cognitio numismatum, de qua præcedente Capite tractavimus, verum etiam, & vel maxime, cognitio rerum, quæ e numismatibus

rite inspectis discuntur, eruditionis studioso homine dignissima est, id quod praesentis capitis argumentum esto. Ut autem ordine cuncta fiant, initium a Familiis seu gentibus duco. Triplex erat nomen, quo Romana Nobilitas gaudebat: primum *Praenomen*, alterum ipsum *Nomen*, tertium *Cognomen*. Cur autem Romani plura nomina adsumpserint, Auctores non satis inter se conveniunt. Quidam; uti Varro (i) existimat, ante Romam conditam in Italia gentem hanc uno duntaxat nomine contentam fuisse, quemadmodum *Romulus*, *Remus*, *Faustulus* dicebatur; postmodum vero multiplicatis familiis ad earum capita discernenda multiplicata quoque fuisse nomina, praeposito aliquo alio nomine, quod inde praenomen dixere. Ita idem Varro (k) ait: quum duo essent Terentii aut plures, discernendi caussa, ut aliquid singulare haberent, notabant forsitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is *Manius* Terentius esset, qui luci, *Lucius* Terentius, qui post patris mortem, *Posthumus* Terentius. Alii autumant, a Romulo in gratiam Sabinorum, quorum filias vi illata Romanae pubi desponsavit, hoc esse fa-

(i) *Apud Valer. Max. in Epitome.* (k) *Lib. de latina lingua.*

factum, ita ut suis Sabinorum nomina, aut contra quæ suorum erant, Sabinorum nominibus præponeret. Alii vero, qui secus sentiunt, hunc morem ab aliis populis mutuatos fuisse Romanos scribunt, præsertim quum ipsi ante Romam conditam matrem Romuli legerent *Rheam Sylviam*, aut *Numitorem Silvium*, fratrem ejus *Amulium Silvium*, posterioresque duces *Metium Suffetium*, *Titum Tatium*, *Numam Pompilium*, patremque ejus *Pomponium Pompilium* nominatos. Jam vero Prænomen nomini Familiæ præponebatur, ut ex eo Fratres, Cognati, atque Affines inter se discerni possent, habebatque simile aliquid cum ævi nostri prænominibus in baptismatis lavacro susceptis v. g. Petrus, Paulus, Joannes, Franciscus, Josephus &c. Hoc indebatur apud Romanos post sumtam togam virilem, erantque ejusmodi prænomina fere sequentia: AVLVS, seu qui Diis alentibus nasceretur: CAIVS, a gaudio patrum adpellatus: KAESO seu CAESO, qui ex utero matris exsectus est: CNAEVS, ob insigne nævi, qui in corporibus gignitur e AGRIPPA, qui cum labore ac nisu matris est natus: FAVSTVS a favore: APPIVS ex Sabinorum prænomine *Actius*: QVINCTVS, SEXTVS, DECIVS seu Decimus,

a numero, qui quincto, sexto, & decimo loco nascebatur: LVCIVS a Lucumonibus Etruscis, vel a Lucis initio: MAMERCVS a Marte, quem Osci Mamercum nuncuparunt: MARCVS a mense Martio: PVBLIVS, qui ante adsumtum prænomen pupillus erat, vel a pube. SERVIVS, quem mater serva peperisset, aut qui mortua matre in utero servatus est. SPVRIVS, qui sine patre certo erat: TIBERIVS, qui ad Tiberim natus fuit: ANCVS, qui vitiosum cubitum haberet: TVLLVS, ominis caussa, quasi tollendus.

Ad Nomen quod attinet, illud Familiæ erat proprium atque perpetuum, quod apud Romanos plerumque in IVS desinebat, ut Julius, Antonius, Livius, Porcius, Cornelius &c. Familiis autem Romanis nomina sua obtigere *vel a Majoribus* sive Aboriginibus, seu Trojanis, seu Italis. Sic Julia dicta est ab Julo Æneæ, Æmilia ab Æmilio Juli filio. Atia Atim, Nautia Nautem Trojanos viros sui generis Auctores nuncupabant: Numa Rex teste Plutarcho quatuor filios reliquit, Pomponem, Calpum, Pinum & Mamercum, & ab his Pomponia, Calpurnia, Pinaria, & Mamercia Familia Romæ propagata fuit: Vel *ab urbibus & populis*, quemadmodum

Tar-

Tarquinia a Tarquiniis, Urbe Etruriæ, Gabinia a Gabinis, Vatinia a Vatia, prisco Latinorum oppido, Volscii a Volscis &c. *Vel a quadrupedibus*, quibus omnia primorum Romanorum bona & facultates circumscribebantur, ut Familia Porcia, Ovinia, Equitia, Asinia. Vel *ab aliquo ministerio*, uti Flaminia, quod Flamini Diali ministraret: Vel *a voce quadam*, ut Terentia a tereno, vocabulo Sabino, quod molle significat: Publicia a Publico, Popillia a popillo, Hirtia ab hirto, Salvia a salvo, quod boni ominis erat. Huic nomini Familiæ addiderunt frequentissime Romani ad discrimen faciendum Patris, Avi, quin & Proavi nomen, una duntaxat litera expressum, ut C. IVLIVS. C. F. C. N. id est, *Caius Julius*, *Caji* (intellige Julii) *Filius*, *Caji Nepos.* L. CORNELIVS. P. F. L. N. *Lucius Cornelius*, *Publii Filius*, *Lucii Nepos.*

XXX.

Cognomen adjecerunt Romani, prænomine ac nomine non contenti: nec absque caussa, nimirum ut plures ejusdem nominis & prænominis discernerentur. Hac ratione L. Tarquinium Priscum, & L. Tarquinium Superbum, inquit Dionysius, Priscum illum, quod natu major, hunc

hunc Superbum, quod contumacior esset, fuisse vocatum. Ita quoque stirps Cornelia cognominum varietate in multas familias diffusa fuit: in Scipiones, in Lentulos, in Cossos, Merulas, Cinnas, Sullas, Dolabellas. Hæc autem cognomina imponi consueverunt vel *ab actione aliqua.* Sic Metellus unus dicebatur Diadematus, quod frontis ulcus diademate aliquando obligasset: alter Celer ob ejus celeritatem in adparandis patri funebribus ludis: sic additum est cognomen Proculi, Posthumi, Vopisci a diversa nascendi conditione: sic etiam ortum cognomen Rufus, Niger, Clodius a corporis vitio. Vel *a virtute ac moribus.* Ita Nero Sabinorum lingua Strenuum significat, quod cognomen impositum fuit Tito Claudio Appio, ac postea ejus familiæ adhæsit. Marcellus Plutarcho idem est ac bellicosus seu Martius; aliis quasi Martellus seu parvus Mars: cognomine hoc gens Claudia usa est. Gurges vocatus est Q. Fabius, Rulliani filius, a devorato patrimonio: Camillus, quo cognomine gaudebat familia Furia, est puer ingenuus. Vel *a sermonis elegantia.* Ita Æmilii dicti sunt Lepidi a lepore orationis, quia Mamercus Numæ filius, princeps hujus familiæ, summo dicendi lepore præditus erat. Attici cognomentum ade-

adeptus est Titus Pomponius, quod Attice omnium optime loqueretur. Vel *ab arte & studio aliquo.* Hinc Q. Fabius dictus est Pictor, quod primus Romæ ædem Salutis pinxerit. Cicerones, Lentuli, ut quisque optime cicer aut lentem serebat, adpellabantur: illud Claudiorum & Tulliorum, hoc Corneliorum cognomen erat, eademque fors ratione a pisis Piso Calpurniorum. Sunt tamen, qui *Ciceronis* cognomen ortum esse scribunt a quodam Majorum, qui verruccam ciceris in modum naso eminentem habuisse fertur. Vel *ab urbe ac regione devicta*, quemadmodum Messalla Valerius dictus est a Messalla primo punico bello capta: Numantinus P. Scipio a Numantia deleta: Isauricus P. Servilius ab Isauris urbe Ciliciæ expugnata. Vel *a locis* ubi bene vel male pugnatum est, ut Germanicus Drusus dictus est, quod in Germania strenue pugnando obierit: Bithynicus Pompeius, quod ex Bithynia supellectilem Regis Nicomedis triumphans deportaverit. Vel *ab aliis eventibus.* Sic Collatinus Tarquinius dicebatur, quod diu Collatiæ Præfectus esset: Torquatus Manlius, quod torquem in pugna Nobili Gallo detraxerit: Cunctator Fabius, quod cunctando Hannibalem fregerit: Scipio Cornelius, quod patrem

lumi-

luminibus carentem scipione rexerit: Cæsar Juliorum cognomen fuit, quod ab utero cæso quidam derivant: alii vero, & melius, ab Elephante cæso; lingua enim Punica Cæsar elephas dicebatur, & Carolo Sigonio teste supersunt numi argentei ab altera parte elephantem referentes cum subscriptione CAESAR. Porro ex cognominibus aliqua fuisse hæreditaria, & ad posteros longissima serie propagata, alia vero ne ad filios quidem pervenisse satis constat: primum quidem e Cicerone (1), dum loquentem inducit Africanum cum Nepote hunc in modum: *Erit id tibi cognomen per te partum, quod nunc habes ex me hæreditarium:* alterum autem ex Strabonis cognomine, quod fuit Patris Pompeii M. sed ad filium nequaquam transiit. Quippe novis adscitis Familiæ cognominibus vetera esse deleta agnosci potest ex Manliana gente, cui primum cognomen fuit *Vulso*, post hoc *Capitolinus Imperiosus*, dein *Imperiosus Torquatus*, ad extremum autem solum *Torquatus* retentum est. Cætera necessitas initio cognomina excogitavit, post usus & commoditas custodivit, & propagavit. His addunt aliqui Agnomina, ita ut cognomina adpellent ea, quæ tertio loco, quæ vero

(1) *In Somnio.*

vero præterea adjiciuntur, ea omnia agnomina esse velint, ut *Africanus* & *Asiaticus*: P. CORNELIVS SCIPIO AFRICANVS. L. CORNELIVS SCIPIO ASIATICVS. Verum opinio hæc facile locupletissimi auctoris Tullii verbis refellitur, e quibus intelligitur, ea omnia cognomina dici, quæ etiam quarto loco ponuntur. Sic enim ille ait (m): *Quam laudem ille* (P. Scipio) *ex Africa oppressa cognomine ipso præseferebat*, *eandem hic* (L. Scipio) *sibi ex Asia cognomen assumpsit*. Quapropter ut initio dixi, totum hoc de Veterum Romanorum nominibus negotium tribus absolvitur, scilicet prænomine, nomine, ac cognomine, ut si legas: C. IVLIVS CAES. M. TVLLIVS CIC. prænomen sit Cajus & Marcus, nomen Julius & Tullius, cognomen Cæsar & Cicero. Ut autem, quod præcipuum est, familiæ aut gentis origo detegatur e numis, diligenter eorum effigies inspiciendæ sunt. Ita in numis Pomponiæ gentis caput & nomen NVMAE POMPILI adparet, ex quo colligitur, gentem hanc a Pompone Numæ filio descendere: ita rursus in Tulliæ gentis numismate SERVIVS Tullius, in Marciæ ANCVS Marcius exprimuntur, quod signum est, Tulliæ Servium, Mar-

ciæ

(m) *Orat. pro Muræna.*

ciæ familiæ Ancum caput fuisse ac originem. Juliæ gentis moneta tum Veneris, tum Æneæ, patrem humeris impositum gestantis, imaginem exhibet, cujus Æneæ filius Julus posteris nomen dedit, atque ita Æneas Juliæ gentis auctor agnoscitur. Quodsi vero aliquis a sua in aliam adlectus est familiam, quæ res apud Romanos admodum familiaris erat deficiente prole, id ipsum intelligere datur e nummis, in quibus nomen veteris familiæ, e qua adoptatus fuit, tanquam cognomen adjungebatur, mutata fere terminatione *us* in *janus*: nomen vero familiæ, in quam adoptabatur, nominis proprii loco positum fuit. Ita legitur: A. LICINIVS. NERVA. SILIANVS, id est e filia gente in Liciniam: CN. LENTVLVS. CLODIANVS, seu e Clodia in Corneliam Lentulorum adoptatus.

Ex hucusque dictis patet, quantum numismata bene cognita emolumentum adferant cognitioni Familiarum Veterum Romanarum, non solum ut legi & intelligi earum nomina possint, sed etiam ut in historia Romana perpetuo occurrentes inter se discerni queant: quin quod illas quoque Familias prodant numi, de quibus altum in historia silentium est. In unica, inquit Frœlichius, Fulvii Ursi-

ni

ni numorum Consularium collectione Familiæ Romanæ, quas in scriptoribus frustra quæras, detectæ sunt Cipia, Crepusia, Durmia, Fabrinia, Sepulia &c. Alii Antiquarii familias jam pene intermortuas in lucem historiæ e prisco ære protraxerunt, ut Accoleiam, Calvisiam, Cordiam, Egnatuleiam, Meniam, Piniam. Duo tamen adhuc circa nomina monendus est rei numariæ studiosus: Primum est, ne credat priscorum seu Regum seu Consulum capita in numis expressa ipsorum horum ævo cusa fuisse: id posteri fecerunt, longo sæpe intervallo sejuncti, tum ut memoriam Majorum æternam redderent, tum ut perenne pietatis suæ monumentum constituerent. Alterum, quod Prænominum, Nominum, & Cognominum ordo & series, de qua dixi, stante potissimum Republica religiose conservata fuerit: at declinante illa, & libertate Imperio cedente non pauca, quæ antehac cognomina fuerunt, in prænomina migrare cœperunt. Nam Julium Antonium Africanum, Paullum Fabium Maximum, Potitum Valerium Volusum, Cossum Cornelium Lentulum imperante Augusto iis prænominibus esse præditos, quæ antea cognominis munus obierant, pridem Valerius & Priscianus animadverterunt.

§. II.

Cognitio Magiſtratuum.

XXXI.

Plurimorum, qui Romæ olim Magiſtratus geſſere, numismata cum ſuis inſignibus & anaglyphis paſſim occurrunt tum in cimeliarchiis, tum in libris de re numaria agentibus, ut ſupervacaneum ſit, ea pluribus explicare hoc in loco, præſertim quum multa eorum ſigna & ſymbola, quibus uſi fuerunt, priore capite jam prodiderim. Satis erit igitur Magiſtratuum nomina, quantum ad præſens negotium ſpectat, in lucem proferre. Primum inter hos locum obtinent Religionum Antiſtites & rerum Sacrarum Cuſtodes. 1. PONT. MAX. ſeu *Pontifex Maximus*, dictus a poſſe & facere, id eſt, a ſacrificare, ut inquit Scævola, vel uti Varro, a ponte; quia ſublicius pons a Pontificibus primum eſt factus, & ſæpe reſtitutus. Huic inſignes alios honorum titulos adtribuebant Romani, vocantes Antiſtitem ceremoniarum & ſacrorum, auctorem & Magiſtrum publicæ Religionis, Miniſtrum Deorum Immortalium. Erant autem majores & minores Pontifices, inter quos ſu-

ſupremus etiam Maximus nuncupatus eſt, quod maximarum rerum, quæ ad ſacra & religionem pertinent, arbiter ac judex esſet, quin & vindex qua privatorum qua Magiſtratuum ſacra violantium. Munus autem hoc Pontificis Numa Rex inſtituit, ejusque ſcitis ac placitis ſacra omnia privata & publica ſubjecit, voluitque teſte Livio (n), ut idem Pontifex non cœleſtes modo ceremonias, ſed juſta quoque funebria, placandosque manes edoceret. Comparet, quemadmodum videre eſt in P. Sepullii Macri numismate, aliisque *velatus ad tripodem libans & ſacra faciens.*
2. AVG. ſeu *Augur* erat, qui aures ſuas & oculos avium volatibus & cantui accommodans futura prænunciabat, ut ait Cicero (o): *Augurque quum eſſet, dicere auſus eſt, optimis auſpiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ ſalute gererentur.* Erant vero tria divinationum genera in avibus. Nam aliæ volatu, aliæ cantu futura prædicere credebantur: & illæ quidem Præpetes, iſtæ Oſcines dictæ fuerunt. Erat & tertium genus divinationis ex illarum guſtatu, quum pullis gallinaceis ex cavea deprom-tis eſca porrigebatur, ut tripudium ſoliſtimum inde eſſet; perniciesque portenderetur,

(n) *Lib.* I. *ab V. C.* (o) *In Caton. Major.*

retur, si escam non caperent, aut permitterent decidere. Ita infelicem conflictum a Numantinis in Mancinum illatum prædixisse credebantur pulli, qui esca intacta ex cavea avolarunt. Augurum collegium summæ erat apud Romanos auctoritatis. Insignia Auguris a numismate Antonini Imp. aliorumque patescunt, videlicet *pullus*, *urceolus*, & *lituus*. 3. XV. VIR. SAC. FAC. seu *Quindecim Vir Sacris faciundis* præpositus, erat Magistratus apud Romanos Quindecimviratus, ipsam quindecim Virorum, e quibus componebatur, denotans dignitatem. Initio erant Duumviri a Tarquinio Rege instituti: postea X. VIRI, quinque ex Patribus, & totidem e plebe: demum auctus est numerus usque ad quindecim. Hi sacris faciundis præfecti carminum Sibyllæ & fatorum Romani populi, placandæque Deum iræ Antistites erant, qui quoties prodigia nunciarentur, adiri ac consuli solebant. Characteristica ipsorum fuit *Tripus una cum graculo & delphino*. 4. Flamines erant Sacerdotes, suaque cognomina traxerunt a Deo, cui sacra faciebant, ut FLAM. DIAL. seu *Flamen Dialis*, hoc est, a Jove quasi Jovialis: FLAM. MART. *Martialis* a Marte, & FLAM. QVIR. a Quirino sive Romulo *Quirinalis*. Caput ha-

habebant cinctum filo, unde Flamines dicti sunt, veluti Filamines. Eorum nota in numis fuit *acerra*, & *filum capitis*, ut in numismate Imperatoris Augusti sacrificantis adstante puero Flaminico adparet.

§. VII. VIR. EPVL. seu EPV͡L. *Septemvir Epulonum.* Primum teste Livio (p) fuerunt Triumviri, quorum munus erat Jovi cæterisque Diis epulas instruere: *Romæ*, inquit, *eo anno primum Triumviri Epulones facti: hi epulas Jovi cæterisque Diis instituendi potestatem habebant.* Et Cicero (q) *Patres conscripti, vosque Pontifices, ad quos Epulones Jovis Opt. Max. si quid est prætermissum, aut commissum, afferunt &c.* Excrevit postmodum numerus Epulonum ad septemviros, uti ex numis patet, in quibus stant *ad auream Jovis mensam, statuæ adpositam, veluti Ministri.* Hæc de sacris Magistratibus.

XXXII.

Pergamus ad profanos. Primum inter Reipublicæ Rectores locum occupat I. COS.-COS. DES.-COS. III. vel TER. id est *Consul: Consul Designatus: Consul ter-*

(p) *Lib.* 3. *belli Maced.* (q) *De Arusp. Resp.*

tertium. COSS. *Consules.* Hi a consulendo patriæ sic nuncupati, ac post Reges exactos constituti fuerunt, & quidem bini, ut alter alterius potestatem, si limites transgrederetur, temperare nosset. Propterea etiam unus duntaxat annus huic Magistratui permissus erat, quo tolerabilior esset ob temporis angustias. Potestas eorum primo regia non multum inferior fuit; sed postea Tribunorum intercessione circumscripta est, ab Imperatoribus denique penitus suppressa. Res majestatis plena, intueri Consulem foras prodeuntem. Nam ipse Trabea indutus incessit, seu ampla toga, propriis aut Majorum præclare gestis monumentis late ornata: manu scipionem ex ebore gestabat, cujus fastigio Aquila insedit. Hac & illac duodecim lictores præferebant Consuli totidem fasces, qui oblongis aliquot bacillis, quos ulmus vel betula subministrabat, loro colligatis constabant, prominente securi. His fascibus lictores populum e via submovebant, fores vero illorum, ad quos intrare Consul vellet, virga feriebant. Valerius Poplicola secures demsit, quamdiu intra Urbem ingrediebatur, ne populo plus quam decet terribilis videretur Consulum potestas. Atque *fasces* isti *cum securi stantes erecti* in numismatibus insigne

erant

erant consularis potestatis: in numo Q. CAEDICII. EX S. C. duo Consules manus invicem porrigentes, pone adstante securi visuntur. 2. CEN. vel CENS. aut CENS. PP. sive *Censor*, & *Censor Perpetuus*. Primum duo creati sunt Censores anno V. C. 311. hi recensebant non solum capita civium & facultates, sed maxime etiam mores, illosque si pravos in aliquibus deprehenderunt, *Nota* id est ignominia affecere. De horum potestate ita loquitur Plutarchus (r): *Censura maximæ omnium Magistratuum reverentiæ, plurimæ potestatis tum in aliis rebus, tum maxime ad morum emendationem.* Nam Senatores a Senatu removere poterat Censor, equitibus equos adimere, ex plebeiis ærarios facere, notare infamia, censum agere, lustrum condere. Quinque annorum spatio seu lustro eorum potestas concludebatur: aliqui tamen perpetui fuerunt nuncupati. In numis *cum adducto ante tribunal equo* conspiciuntur, qua re credo significare volebant, Censoris esse, libertatem morum in judicium vocare. 3. PR. sive *Prætor*. Primus Prætor, ut Livius scribit (s), ex Patribus, qui jus in Urbe diceret, creatus

(r) *In Æmilio.* (s) *Libr.* 5.

tus eſt, penes quem Magiſtratum omnis publici privatique juris poteſtas, ut & novum condere, & vetus abrogare fas ei eſſet: idque ob Magiſtratus honorem *Jus honorarium* appellatum eſt: erantque illi regia inſignia, ut adparatu Conſulibus pene par videretur. Creati autem fuerunt, quando Conſules bellis finitimis ex urbe avocabantur, nec erat, qui in civitate jus diceret. Fuit primus Prætor Urbanus Furius Camillus: hoc autem non ſufficiente, quum multi peregrini in civitatem venirent, alius quoque Prætor Peregrinus eſt Conſtitutus, qui his jus diceret. Denique multis provinciis bello ſubjugatis, aut in fidem receptis tot fere Prætores, quot provinciæ numerabantur. Cætera Prætor adpellabatur omnis Magiſtratus, cui pareret exercitus. Unde Imperatores Prætores quandoque vocantur, quemadmodum auctor ad Herennium *Epaminondas* inquit *Thebanorum Imperator ei, qui ſibi ex lege ſucceſſerat Prætor, exercitum non tradidit.* Signa numiſmatum Prætorianorum eadem vix non ſunt, quæ Conſulum. 4. AED. ſeu *Ædilis.* AED. CVR. *Ædilis Curulis.* Dicti ſunt Ædiles ab eo, quod ædeis ſacras & profanas curarent. Primo ex plebe duo creati ſunt an. V. C. 271.

271. dein procedente tempore duo ex Patritiis an. V. C. 388. adjuncti fuerunt, qui a solio eburneo, quod iis datum est, Curules nuncupabantur. Officium horum erat, ludos publicos exhibere, & sacrarum privatarumque ædium curam suscipere, ut auctor est Varro (t): præterea totam urbem tueri a sordibus, ut cloacæ & aquæ ductus, & quæcunque publica ædificia munda & integra essent: atque loca in theatro adsignare. Erant & alii Ædiles, qui frumento præerant, a Cæsare creati, & a Cerere Cereales nominati teste Pomponio. His cura rerum, ne qua fraus fieret, & mensurarum commissa est. In numo T. QVINCTII. FLAMINEI. cernuntur duo Ædiles *sedentes in duabus sellis eburneis, geminis aristis ex utroque latere in altum surgentibus.* 5. Q. vel QVAES. seu *Quæstor.* Q. P. R. *Quæstor Provinciæ.* Est autem Quæstor præpositus pecuniæ publicæ, qui curam ærarii habet. Officium eorum primum belli caussa inventum est. Mittebantur enim Quæstores cum Consulibus & Prætoribus in militiam ad administrandam rem pecuniariam, & prædam ac manubias in rationes re-

fe-

(t) *L. 4. de ling. lat.*

ferendas. Quæstores Urbani, ait Budæus, ærarium curabant, ejusque pecunias tam expensas quam acceptas referre in tabulas publicas consueverant. Symboli loco in ipsorum numis erat *Templum Saturni*, in quo pecunia adservabatur, quodque *Ærarium* nominatum fuit. 6. III.VIR. *Triumvir*. Magistratum hunc tenere tres Collegæ, qui fuerunt triplicis generis: Capitales, Mensarii, Nocturni. Triumviri Capitales, ut memorat Pomponius (u), constituti sunt, qui carceris custodiam haberent; & quum in sontes animadverti oporteret, interventu eorum id fiebat: Mensarii Numulariis, & monetæ omnis generis & formæ cusoribus præerant: Nocturni, qui evertendis vel restinguendis incendiis intenti esse debebant. Hinc apud Tacitum legitur, Triumviros nocturnos, quod ad incendium in sacra via ortum tarde venerant, a Tribuno Plebis die dicta damnatos fuisse. In C. MARII numo adparent *tria capita*, quorum medio *corona ex lauro* imposita est, cum inscriptione III.VIRI. Erant etiam Triumviri extra ordinem creati, si Reipublicæ turbandæ periculum imminebat, qui vocabantur R. P. C. Triumviri *Reipublicæ*

Con-

(u) *De Orig. Jur. in L. necessarium.*

Conſtituendæ. Exſtat numus Cæſaris Octaviani, in quo Triumviri ad tripodem ſtant, cui orbis impoſitus eſt adcumbente concordia, cum inſcriptione: SALUS GENERIS HUMANI. 7. DICT. *Dictator.* DICT. PERP. *Dictator perpetuus.* Primus creatus eſt an. V. C. 255. cui periculoſiſſimo Reipublicæ tempore, quum intus ſeditio, foris hoſtis immineret, ſumma poteſtas permittebatur, quam Dictaturam vocabant. Conſtituebatur autem viva voce, non per ſuffragia. Ne tamen abuteretur imperio, uno tantum ſemeſtri hoc gerere licuit. Præterea jus habuit animadvertendi in cujusvis civis Romani caput, nec ab eo provocare fas erat. Aliquando prorogatus eſt hic Magiſtratus in annum integrum. Sylla autem & Cæſar perpetui Dictatores creati ſunt, id quod exitium Reipublicæ peperit. In Cæſaris numiſmate cernitur *trophæum erectum*, cui *victoria laurum imponit*, jacente ad pedem *furore*, ſtipiti alligato, cum inſcriptione: CÆSAR. DIC. ITER. 8. IM. vel IMP. *Imperator*, vel I. IT. *Imperator iterum*, aut IMP. CÆS. AUG. COMM. CONS. *Imperator Cæſar Auguſtus Communi conſenſu.* Olim Dux erat exercitus, & per Antitheſin Miles, utpote belli indicendi gerendique

aut

aut fœderis feriendi gratia delectus, reque bene gesta, & aliquot millibus externorum hostium prostratis consequebatur, ut primum a senatu, deinde ab exercitu honoris caussa Imperator proclamaretur, quæ designatio etiam iterum ac sæpius repetita fuit, ut tradit Plinius (x) enumerans Pompeii laudes, subjungensque hæc verba: *Toties Imperator, antequam Miles.* Postea tamen illud tanquam proprium nomen sibi vendicarunt Cæsares. In horum numis, præcipue Julii Cæsaris, parte adversa adparet insigne, vel *lituus*, quia simul Pontificis Max. titulum gerebat, vel *stella supra caput*, aut circa frontem, aut a tergo in signum apotheosis, quam fere omnes consecuti sunt a superstitione populi & adulatione senatus.

Erant & alii Magistratus minores Romæ, quos omnes enumerare nimis prolixum foret, & facile ex numis, atque adversæ illorum partis inscriptionibus cognosci possunt, uti sunt: QUATUOR VIR - CURATOR DENARIORUM FLANDORUM - TRIUMVIR REIPUBLICÆ CONSTITUENDÆ - AD FRUMENTUM EMUNDUM - PROPRÆTOR - PROCONSUL - PROQUÆSTOR - TRIBU-

BU-

(x) *Lib.* 7. *c.* 26.

BUNUS MILITUM-PRÆFECTUS CLASSIS ET ORÆ MARITIMÆ &c.

§. III.

Cognitio Prærogativarum & Titutulorum Imperialium.

XXXIII.

Ubi Republica Romana inclinante, vel verius suppressa, rerum potestas suprema, quam Jus Regium dicebant, ad Imperatores delata est, aut potius rediit, non modo numismata quamplurima ab his, vel in horum honorem ab aliis cusa prodierunt, verum etiam multis horum titulis tanquam prærogativis fuerunt exornata, quos titulos, quum antehac Magistratuum singularium proprii essent, Imperatores tunc sibi communes fecere, eosque cumulatim in se transferebant. Atque hoc est, quod ex omnium fere Imperatorum numismatibus luculenter cognoscimus. *Primo* quidem, ut dixi paullo ante, Imperatoris titulum, qui prius Belliducibus solum conferabatur quivis post Octavium Augustum in Imperio successor sibi arrogavit, nec alteri amplius cessit, sed prænominis loco adhibuit IMP. CÆSAR. AUG. omissis vocibus ITER.

aut

aut TERT. utpote quæ cum ſupremæ hujus dignitatis perpetuitate, quam ſibi vendicabant, non bene convenirent. Quare ſæpius addiderunt in numis literam P. id eſt, *Perpetuus*: quandoque tamen etiam cognominis locum obtinet, quemadmodum in numismate Auguſti: IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS. IMP. XV. ad ſignificandum, quoties Auguſtus ille poſt victorias de hoſtibus relatas a Militibus Imperator acclamatus & ſalutatus fuerit. *Secundo* Cæſaris nomen, quod vetus Juliæ gentis cognomen erat, a Julio Cæſare adoptarunt ſibi omnes deinceps Imperatores: IMP. CÆS. Hoc equidem etiam gerunt Imperatorum Filii, Nepotes, Adoptati, & Collegæ, ſed poſtpoſitum aliis ſuis nominibus, ut GERMANICUS. CÆSAR. qui erat Tiberii Auguſti ex fratre Druſo Nepos, & a Tiberio adoptatus: L. ÆLIUS. VERUS. CÆSAR. a Marco Aurelio Vero Antonino in Collegam adſumtus. *Tertio* AUG. *Auguſtus* honoris titulus eſt, quo Senatus Octavium decoravit. Nam ut ut omnibus modis ſingulare regimen ſeu Monarchiam deteſtaretur, Octavii tamen potentiæ poſt Julium Cæſ. occiſum, & Antonium in pugna navali profligatum ſe imparem ſentiens ſummos Victori reduci honores decrevit, non tamen

men *Regum* (quum nomine hoc populo Romano nihil infeſtius haberetur) ſed *Imperatoris* adjecto honoris vocabulo *Auguſti*, quod idem erat ac Fauſtus & Auſpicatus. Hoc ipſum poſtea in omnes Imperatores eſt propagatum. *Quarto*, idem fere contigit titulo PATER PATRIÆ, quo etiam Ciceronem, poſtquam Catilinæ ſævam conjurationem primus detexit, eumque e civitate ejecit, ob patriam ſervatam ornavit ſenatus, qua de re ipſe Tullius magnifice gloriatur: Octavio tamen proprium eſſe voluit, a quo ad reliquos quoque Imperatores tranſiit. Tradunt Tiberium & Neronem initio titulum hunc recuſaſſe: ſed ex numis adparet, quod poſtea eum admiſerint. *Quinto* P. M. Pontificis Maximi quoque adpellationem ſibi adſciverunt Cæſares, quum non minus Imperatores, quam Religioſi Principes haberi vellent, ſimulque jus in ſacra æque ac profana ſibi arrogarent. Sed Conſtantinus M. reliquique Cæſares Chriſtiani eo ſibi ipſis interdixere, nonniſi unum ſummum Pontificem ſeu Chriſti in terris Vicarium agnoſcentes, cui ſoli ſupremum jus in ſacra competeret.

Allatis hucusque honorum titulis omnes vel certe plerique Imperatorum in numis ſplendide uſi ſunt. Verum præter hos

alii

alii quoque ſuperſunt, ab aliquibus duntaxat adhibiti. Sic in Auguſtorum ære primum Antoninus PIUS adpellatur: Commodus a Senatu FELIX nominatus eſt: poſt Antoninum tamen & Commodum Pii ac Felicis cognomen frequenter in reliquis occurrit. AUGUR in Antonii & Julii Cæſaris, vix tamen in Auguſtorum numismatibus latinis deprehenditur, præterquam Veſpaſiani, & in græcis Titi ac Domitiani. CENSOR in ære Veſpaſiani, ejusque filiorum Titi & Domitiani legitur. COS. & TRIB. POT. Conſulis & Tribuni titulum, quamvis ſæpe uſurparint Imperatores, non tamen continuo Magiſtratum hunc geſſere, nec in numis niſi per intervalla notatur. PRO-COS. Proconſulis nomen non ante Domitianum reperitur expreſſum. D. N. *Dominus Noſter:* hanc adpellationem circa Diocletiani tempora invaluiſſe produnt vetera numismata Legitur quoque in aliquibus: VICT. D. D. N. N. *victoriæ Dominorum noſtrorum*, videlicet Getæ & Antonini Caracallæ. DEI titulum cum illo *Domini* conjunctum ſub Aureliano, & Caro Impp. adulatio numis inſeruit: DEO. ET. DOMINO. NATO. AURELIANO. DEO. ET DOMIMO. CARO. Denique a devictis gentibus aliqui Cæſarum cognomina ſibi ado-

adoptarunt, ut GERM. *Germanicus.* BRIT. *Britannicus.* SARM. *Sarmaticus* DAC. *Dacicus.* PERS. *Persicus.* GOTH. *Gothicus*, nonnunquam adjecto nomine MAX. ut PARTH. MAX. Aliquando etiam hi tituli multiplices adparent, ut in numo Caii Cæsaris: IMP. C. G. VA. F. GAL. VEND. VOLUSIANO. AUG. *Imperatori Cæsari Cajo, Vandalico, Finnico, Galendico, Vendenico, Volusiano Augusto.* Peculiare quid habet titulus PRINC. JUVENT. id est, *Princeps Juventutis.* Hic inter præcipua Nobilis Romanæ juventutis decora numerabatur. Nam inter alios ludos, qui Romæ celebrati fuerunt, erat e primis unus, qui ut fertur ipsum Æneam Auctorem habuit, & quidem Equestris, ac *Ludus Trojæ* nuncupatus: ad hunc nonnisi flos nobilissimæ juventutis admittebatur, cui qui præerat, *Princeps Juventutis* dictus fuit. Postmodum vero Augusti Filios & Nepotes suos hoc titulo ornabant, ut manifestant numi Neronis & Drusi, Titi Domitiani, Getæ & aliorum. Repræsentantur hi Principes Juventutis *equo sublimes*, aliquando etiam *inter signa militaria stantes*, uti Commodus, Philippus, Valerianus.

§. IV.

§. IV.

Cognitio rerum præclare gestarum ac virtutum.

XXXIV.

Magnum rei momentum tum Romani tum Græci Veteres posuerunt in eo, ut Majorum, Regum, Imperatorum, aliorumque Heroum, ac Illustrium Personarum, de Republica bene meritarum effigies in numismatibus qua æreis, qua argenteis, qua aureis, eorumque parte *adversa* quam elegantissime ac vere magnifice exprimerent, hacque arte æternitati transcriberent: majorem tamen adhuc curam habuisse videntur, ut in parte *aversa* res præclare gestas & virtutes exquisitis & ingeniosis signis, symbolis, figuris, emblematibus ac inscriptionibus exornarent, exornatasque posteritati ad imitandum proponerent. Ex infinitis pauca produco exempla: Principum in patriam, vel parentes *Pietatem* exhibebat Æneæ Anchisen patrem e Troja conflagrante exportantis figura, aut ipsius Pietatis hasta pura armatæ ac laurum porrigentis simulacrum, cum inscriptione P. A. Pietas Augusti. *Concordiam* Augustorum cum senatu, cum exercitu, cum finitimis populis ut exprimerent, ipsorum Augustorum simulacra M. Aurelii, L. Veri

&c.

&c. cum Jove, vel Marte, vel Senatu Romano dexteram jungentes, aut duas dextras in aere invicem conjunctas inter signa militaria, & laureo serto circumdatas numis incidebant cum epigraphe CONC. AVG. Concordia Augusti: CONC. EXER. concordia exercitus: CONC. F. AET. concordia felix, æterna. *Pacis studium* in Principe, Rege vel Senatu repræsentabat Pacis figura, oleæ ramum præseferens cum cornucopiæ, vel facem ad bellica signa cremanda expediens, cum inscriptione PAX. PVB. Pax Publica: PAX. AET. PACI. ORB. PERP. AC AET. Paci orbis perpetuæ ac æternæ. *Victoriam* insignem Julii Cæsaris DICT. III. COS. III. de Gallis & Germanis monstrabat trophæum inter clypeos erectum, ad cujus pedem una parte sedet Germania mœsta demisso vultu, altera captivus Gallus torquens oculos feroces ad trophæum, cum inscriptione CAESAR. M. Lepidus *Ægypto capta* regnum Ptolemæo conferens exhibetur in numo, coronam imponens Ptolemæo, qui sceptrum cum insidente Aquila gestat, cum epigraphe: TVTOR. REGIS. M. LEPIDVS. PONT. MAX. S. C. Ad *moderationem* & *clementiam* commendandam parvula virtutum harum Sigilla, diversis exornata insigni-

ſignibus, & multo ſertorum decore cincta in numis comparebant. *Fortitudinem* Imperatorum ut oculis exhiberent, Honoris & Virtutis tanquam individuarum Comitum gemina ſimulacra ſtatuerunt: Honos cornucopiæ geſtat ſiniſtra, dextra haſtam puram, id eſt, ſine pilo ſeu cuſpide: Virtus autem galea & ſago more militari tecta manu dextera fert parazonium, haſtam læva. L. Marcii Philippi *ob beneficium aquæ* Marciæ introductæ effigiem ſublimem ſupra arcus invicem junctos videre fuit cum inſcriptione literarum inter ſingulos arcus prominentium A Q V A MR. ſeu Aqua Marcia. M. Claudii Marcelli ſtatuam poſt *victoriam de ſiculis reportatam* repræſentabant ferentem opima ſpolia in Templum Jovis Feretrii cum epigraphe MARCELLVS. COS. QVINQ. & ſupra templum VIC. S. victoria Sicula. *Pudicitiam* Matronarum commendabat ejus effigies, vultum obtegentis velo, quæ in Auguſtarum numis ſæpius occurrit. *Religio* Principis ut ſplendidor in oculos populi incurreret, vel ipſius ſimulacrum ad aram ſtabat litantis more cum vaſis & inſtrumentis ſacris: vel Jovis templum erat conſpicuum cum ſolita inſcriptione IOVI. SOSPITATORI. VLTORI. QVIETATORI. VICTO-

RI.

RI. item IOVIS. STATOR. ubi *Jovis* in recto casu accipitur pro Jupiter, & *Stator* dicitur, quod fugam ſtiterit. *Ob vias munitas* Cæſari Auguſto gratos ſe ſtitere Romani cuſo numismate ſplendido, in cujus parte adverſa legebatur circa effigiem: CAESARI. AVGVSTO. S.P.Q.R. in averſa ſtabat pons arcuatus, ſupra quem arcus gemini triumphales cum ſtatuis equeſtribus, & ſublatis in altum trophæis, intra quæ inſcriptio: QVOD VIAE MVN. SVNT. Qui *civitatem ſervarunt* ab imminenti periculo, eorum numis duplex ſertum ambientibus lauris erat adpoſitum cum inſcriptione OB CIVIS SERVATOS. ut videre eſt in P. Cornelii Lentuli Scipionis numismate. Qui colonias *primi fundabant*, cum velo in capite junctis bobus ducentes ſulcum repræſentabantur, uti P. Plancus, conditor coloniæ Lugdunenſis.

M. Scauro Æmiliæ gentis Viro illuſtri, ubi Arabiæ Regem Aretam ſupplicem in *populi Romani fidem* recepit, numisma cuſum fuit, in quo Virile ſimulacrum genua flectit, dextra porrigens olivæ ramum, ſiniſtra frenum adſtantis Cameli (ſymbolum eſt Arabiæ) moderatur cum inſcriptione: M. SCAVR.

ÆD. CUR. EX. S. C. Cajus Servilius ad perpetuam *ludorum Floralium*, quos primus instituit, *memoriam* numisma obtinuit, in cujus parte anteriore ipsius effigies cum corona ex floribus, & epigraphe: FLORAL. PRIMUS. F. Floralia primus fecit: ex altera duo Velites Romani cum galea & clypeo ac pugione cernuntur.

L. Manlii Torquati *facinus*, quo in pugna Nobili Gallo torquem e collo detraxit, torque hac marginem numi coronante, & Equite armato in cursum effuso expressum videtur. Illis qui primi *agros* militibus adsignarunt, honorem habuerunt Romani publico numismate, cujus facies aversa vexillum, aquilam, aratrum, & decempedam referebat, ut videre est in numo M. Vinicii. Elegans numisma est M. Antonio dicatum ob *Rempublicam constitutam*, in quo orbis comparet, cui infixus est caduceus, quem ex utraque parte ambiunt cornuacopiæ cum defluentibus fasciis & prominentibus spicis frumenti: Inscriptio est M. ANT. IMP. III. VIR. R. P. C.

Imperatorum, quorum *egregia facta* immortali memoria digna censebant, honorarunt symbolo seu simulacro Æternitatis, quæ modo ad aras stat expansis brachiis,

chiis, modo orbem pede premit, aut eidem circulis astronomicis inscripto insidet, modo curru a leonibus tracto sublimis annulum, aut orbem, in quo Phœnix sedet, manu porrecta monstrat, modo una solis caput radiis cinctum, altera lunæ cornua gerentis verticem attollit. Denique Cæsaribus & Imperatoribus, quos ob res maximas prospere confectas consecratione seu Apotheosi dignos existimabant, (adulatio postea fere ad omnes honorem hunc extendit) vita functis numismata cusa consecrataque reperiuntur, in quibus vel stella, vel rogus, vel aquila (quam vivam in funebri ritu rogo inclusam dimittebant repente, ac si anima Augusti in cœlum avolaret) cum insigni non raro suggestu ornamentorum & imaginum conspicienda se præbent: Augustarum vero consecratio per pavonem, avem Junoni sacram, aut per thensam mulis junctam, id est, quadrigam qua Deorum exuviæ ad pulvinar in circum perlatæ fuerunt, significabatur. Hæc numismatum facies erat usque ad Constantinum M. ejusque Successores, qui licet, multa quoque ethnicorum ornamenta in numis suis adhibuerint, addiderunt tamen, vel etiam sola posuerunt Christianæ Religionis ac pietatis monumenta. Celebre

eſt illud Monogramma, quod ex literis duabus initialibus X & P Chriſtum ſignificantibus compoſuere ☧. Hoc ſignum in numo Placidiæ lauro cingitur: in galea ipſius Conſtantini, atque in ſignis militaribus reſplendet variis inſcriptionibus decoratum: HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS. vel GLORIA ROMANORUM. In numiſmate Magnentii legitur: A. ☧ ω. SALUS. DD. NN. AUG. ET. CÆS. id eſt, *Alpha & Omega, ſalus Dominorum noſtrorum Auguſti & Cæſaris*, Magnentii ſcilicet ac Decentii. Quandoque Auguſti in manibus & capite illud ferunt: aliquando ſolis characteribns inſcriptum eſt IC. XC. NIKA. *Jeſus Chriſtus vincit.* Quin & ipſa Servatoris effigies capite radiis circumquaque fulgente in aliquibus numis conſpicitur cum epigraphe SALUS REIPUBLICÆ. vel IHS. XPS. REX. REGNANTIUM. græce Ιησῦς Χριςὸς Βασιλεὺς Βασιλέων.

Quis modo eſt, qni non vel ex hoc ſolum capite ultimo hujus libri clare perſpiciat, quantum e numiſmatum cognitione emolumentnm capere liceat rei hujus ſtudioſis ad maximarum rerum aliarum cognitionem, ſcilicet ad Familias Romanas, ad Magiſtratus, ad Titu-

tulos Augustorum, ad Veterum res præclare ac cum virtute gestas internoscendas? Non dissimulabo heic illud, de quo meminit Frœlichius, nempe Paullum Pedrusium e Societate JESU, quum Parmæ numos Veteres ibidem in gaza adservatos explanaret Nobili Juventuti, quæ Musis operam dabat, hoc veluti instrumento tacita quadam arte usum fuisse, ut eorum animos ad virtutis studium, & egregiorum facinorum imitationem excitaret. Quum autem in re ista plurimum negotii facessere soleat literarum, quæ abbreviatæ perpetuo in numismatibus se se offerunt, lectio & cognitio, consultum fore existimavi, si ex ejusdem Erasmi Frœlichii S. J. erudito in paucis libello *de Utilitate Rei Numariæ Veteris* adjectas ad calcem *Notas compendiarias in latinis numis occurrentes* ad hujus quoque libri finem adponerem, plurimum lucis & facilitatis allaturas.

NOTÆ COMPENDIARIÆ IN LATINIS NUMIS OCCURRENTES.

A.

A. Anno Arelate. Augur. Augusta. Augustus. Aulus. *Prænomen.*

A. A. Apollini Augusti.

A. A. duo Augusti. AAA tres Augusti.

A. AA. F. F. Auro, argento ære flando feriundo. *Triumviri.*

ABN. Abnepos.

ACCI. Accitana Colonia. *Nunc Guadix in Granatensi regno.*

ACT. Actiacus. Actia. Actium. *In Epiro, bodie Prevenza.*

ACT. A. Actiacus Apollo.

AD. FRU. EMU. Ad fruges emundas.

ADI. Adjutrix *legio.*

ADIAB. Adiabenicus. Adiabene. *Assyria sic dicta ast.*

ADOP. Adoptatus.

ADQ. *vel* ADQUIS. Adquisita.

ADVENT. AUG. vel ADV. AUG. Adventui, *vel* Adventus Augusti.

AED. Ædes. Ædilis.

AED. CUR. Ædilis Curulis.

AED. DIVI AUG. REST. Ædes Divi Augusti restituta.

AED. P. Ædilitia potestate, *vel* ÆED. POT.

AED. PL. Ædilis plebis.

AED. S. Ædibus sacris.

AEL. Ælius *nomen.*

AEL. MUN. COEL. ANT. Ælium Municipium Cœlus, vel Coilli, *vel* Coillutanum Antoninianum *in Numidia.*

AEM. *vel* AEMIL. Æmilius *nomen.*

AET. Æternitas.

A. F. Auli filius.

A. F. A. N. Auli filius, Auli Nepos.

AGRIP. Agrippa *cognomen.*

AIM. Aimilius *pro* Æmilius *nomen.*

ALB. Albinus *cognomen.*

ALE. Alexandria *Ægypti.*

ALIM. ITAL. Alimenta Italiæ.

ALIM. ITAL. SUBMIN. Alimenta Italiæ subministrata.

ALVIT. Alvitius *nomen.*

AMB. Antiochensis moneta secundæ *officinæ.*

AN. Anno Antiochiæ.

ANB. Antiochiæ in secunda officina.

ANF. F. Annum novum, faustum, felicem.

ANIC. Anicius *nomen.*

ANN. DCCCLXXIIII. NAT. URB. P. CIR. CON. Anno octingentesimo septuagesimo

mo quarto, Natali Urbis, populo Circonstituti.

ANT. *vel* ANT. Antiochia *Pisidiæ.*

ANT. AUG. Antonius Augur.

ANT. H. Antiochiæ in octava *officina.*

ANTIAT. Antiati. *Fortuna Antiati.*

ANTIO. COL. Antiochia colonia, *Pisidiæ.*

ANT. Antonius, *vel* ANT. *vel* ANT.

AP. Appius *Prænomen*, & *nomen subinde.*

A. P. F. Argento, *vel* auro publico feriundo, *vel* argentum primus flavit.

A. P. LC. Prima *in officina*, percussa Lucduni.

APOL. CONS. AUG. Apollo Conservator Augusti.

APOL. MON. Apollo Monetalis.

APOL. PAL. Apollini Palatino.

A. POP. FRUG. AC. A populo fruges acceptæ.

APP. Appius.

A. PU. Argento puro, *vel* publico.

AQ. Aquilius *nomen*. Aquileia.

AQL. Aquileia.

AQ. MAR. Aqua Marcia.

AQ. O. B. F. Aquileia in officina secunda flatum, *vel* officinæ secundæ fabrica.

AQ. P. S. Aquileiæ pecunia signata.

AQ. S. Aquileiæ signata.

AQUA. M. *vel* MR. Aqua Marcia.

AR.

AR. *vel* ARL. Arelate.
AR. Aurelius AUR. *nomen.*
ARAB. AQUI. *vel* ADQUI. Arabia adquiſita.
ARM. ARMEN. Armenia. Armeniacus.
ARMEN. CAP. Armenia capta.
ARA. PAC. Ara Pacis.
A. R. P. C. A. Alter Reipublicæ conſtituendæ Auguſtus. *forte.*
ARR. Arrius *Nomen.*
ASI. Aſia. Aſiagenes. *cognomen.*
A. SISC. Prima *in officina* Siſciæ.
AST. Aſtigitana. *in Bœtica, nunc Eceja.*
AUG. Augur. Auguſtalis. Auguſti. Auguſtus.
AUG. D. F. Auguſtus Divi filius.
AUG. G. AUG. Auguſti Gener. Auguſtus. *forte.*
AUGUST. Auguſtalia. Auguſtalis. Auguſtus.

B.

B. Berytus. Bono. Braceara. in ſecunda *officina.*
B. A. Braccara Auguſta. *Luſitaniæ.*
BAEB. Bæbius. *nomen.*
BALB. Balbus. *Cognomen.*
BARB. Barbatus, *vel* Barbula. *Cognomen.*
BARBAT. Barbatus.
B. A. R. NAT. *pro* B. R. P. NAT. bono Reipublicæ nato.
BON. EVENT. Bonus eventus.

BRIT. Britannicus.

BROC. Brochus. *Cognomen.*

B. R. P. Bono Reipublicæ.

BRUN. Brundusium *Italiæ*, *Brindesi.*

B. SIRM. In secunda *officina* Sirmii. *Sclavoniæ*, *nunc Sirmich.*

B. S. LC. *In* secunda *officina* signata Lugduni.

B. T. Beata tranquillitas.

BUTHR. Buthrotum. *Epiri*, *nunc Butrinto.*

C.

C. Cæsar. Cajus. *prænomen.* Carthago. Censor. Centum. Civis. Clypeus. Cohors. Colonia. Consultum. Cornelius.

C. A. Cæsar Augusta. *Hispaniæ caragoca.*

C. A. A.P. *vel* PATR. Colonia Augusta Aroë Patrensis, *vel* Colonia Prima Augusta Patrensis. *Achaia*, *nunc Patras*, *vel Patrasso.*

CABE. Cabellio. *Galliæ.Cavaillon.*

C. A. BUT. Colonia Augusta Buthrornm. *Epiri nunc Butrinto.*

C. A. C. Colonia Augusta Cæsarea, *aut potius* Colonia Ælia Capitolina *Jerusalem.*

CÆ. *vel* CÆS. *vel* CA. Cæsarea. *Antiochia Pisidiæ.*

CÆ. Cæcina *Cognomen*, vel Colonia Augusta Emerita. *Hispaniæ*, *Merida*.

CÆ. *vel* COE. Cælius *nomen*.

CÆS. Cæsar. CÆSS. Cæsares duo. CÆSSS. Cæsares tres.

C. A. I. Colonia, Augustas Julia. *Hispaniæ*, *Cadiz forte*.

CAP. Calpurnius. *nomen*.

CAL. Calaguris- *Hispaniæ*, *Calaborra*. Calidius. *nomen*.

CAM. Camillus. *Cognomen officii*: *Ministri adolescentis ad aras*.

CAN. Caninius. *nomen*.

C. A. O. A. F. Colonia Antoniniana. Oea Augusta Felix. *Africæ*.

CAP. Capito *Cognomen*. Capitolina.

C. A. PI. MET. SID. Colonia Aurelia pia Metropolis Sidon.

C. A. R. Colonia Augusta Rauracorum. *Pagus August prope Basileam forte. vel* Colonia Asta Regia. *Hispaniæ*, *Xerez della Frontera*.

CARTH. Carthago. *Africæ*, *etiam Hispaniæ*.

CC. Ducentesima. *Vectigal*.

C. C. A. Colonia Cæsarea Augusta. *Saragoça Hispaniæ*.

C. C. COL. LUG. Clandia Copia Colonia Lugdunensis. *Galliæ*, *Lion*.

C. C. I. B. Colonia Campestris Julia Babba. *Mauritaniæ Tingitanæ*.

C. C. I. B. D. D. Colonia Campeſtris Julia Babba decreto Decurionum.

C. C. I. H. P. A. Colonia Concordia Julia Hadrumetina pia Auguſta. *Africæ.*

C. CIV. *vel* C. CIB. D. D. PUB. Corona Civica data decreto publico.

C. C. N. A. Colonia Carthago nova Auguſta. *Hiſpaniæ, Carthagena.*

C. C. N. C. D. D. Colonia Concordia Norba Cæſareana, decreto Decurionum. *Hiſpaniæ, Alcantara.*

C. COR. Colonia Corinthus.

CC. R. Ducenteſima remiſſa, *vel* Circenſes reſtituti.

C. C. S. Colonia Claudia. Sabaria. *Hungariæ, Szombathely.*

C. CUP. Cajus Cupiennius. *Prænomen, & nomen.*

CEN. *vel* CENS. Cenſor.

CENS. PP. Cenſor perpetuus.

CER. SACR. PER. OECUME. ISELA. Certamina Sacra periodica, *vel* perpetua œcumenica, Iſelaſtica.

CERT. QUIN. *vel* QUINQ. ROM. CON. Certamina quinquennalia Romæ conſtituta.

CERT. SAC. Certamina Sacra.

C. E. S. Cum exercitu ſuo.

CEST. Ceſtius. *nomen.*

C. F. Cajus Fabius. *Prænomen, nomen.*

C. F. C. N. Caji Filius. Caji Nepos.

C. F. P. D. Colonia Flavia Pacensis Deulton. *Thraciæ.*

C. G. I. H. P. A. Colonia Gemella Julia Hipponensis pia Augusta. *Africæ.* vel Colonia Germe Julia Hadriani pia Augusta, *etiam sine* A. *Hellesponti.*

C. G. JVL. H. A. P. Colonia Gemella Julia Hipponensis Augusta pia. *Africæ.*

C. I. A. D. Colonia Julia Augusta Dertona, *Liguriæ*, *Tortona.*

C. I. AV. Colonia Julia Augusta. *Hispaniæ, Cadiz.*

C. I. AV. F. SIN. Colonia Julia Augusta Felix Sinope. *Ponti Asiatici.*

C. I. B. Colonia Julia Balba. *Mauritaniæ Tingitanæ.*

C. I. C. Colonia Julia Carthago. *vel* Corinthus. *forte.*

C. I. C. A. A. P. Colonia Julia Carthago Augusta antiqua pia. *Hispaniæ, villa franca de Panades. vel* Colonia Julia Corinthus Augusta Antoniniana pia.

C. I. CÆS. Cajus Julius Cæsar. *Prænomen, nomen, cognomen.*

C. I. CALP. Colonia Julia Calpe. *Hispaniæ, Torre di Cartagena.*

C. I. F. Colonia Julia Felix. *vel* concordia invicta felix.

C. I. F. S. Colonia Julia Felix Sinope. *Ponti Asiatici.*

C. I. G. A. Colonia Julia Gemella Accitana, Augusta. *Granatensis Regni Guadix.*

C. I. G. ACC. L. III. Colonia Julia Gemella Accitana: Legio tertia.

C. I. I. A. Colonia immunis Illice Augusta. *Hispaniæ Elche.*

C. I. N. C. Colonia Julia Norba Cæsariana. *Hispania Alcantara. vel* Colonia Julia Nova Carthago. *Hispaniæ Cartagena.*

CIR. CON. Circenses concessit, *vel* Circenses conditi, *vel* concessi.

C. I. V. Colonia Julia Valentia, *Hispaniæ.*

CIVIB. ET, SIGN. MILIT. A. PARTH. RECVP. Civibus, & Signis militaribus a Parthis recuperatis.

CL. Claudius. *nomen.* Claudia, Clypeus. Colonia.

CLA. Claudius.

CLASS. PR. Classis præfectus.

C. L. AVG. F. Cajus Lucius Augusti filii.

C. L. CÆS. F. C. V. T. Cajus Lucius Cæsaris filii. Colonia victrix Tarraco.

C. L. CÆSS. Cajus, Lucius, Cæsares.

C. L. I. COR. Colonia Laus Julia Corinthus.

C. L.

C. L. I. N. AVG. Colonia Laus Julia nova Augusta. *Italiæ , Lodi.*

C. MALL. Cajus Malleolus. *Cognomen cum prænomine.*

C. M. L. Colonia Metropolis Laodicea. *In Syria Gæle.*

CN. DOM. AMP. Cneus Comitius Amplus. *prænomen , nomen , cognomen.*

CN. F. Cnæi, *vel* Cnei filius. *prænomen.*

CN. MAG. IMP. Cneus Magnus Imperator.

CΘ. Constantinopoli *in officina* nona.

CO. DAM. METRO. Colonia Damascus Metropolis. *Syriæ.*

COHH. PRAET. VII. P. VI. F. Cohortes Prætorianæ septimum piæ sextum fideles.

COH. I. CR. Cohortis primæ Cretensis.

COHOR. PRÆ. *vel* PRÆT. Cohortes prætorianæ.

COH. PR. Cohors prætoriana.

COH. PRÆ. PHIL. Cohors prætoriana Philippensium.

COL. A. A. PATR. Colonia Augusta Aroë Patrensis. *Patrasso.*

COL. Æ. A. HA. MET. Colonia Ælia, Augusta , Hadrumetina Metropolis. *Africæ.*

COL. ÆL. CAP. COMM. P. F. Colonia

Ælia Capitolina Commodiana pia felix. *Jerusalem.*

COL. ÆL. COMM. Colonia Ælia Commodiana. *Jerusalem.*

COL. ÆL. HADR. AVG. Colonia Ælia Hadriana Augusta. *forte Jerusalem.*

COL. ÆL. KAP. *vel* CAP. Colonia Ælia Capitolina. *Jerusalem.*

COL. ALEX. TROAS. Colonia Alexandrina Troas. *Troja instaurata.*

COL. AMAS. *vel* AMS. Colonia Amastrianorum. *Paphlagoniæ.*

COL. ANT. *vel* ANTI. Colonia Antiochia *Pisidiæ.*

COL. ARELAT. SEXTAN. Colonia Arelata Sextanorum. *Galliæ, Arles.*

COL. AST. AVG. Colonia Astigitana Augusta. *Hispaniæ, Eceja.*

COL. AVG. FEL. BER. Colonia Augusta Felix Berytus. *Palæstinæ.*

COL. AVG. FIRM. Colonia Augusta firma, *seu Astigitana, Eceja.*

COL. AVG. JUL. PHILIP. Colonia Augusta Julia Philippensis. *Thraciæ.*

COL. AVG. PAT. TREVIR. Colonia Augusta Paterna Trevirorum. *Germaniæ.*

COL. AUG. TROA. *vel* TROAD. Colonia Augusta Troadensis. *Troja.*

COL. AVR. KAR. COMM. P. F. Colonia Aurelia Karrhæ Comodiana pia felix. *Mesopotamiæ, vel* Colonia Aurelia Carneatum Commagene pia felix. *Syriæ.*

COL. AVR. ANTONINIANA. AVG. Colonia Aurelia Antoniniana Augusta. *Troas.*

COL. AVR. P. M. SIDON. Colonia Aurelia pia Metropolis Sidon. *Syriæ.*

COL. B. A. Colonia Braccara Augusta. *Lusitaniæ, Braga.*

COL. BERYT. L. V. VIII. Colonia Berytus Legio quinta, & octava.

COL. CABE. Colonia Cabellio. *Galliæ Cavaillon.*

COL. CÆS. AVG. Colonia Cæsarea Augusta. *Palæstinæ.*

DOL. CAMALODUN. Colonia Camalodunum. *Angliæ, Maldon.*

COL. CASILIN. Colonia Casilinum. *Italiæ, Capua nova.*

COL. CL. PTOL. Colonia Claudia Ptolemais. *Phœniciæ.*

COL. COR. Colonia Corinthus.

COL. ΔAMAS. METRO. Colonia Damascus Metropolis. *Syriæ.*

COL. F. I. A. P. BARC. Colonia Flavia Julia Augusta pia Barcino. *Hispaniæ, Barcellona.*

COL. FL. PAC. DEVLT. Colonia Flavia Pacensis Deulton. *Thraciæ*.

COL. GEM. ACCI. LEG. VI. Colonia Gemella Accitana Legio sexta. *Guadix, in Granata*.

COL. HA. ME. T. Colonia Hadriana Mercurialis Thænitana. *Insula Cycladum una*, nunc Ferro. *forte*.

COL. HEL. *vel* H. LEG. H. Colonia Heliopolis, legio Heliopolis, *vel* Heliopolitana, *vel* octava.

COL. HEL. I. O. M. H. Colonia Heliopolis Jovi Optimo Maximo Heliopolitano. *Syriæ*.

COL. JVL. AVG. C. I. F. COMAN. Colonia Julia Augusta concordia invicta felix Comanorum. *in Cappadociæ ponto*.

COL. JVL. AVG. FE. CREMNA. Colonia Julia Augusta Felix Cremna. *Pamphyliæ urbs*.

COL. JVL. AVG. FEL. BER. *vel etiam* CAR. Colonia Julia Augusta Felix Berytus. *vel* Carthago.

COL. JVL. AVG. FEL. HEL. Colonia Julia Augusta Felix Heliopolis. *Palæstinæ*.

COL. JVL. AVG. FIRM. Colonia Julia Augusta Firma. *Hispaniæ, Eceja*.

COL. JVL. AVG. PHILIP. Colonia Julia Augusta Philippi. *Thraciæ*.

COL.

COL. JVL. BER. Colonia Julia Berytus. *Palæstinæ.*

COL. JVL. CER. SAC. AVG. FEL. CAP. OEC. ISE. HEL. Colonia Julia, certamen sacrum, Augustum Felix, Capitolinum Oecumenicum, cum, Iselasticum, Heliopolitanum. *Heliopolis, Syriæ Phœnices.*

COL. JVL. CONC. APAM. AVG. D. D. Colonia Julia Concordia Apamen Augusta, decreto Decurionum. *Bithynias.*

COL. JVL. GEM. ACCI. Colonia Julia Gemella Accitana. *Hispaniae, Guadix.*

COL. JVL. PATERN. NARB. Colonia Julia Paterna Narbonensis. *Galliae.*

COL. JVL. PHIL. Colonia Julia Philippi. *Thraciae, vel Macedoniae.*

COL. JVL. VAL. Colonia Julia Valentia. *Hispaniae,*

COL. L. JVL. *vel* COL. LAVS. I. COR. Colonia Laus Julia Corinthus.

COL. NEM. Colonia Nemausus. *Galliae, Nismes.*

COLONIA. NICEPH. COND. Colonia Nicephorium condita. *Mesopotamiae, vel Syriae prope Mesopotamiam.*

COL. PATR. Colonia Patrensis, *vel* Patricia. *Patricia, Corduba dicta est in Hispan.*

COL. P. F. AV. F. CAES. MET. Colonia Prima Flavia Augusta Felix Cæsarea Metropolis. *Palæstinæ.*

COL. P. FL. AVG. CAES. METR. P. S. P. Colonia prima Flavia Augusta Cæsarea Metropolis Provinciæ Syriæ Palæstinæ.

COL. PR. F. A. CAESAR. Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea. *Palæstinæ.*

COL. PTOL. Colonia Ptolemais. *Phœniciæ.*

COL. R. F. AVG. FL. METROΠ. Colonia Romana felix Augusta Flavia Cæsarea metropolis.

COL. ROM. Colonia Romulensis. *Hispaniæ, Sevilla.*

COL. ROM. LVGD. Colonia Romanorum Lugdunum. *Galliæ, Lyon.*

COL. RVS. LEG. VI. Colonia Ruscino, Legio sexta. *Galliæ, Roussillon.*

COL. SABAR. Colonia Sabaria. *Hungariæ prope Ginsium Szombathely.*

COL. SEBAS. Colonia Sebaste. *Palæstinæ.*

COL. SER. G. NEAPOL. Colonia Servii Galbæ Neapolis. *Palæstinæ.*

COL. TRO. Colonia Troas. *Troja instaurata.*

COL. V. I. CELSA. Colonia Victrix Julia Celsa. *Hispaniæ, nunc Xelsa.*

COL. VIC. JVL. CELSA. Colonia Victrix Julia Celsa.

COL.

COL. VIC. JVL. LEP. Colonia Victrix Julia Leptis. *Africae*, *Lebida*.

COL. VIM. AN. I. Colonia Viminacium anno primo. *Widin*, *in Servia*.

COL. VLP. TRA. Colonia Ulpia Trajana. *Transylvaniae*, *Várbel*.

COM. Commodus.

COM. ASI. ROM. ET. AVG. Commune Asiæ, Romæ, & Augusto.

COM. IMP. AVG. Comes Imperatoris Augusti.

COMM. Commodus, Commodiana. *Coloniae titulus*.

COMOB. Constantinopoli moneta in secunda officina *percussa*.

CON. *vel* CONS. *vel* CONST. Constantinopoli.

CONC. Concordia.

CONC. APAM. Concordia Apamena. *Bithyniae*.

CONC. COM. Concordia Commodi.

CONGIAR. DAT. POP. Congiarium datum populo.

CONG. P. R. Congiarium populo Romano. *vel* PR. Primum.

CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. Congiarium tertium populo Romano impensis maximis datum.

CONOB. Constantinopoli in officina secunda.

CONS. A. Conſtantinopoli in prima officina.

CONS. P. A. Conſtantinopoli percuſſa in officina prima.

CONS. SUO. Conſervatori ſuo.

CONSTANTINO. P. AVG. B. M. V. N. P. R. CI. M. S. P. L. C. Conſtantino Patri Auguſti bonæ memoriæ Urbis noſtræ perpetuo Rectori Cives municipi ſuo primæ Lugdunenſes civitates. *forte*.

COOPT. Cooptatus.

CO. P. F. CAE. METRO. Colonia prima Flavia Cæſarea Metropolis. *Palaeſtinae*.

C. O. P. I. A. Colonia Octavanorum Pacenſis Julia Auguſta. *in Foro Julio*.

COR. Corinthus, Cornelius. *nomen*.

CO. R. M. OB. Conſtantinopoli, Romæ, moneta obſignata. *forte*.

CO. R. NO. B. Conſtantinopoli Romæ novæ in officina ſecunda.

COS. Conſulibus. *vel* Conſul. COS. III. *vel* TER. Conſul. tertium &c.

COS. DES. Conſul deſignatus.

COS. ITER. ET. TER. DESIG. Conſul iterum, & tertium deſignatus.

COSS. Conſules.

C. OVAL. HOSTIL. COVINTVS. Cajus Valens Hoſtilianus quintus.

C. P.

C. P. Colonia Patrensis. *Achaiae, nunc Patrasso, vel Patras.*

C. PAET. Cajus Paetus.

C. P. C. A. D. D. Coloniæ Patrensis cives Augustum salutant decreto Decurionum.

C. P. FL. AVG. F. G. CÆS. METR. P. S. P. Colonia prima Flavia Augusta felix Germanica Cæsarea Metropolis Provinciæ Syriæ Palæstinæ.

C. R. Claritas Reipublicæ.

CRAS. Crassus. *Cognomen, & dein nomen.*

C. R. I. F. S. Colonia Romana Julia felix Sinope. *Ponti Asiatici.*

CRT. Crito. *Cognomen.*

C. S. Cives servatos. *vel* Claritas sæculi.

C. SACR. FAC. Censor Sacris faciundis.

C. T. T. Colonia Togata Tarraco. *Tarragona in Hispania.*

C. V. Clypeus votivus, *vel* clypeis votis.

C. VAL. HOST. M. QVINTVS. Cajus Valens Hostilianus. Messius quintus.

C. VET. LANG. Cajo Vettio Languido. *Praenomen, nomen, cognomen.*

C. V. I. C. Colonia Victrix Julia Celsa. *Hispaniae, Xelsa.*

C. VI. CEL. Cajus Vibius Celsus. *Praenomen, nomen, cognomen, vel* Colonia Victrix Julia Celsa.

C. V. IL. Colonia Victrix Illice. Hispaniæ, nunc Elche. C. V.

C. V. I. N. C. Colonia Victrix Julia Norba Cæſariana. *Hiſpaniae, Alcantara.*

CVM. EXER. SVO. Cum exercitu ſuo.

C. V. P. P. Conſul quintum. Pater Patriæ.

CVR. X. F. Curator Denariorum Flandorum, *vel* curavit Denarium faciundum.

C. V. T. T. Colonia Victrix Togata Tarraco. *Hiſpaniae, Tarragona.*

D.

D. Dacia, De. Decimus *praenomen*, Decretum. Decurio. Deo. Deſignatus. Devotus. Dii. Divus.

D. *vel* DEVLT. Deulton. *Thraciae.*

D. A. Divus Auguſtus.

DAC. Dacicus.

DAC. CAP. Dacia capta.

DAMA. *vel* ΔAMA. *vel* DAMAS. Damaſcus. *Syriae.*

D. AVG. Divo Auguſto.

D. C. A. Divus Cæſar Auguſtus.

D. C. C. N. C. Decuriones Coloniæ concordiæ Norbæ Cæſarianæ. *Hiſpaniae, Alcantara.*

D. CL. SEPT. ALBIN. Decimus Clodius Septimius Albinus.

D. C. S. De Conſulum ſententia.

D. D. Decreto Decurionum.

D. D. D. Dedicaverunt Decuriones. *vel* datus decreto Decurionum.

D. D. D.

D. D. D. N. N. N. Domini nostri. *de tribus.*

D. D. EX. CON. C. C. I. B. Decurionum ex consensu coloniæ campestris Juliæ Babbæ. *Mauretaniae.*

D. D. NN. Domini Nostri. *de duobus.*

D. D. P. P. Decuriones posuerunt.

DEBELLATORI. GENTT. BARBARR. Debellatori Gentium barbarum.

DEC. Decennalia.

DEC. DEC. Decreto Decurionum.

DEO. NEM. Deo Nemauso.

DERT. Dertosa. *Cataloniae*, *Tortosa.*

DES. *vel* DESIG. Designatus.

D. F. Dacia felix.

D. F. D. N. Decimi Filius. Decimi Nepos.

DIANA. PERG. Diana Pergensis. *In Pamphylia est Perga.*

DIC. PERP. Dictator perpetuus.

DICT. Dictator.

D. I. M. S. Deo invicto Mithræ Sacrum.

D. N. Dominus Noster.

D. N. N. Q. E. Devotus Numini, Majestatique Ejus.

DOM. Domitius. *nomen.*

DOMIT. Domitianus.

D. P. Dii Penates. Divus Pius.

DR. CÆS. Q. PR. Drusus Cæsar. quinquennalis Præfectus.

D. S. I. M. Deo Soli invicto Mithræ.

DV. Divus.

E. E.

E.

E. Ejus. Eſt.
EGN. GALLIENVS. AVG. Egnatius Gallienus Auguſtus. *Imperator.*
EID. MART. Idus Martii.
E. P. E. Effigiem Pacis erexit. *forte.*
EQ. COH. Equeſtris Cohortis.
EQ. M. Equitum Magiſter.
EQ. ORDIN. Equeſtri Ordini.
ETR. Etruſcus.
EUR. Europa.
EX. A. P. *vel* PU. Ex argento puro. *vel* publico.
EX. CONS. Ex conſenſu.
EX. D. D. Ex Decreto Decurionum.
EX. EA. P. Q. I. S. AD. A. D. E. Ex ea pecunia, quæ juſſu Senatûs, ad ærarium delata eſt.
EXER. *vel* EXERC. Exercitus, *vel* Exercituum.
EXERC. PERS. Exercitus Perſicus.
EX. S. C. Ex Senatûs Conſulto.
EX. S. D. Ex Senatûs Decreto.

F.

F. Fabius. Faciundum. Fecit. Felix. Filius. Finnicus. Flamen. Flavit. Fortuna. Frumentum.
FAB. *vel* FABI. Fabius. *nomen.*

FA-

FABRIC. Fabricius. *nomen.*
FAD. Fadius. *nomen.*
FANE. Faneſtre. *Municipium Italiae, Fano forte.*
F. B. Felicitas beata.
F. C. Faciundum curavit. *vel* Frumento convehendo.
FÆCVND. Fæcunditas.
FEL. TEMP. REP. *vel* F. T. R. Felix temporum reparatio.
FEN. Feneſtella. *cognomen. vel* Fenius. *nomen.*
FER. Feronia.
F. F. Flando feriundo.
F. H. R. T. Felix Hilarium. Reparatio Temporum.
FID. EXERC. Fides exercitus, *vel* exercituum.
FL. Flamen Flavius.
FLAM. Flaminius. *cognomen.*
FLAM. DIAL. Flamen Dialis.
FLAM. MART. Flamen Martialis.
FL. D. Flamen Divi.
FL. FEL. Flaviæ felicis *legionis.*
FOR. RE. *vel* FORT. RED. Fortunæ reduci.
FORT. FELI. Fortunæ felici.
FORT. P. R. Fortitudo, *vel* Fortuna Populi Romani.
FORT. PRIM. Fortunæ primigeniæ.

FOVR.

FOVR. Furius. *nomen.*

F. P. R. Fortuna Populi Romani, *vel* Fortitudo.

FR. Frumentum.

FRVG. AV. Fruges acceptæ.

F. T. Felicitas temporum.

FVL. Fulvius. *nomen.*

FVLG. Fulgerator. *Jovis epitheton.*

FVLM. Fulminator. *Jupiter.*

G.

G. Galindicus. Gaudium. Gemina. Genius. Germanus. Gnæa.

GADIT. Gaditanus.

GAL. Galerius. *nomen, vel praenomen.*

G. AVG. Genio Augusti.

G. COR. SVPER. Gnæa Cornelia Supera.

G. D. Germanicus, Dacicus.

G. D. PARTH. Germanicus, Dacicus, Parthicus.

GEM. L. Gemina legio *vel* Gemella legio.

GEN. COL. COR. Genio Coloniæ Corinthi.

GEN. COL. NER. PATR. Genio Coloniæ Neronianæ Patrensis.

GENET. ORB. Genetrix Orbis.

GEN. ILLYRI. *vel* GENIUS. ILLY. Genius Illyrici.

GER. *vel* GERM. Germania, Germanicus, Germanis.

GER.

GER. Germinia Provincia.
GF. Gemina, fidelis *legio.*
GL. E.R. Gloria excitus Romani.
GL. P.R. Gloria populi Romani.
G.R. Gloria Romanorum.
G. L. S. Genio loci ſacrum.
G. M. V. Gemina Minervia victrix. *legio.*
GOTH. Gothicus.
G. P. Græcia peragrata. *adventus Augu-ſti.*
G. P. R. Genio populi Romani.
GRA. *vel* GRAC. Graccus *cognomen & ſubinde nomen.*
G. T. A. Genius Tutelaris Ægypti, *vel* Geminæ. Tutator Africæ.
G. T. AE. Genius Tutelaris Ægypti.
G. V. Gemina victrix *legio.*

H.

H. Haſtati.
HADR. Hadrianus.
HEL. Heliopolis, Helvius.
HELV. Helvius. *nomen.*
HER. Herennius. Hercules.
HERAC. Heraclitus. *cognomen.*
HERC. GADIT. Herculi Gaditano.
HERC. ROM. Herculi Romano.
HIP. Hippius, *nomen.*
HIS. *vel* HISP. Hiſpalis. Hiſpalus. *cognomen.* Hiſpania.

HO. Honos.

H. P. Haſtatorum & Principum, *in vexillis.*

HS. *vel* HS. ſeſtertii nota.

I.

I. Imperator. Jovi. Julius. Juno. Juſſu. Prima.

I. A. Imperator Auguſtus. *vel* indulgentia Auguſti.

IAN. CLV, Janum cluſit.

I. C. Imperator Cæſar. *vel* Julius Cæſar.

I. C. A. P. Inter Cœlites ante Patrem *forte.*

IIII. VIR. *vel* IV.VIR. Quatuorvir.

III. V..NB. ſimiles *numeri in vel cum ſignis militaribus notant legiones. Sic 3tia & 5ta legio &c.*

III.VIR. Triumvir.

III.VIR. AE. CER. Triumvir ædilis cerealis.

III.VIR.R. P. C. Triumvir reipublicæ conſtituendæ.

II. M. M. CC. FFILIPPIS. AVG. Duobus Imperatoribus Cæſaribus Philippis Auguſtis.

I. IT. Imperator iterum.

IIVIR. Duumvir.

IIVIR. Q. *vel* QVINQ. Duumvir quinquennalis.

IM.

IM. *vel* IMP. Imperator.

IMP. CÆS. AVG. COMM. CONS. Imperator Cæſar Auguſtus, communi conſenſu.

IMP. CÆS. G. M. Q. Imperator Cæſar Gnæus, *vel* Gneus Meſſius Quintus.

IMP. C. C. VA. F. GAL. VEND. VOLVSIANO. AVG. Imperatori Cæſari Cajo, *vel* Carpico, Vandalico, Finnico, Galindico, Vendenico, Voluſiano Auguſto.

IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS. Imperator Cæſar Marcus Caſſius Latienus Poſtumus.

IMPP. Imperatores duo, *vel* Imperator perpetuus.

IMPPP. Imperatores tres.

IO. CANTAB. Jovi Cantabrico.

I. O. M. D. Jovi Optimo Maximo dicatum.

I. O. M. H. Jovi Optimo Maximo Heliopolitano.

I. O. M. S. Jovi Optimo Maximo Sacrum.

I. O. M. SPONS. SECVRIT. AVG. Jovi Optimo Maximo Sponſori ſecuritatis Auguſti.

I. O. M. S. P. Q. R. V. S. PR. S. IMP. CAE. QVOD. PER. E. V. R. P. IN. AMP. ATQ. TRAN. S. E. Jovi Optimo Maximo Senatus, populusque Romanus, voto ſuſcepto, pro ſalute Impera-

toris Cæsaris, quod per eum Respublica in ampliori, atque tranquillo statu est.
IOVI. O. M. V. C. Jovi optimo Maximo Victori Conservatori.
IOVI. PRAE. ORBIS. Jovi Præsidi Orbis.
IOVI. VOT. SVSC. PRO. SAL. CAES. AVG. S. P. Q. R. Jovi votis susceptis pro salute Cæsaris Augusti Senatus. populusque Romanus.
IOV. OLYM. Jovi Olympio.
IOV. TON. Jovi Tonanti.
ISEL. OECVM. Iselastica œcumenica, *certamina*.
I. S. M. R. Juno Sospita Magna Regina, *vel* Mater Romanorum.
IT. iterum.
IТÆ. Italia.
ITALIC. MVN. Italicense municipium. *Hispania, Sevilla, La Vieja.*
IV. Imperator quintum. I. IV. Imperator quartum.
IVL. Julia, Julius, *nomen.*
IVL. TRA. Julia Traducta, *Mauritaniæ Tingitanæ.*
IVL. V. MAXIMVS. C. Julius Verus, Maximus Cæsar.
IVN. Junior, Junius. *nomen.* Juno.
IVP. Jupiter.

K.

K. Kæso, *prænomen vetus.*
KAN. Kaninius. *nomen.*
KAP. Kapitolina.
KAR. Carthago. *seu Karthago.*
K. O. Carthaginensis officina.
KRT. E. Carthagine in quinta *officina.*

L.

L. Laus. Legatus. Legio. Lucius *prænomen.* Ludi.
L. *vel* LC. Lugduni.
L. AEL. Lucius Ælius. *Prænomen, vel nomen.*
LAPHR. Laphria. *Diana.*
L. CAN. Lucius Caninius. *Caninius nomen.*
L. COE. *vel* CAE. Lucius Cœlius. *Cœlius nomen.*
LEG. AVG. PR. PR. Legatus Augusti pro Prætore.
LEG. GEM. *vel* PAC. *vel* PARTH. *vel* NEP. *vel* VLP. Legio gemina, Pacifica, Parthica, Neptunia. Vlpia.
LEG. I. ADI. P. F. Legio prima adjutrix prima fidelis.
LEG. IIII. FL. VI. P. VI. F. Legio quarta Flavia Sextum pia, Sextum fidelis.

LEG. III. ITAL. Legio tertia Italica. *vel* GAL. Gallica.

LEG. II. PART. V. P. V. F. Legio secunda Parthica, quintum pia quintum fidelis.

LEG. II. TR. FOR. Legio secunda Trajana fortis.

LEG. M. XX. Legio Macedonica, *vel* Minervia vicesima.

LEG. I. MIN. Legio prima Minervia.

LEG. PRI. Legio prima.

LEG. PRO. PR. Legatus pro Prætore.

LEG. VII. CL. GEM. P. FIDEL. Legio septima Claudia, gemina pia fidelis.

LEG. VIII. AVG. Legio octava Augusti.

LEG. VI. MAC. VII. P. VII. F. Legio sexta Macedonica, septimum pia, septimum fidelis.

LEG. V. M. P. C. Legio quinta Macedonica, pia, constans.

LEG. XI. CL. Legio undecima Claudia.

LEG. XII. GEM. M. V. Legio duodecima Gemina Minervia victrix.

LEG. XVI. FR. Legio decima sexta Fretensis.

LEG. XX. V. V. Legio vicesima Valeria victrix.

LEG. XXX. NEP. VI. F. Legio tricesima Neptunia sextum fidelis.

LEG.

LEG. XXXVI. P. VICT. P. F. Legio tricesima sexta Parthica victrix pia fidelis.

LEG. XXX. VLP. Legio tricesima Vlpia.

LENT. CVR. X. F. Lentulus curavit denarium faciendum, *vel* Flandum.

LEP. Lepidus. *Cognomen*, *& nomen deinde.* *vel* Leptis. *Africæ.*

L. F. L. N. Lucii filius, Lucii nepos.

L. H. T. Lucius Hostilius Tubero. *Prænomen*, *nomen*, *cognomen.*

LIBERO. P. Libero Patri.

LIB. III. Liberalitas tertia.

LIB. IVL. EBORA. Liberalitas. Julia Ebora. *Lusitaniæ*, *Evora.*

LIB. PVB. Libertas publica.

L. I. C. Laus Julia Corinthus.

LIC. COR. SAL. VALER. N. CAES. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus nobilis Cæsar.

LIC. LICIN. Licinius Licinianus. *Licinius nomen.*

L. I. MIN. Legio prima Minervia.

L. MAN. Lucius Manlius. *Manlius nomen.*

LON. Longus. *Cognomen.*

L. P. Lugduni percussa, *vel* Lugdunensis. pecunia.

L. P. D. A. P. Lucius Papirius designatus Ædilis Plebis.

L. R. Lucius Rubrius, *vel* Roſcius. *nomen.*

L. S. DEN. Lucius Sicinius Dentatus. *Prænomen, nomen, cognomen.*

L. VAL. Lucius Valerius. *Valerius nomen.*

LVC. Lucanus. *vel* Lucrio. *Cognomen.*

LVCIF. Lucifera. *Diana.*

LVC. P. S. Lucduni pecunia ſignata.

LVC. S. Lucduni ſignata *moneta.*

LVD. CIRC. Ludi circenſes.

LVD. EQ. Ludi equeſtres.

LVGD. OFF. S. Lugdunenſis officina ſignavit.

LVG. S. M. Lugduni ſignata moneta.

LVP. Lupercus. *Cognomen.*

LV. PC. S. Lugduni pecunia ſignata.

M.

M. Mæſiæ, Marcus, *Prænomen.* Memmius *nomen.* Menſis *Deus Lunus*, Minervia. Moneta. Municeps. Municipium. Munitæ.

M. Manius. *Prænomen.*

M. A. Marcus Aurelius. *Prænomen & nomen.*

M. A. C. AVG. Magna ædes Cæſaris Auguſti. *vel* Mauſolæum Cæſaris Auguſti. *vel* Marcellum Auguſti. *Elige, quod lubet.*

M. AEM.

M. AEM. Marcus Æmilius. *Prænomen & nomen.*

MAG. DECENT. Magnentius Decentius.

MAG. EQ. Magister equitum.

MAG. PIVS. Magnus, Pius. *Cognomina Cnæi Pompeji.*

MA. KANI. Manius Kaninius. *Prænomen, nomen.*

MAM. Mamercus. *Prænomen, & nomen subinde.*

MAN *vel* MANL. Manlius. *nomen.*

M. ANN. Marcus Annius. *Prænomen, & nomen.*

MAR. *vel* MR. Marcia *aqua.*

MARC. Marcus, *vel* Marcius. *nomen.*

MAR. PROP. *vel.* PROPVG. Mars propugnator.

MAR. VLT. Marti Vltori.

MATER. AVGG. MAT. SEN. M. PAT. Mater Augustorum. Mater Senatûs. Mater Patriæ.

M. AF. Marcus Aufidius. *Prænomen, nomen.*

M. AVR. *vel* AR. Marcus Aurelius. *Prænomen, nomen.*

M. AVR. ANTON. Marcus Aurelius Antoninus.

MAX. Maximus. *Cognomen.*

M. C. I. *vel* IV. Municipium Calaguris Julia. *Hispania Calaborra.*

M. D. M. I. Magnæ Deum Matri Idææ.
ME. Metropolis.
MES. Messius. *Prænomen.*
METAL. DEL. Metallum Delmaticum.
METALL. VLPIAN. PA/N. Metallum Vlpianum Pannonicum.
MET. DALM. Metallum Dalmaticum.
MET. NOR. Metallum Noricum.
METO. Meteecus. *Cognomen.*
M. F. M. N. Marci filius, Marci Nepos.
M. HIB. &c. Municipium Hibera &c. *vide, quod sequitur.*
M. H. ILLERGAVONIA. DERT. Municipium Hibera Illergavonia Dertosa. *Cataloniæ, Tortosa.*
MINAT. Minatius. *nomen.*
MINER. FAVTR. Minervæ fautrici.
MINER. VICT. Minervæ victrici.
M. K. V. T. Moneta Kartaginensis Vrbis, tertia *in officina.*
M. L. Moneta Lugdunensis.
M. LEP. C. REG. INST. Marcus Lepidus civitatem Regiensium instauravit.
M. LL. Moneta Lugdunensium.
M. MAR. Marcus Marcellus. *Prænomen, & Nomen.*
M. M. I. V. Municipes Municipii Julii Vticensis, *Africæ, nunc Biserta.*
M. N. Moneta Narbonensis. *forte.*
MON. *vel* MONET. Moneta.

M. POP.

M. POP. Marcus Popilius. *Prænomen, nomen.*

M. R. Municipium Ravennatium.

M. S. Mæsiæ Superioris.

M. S. TR. Moneta Signata Treveris.

M. V. Minervia victrix *legio.*

MV. Mucius, *vel* Munatius *nomen.*

MVL. FEL. Multa felicia.

MVLT. XX. MVLT. XXX. Multis vicennalibus, Multis tricennalibus.

MVN. Municeps, Municipium. Municæ.

MVN. CAL. IVL. Municipium Calaguris Julia. *Hispaniæ, Calaborra.*

MVN. CLVN. Municipium Clunia. *Hispaniæ: Pagus Castellæ Veteris, Crunna.*

MVN. FANE. AEL. Municipium Fanestre Ælium. *Fano in Italia forte.*

MVN. *vel* MVNICI. *vel* MVNIC. STOBEN. *vel* STOBENS. *vel* STOBENIVM. Municipium Stobense. *In Macedonia.*

MVN. IVL. VTICEN. DD. PP. Municipii Julii Vticensis Decuriones posuêre. *Africæ, Biserta.*

MVN. TVR. *vel* MV. TV. Municipium Turiaso, *Arragoniæ, Tarracona.*

N.

N. Natali. Nepos. Nobilis. Nostræ. Numerus *prænomen.* Numini. Numus.

NAT.

NAT. Natali *die*, *vel* Natus.
NAT. VRB. P. CIRC. CON. Natali Vrbis populo Circenses constituti.
N. C. Nero Cæsar. *vel* Nobilis Cæsar. *vel* N. CAES.
N. C. A. P. R. Numus cusus à populo Romano. *vel* autoritate populi Rom.
NE. CAES. Nerone Cæsare.
NEM. Nemausus. *Galliæ, Nismes.*
NEP. Nepos.
N. E. P. D. I. Numini ejus plurimum devoti jusserunt.
NEP. RED. Neptuno Reduci.
NEP. S. *vel* SACR. Neptuno Sacrum.
NEPT. *vel* NEPTVN. Neptunalia.
NER. Nero, Nerva. *Cognomina.*
NER. I. Q. VRB. Nerva primus quæstor Vrbis.
N. F. N. N. Numerii filius, Numerii nepos.
NICEPH. Nicephorium. *Colonia, in Mesopotamia.*
NICER. Nicereus. *Cognomen.*
NIG. Niger. *Cognomen.*
N. M. Q. E. D. Numini, Majestatique ejus devoti.
NN. Nostrorum.
NOB. C. Nobilis, *vel* Nobilissimus Cæsar.
N. P. RITE. COND. Nova Porta rite condita.
NR. Neratius, *nomen.* Nero *cognomen.*

N. T.

N. T. M. Numini Tutelari Municipii.

N. TR. ALEXANDRIANAE. COL. BOSTR. Nerviæ Trajanæ Alexandrianæ Coloniæ Boſtræ. *In Arabia Petrææ.*

NV. Numa *Pompilius.*

N. V.. BIS. CONS. Noſtræ Vrbis bis Conſuli.

NVM. REST. Numantia reſtituta. *vel* Numum reſtituit.

N. VRB. CON. Noſtræ Vrbis conſervatori, *vel* Conſuli. *forte.*

N. VRBIS C. Natali Vrbis Circenſes. *vel* Noſtræ Vrbis Conſervatori.

O.

O. Ob. Officina. Ogulnius *nomen.* Optimo.

OB. C. S. *vel* OB. CIVIS. SER. Ob cives ſervatos.

OB. LIBERT. REC. Ob libertatem receptam.

O. C. S. Ob cives ſervatos.

OEC. Oecumenica *Ludi.*

OFF. III. CONST. Officina tertia Conſtantinopoli.

OFF. LVGD. S. Officina Lugdunenſis ſignavit.

OGVL. Ogulnius. *nomen.*

OLY. Olympius.

O. M. T. Optimo Maximo Tonanti.

O. P.

O. P. *vel* OP. PRIN. *vel* OPT. P. *vel* OPT. PR. Optimo Principi.
OPEIM. Opimius. *nomen.*
OPEL. Opelius. *nomen.*
ORB. TER. Orbis terrarum.
OTAC. Otacilius. *nomen.*

P.

P. Pater. Patriæ. Per. Percussa. Perpetuus. Pius. Pontifex. Populus. Posuere. Posuit Præfectus. Primus. Principes. Principi. Provincia. Publius. *Prænomen.*
P. A. Pietas Augusti. *vel* Primus Augur. *vel* Pius Augustus.
PAC. *vel* PACI. *vel* PACIF. Pacifero *Marti.*
PAC. DEVLT. Pacensis Deulton. *Colonia Thracia.*
PACE. P. R. &c. Pace Populo Romano, &c.
PACI. Pacificus. *vel* Pulsis Aquitanis creatus Imperator *forte.*
PACI. ORB. PERP. AC. ET. Paci Orbis perpetuæ ac æternæ. *vel* Paci Orbis perpetuum ante castra erexit tropæum. *forte.*
PAET. Pætus. *Cognomen.*
PAPI. Papirius. *nomen.*
PAR. AR. AD. Parthicus, Arabicus, Adiabenicus.

P. ARL. Percussa Arelate. *vel* pecunia Arelatensis.

PART. MAX. Parthicus Maximus.

PAT. PAT. Pater Patriæ.

P. C. CAES. Pater Caji Cæsaris.

P. C. L. VALERIANVS. Publius Cornelius Licinius &c.

P. CONST. Percussa Constantinopoli.

P. D. Populo datum.

PELAG. Pelagia. *Venus.*

PER. Permissu.

PER. A. *vel* AVG. Perpetuus Augustus.

PERM. Permissu.

PERP. Perpetuus. *vel* pecunia Romæ percussa. *forte.*

PERT. Pertinax. *Cognomen.*

PESC. Pescenius. *Nomen Augusti.*

P. F. Pius felix. *vel* Pia fidelis. *de legione. vel* Primus flavit.

P. F. P. N. Publii Filius Publii nepos.

P. F. TR. A. Pius felix Triumphator Augustus.

P. F. V. Pio felici Victori, *vel* Pia, Fidelis, victrix *legio.*

P. H. C. Provinciæ Hispaniæ citerioris.

PH. COND. Philippi condita.

PHIL. Philippi. *Colonia Thraciæ, Macedoniæ adjecta.*

P. I. *vel* P. IVVENT. Princeps Juventutis.

PIV.

PIV. PIVE. PIVES. PIVESV. Pivesus. *Tetricus Augustus.*

PLA. Plancus. *Cognomen.*

PLÆ. TRAN. Plætorius Tranquillus. *nomen & cognomen.*

P. LIC. COR. SAL. Publius Licinius Cornelius Saloninus.

P. L. I. I. V. C. Præsidiaria legione Illiberi imposita, Vrbis conservator. *forte.*

P. L. O. N. Percussa Lugduni in officina nona, *vel* nova.

P. LVG. Percussa Lugduni.

P. M. Pontifex Maximus.

P. M. G. M. Pontifex Maximus, *vel* Parthicus Maximus, Germanicus Maximus.

P. M. S. COL. VIM. Provinciæ Mæsiæ Superioris colonia Viminacium. *Widin, in Servia.*

POL. Pollio. *Cognomen.*

POM. Pompejus *nomen fere.*

PONTIF. *vel* PONT. MAX. Pontifex Maximus.

PORT. OST. Portus Ostiensis.

PP. Pater Patriæ *vel* Perpetuus *vel* Pro Prætore.

P. R. Percussa Romæ, *vel* Populus Romanus.

PRAEF. GERM. Præfectus Germanorum.

PRAEF. OR. MARIT. ET. CLASS. Præfectus oræ maritimæ, & classium, *vel sic* PRAEF. CLAS. ET. ORÆ MARIT.

PRAES. Præsens. *cognomen.*

PR. CER. I. D. Præfectus Cerealis juri dicundo.

PR. COS. Pro Consule.

PRINC. I. *vel* IVVENT. Princeps Juventutis.

PRIV. Privernum. *Italiæ.*

PR. L. V. P. F. Prætor ludos votivos publicos fecit.

PROB. Prætoriani obtulerunt, *vel* Probitas.

PRO. COS. *vel* PROC. Proconsule, *seu* Proconsul.

PROF. AVG. Profectio Augusti.

PRON. Pronepos.

PRO. P. *vel* PRO. PR. *vel* PR. PR. Pro Prætore.

PR. Q. Pro Quæstore.

PR. S. P. Provinciæ Syriæ Palæstinæ.

PROV. DEOR. Providentia Deorum. PROVID. AVG. Providentia Augusti.

PR. VR. Prætor Vrbanus.

P. SS. C. Posuêre Suffetes Carthaginenses. *forte*, *vel* Poni suo sumptu curavêre *Duumviri*.

P. T. *vel* TR. Percussa Treveris.

P. V. Piæ Victricis, *legionis*.

PVDIC. Pudicitia.

PVPIE. Pupienus. *nomen Augusti*, *aut cognomen potius*.

Q.

Q. Quæstor. Quinarius quinctus. *Prænomen*. *vel* Quintus. Quinquennalis, quod.

Q. AR. Quinta Arelatensis *officina signavit*.

Q. CAS. Quintus Cassius. *Prænomen & nomen*.

Q. C. M. P. I. Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator.

Q. C. V. I. N. C. Quinquennales Coloniæ Victricis Juliæ novæ Carthaginis *Hispaniæ Carthagena*.

Q. DESIG. Quæstor designatus.

Q. M. Quintus Marcius. *Prænomen & nomen*.

Q. O. C. FAB. Quinto Ogulnio, & Cajo Fabio. *Prænomen*, *& nomen utrobique*.

Q. P.

Q. P. Quæstor Prætoris.

Q. PAPIR. CAR. Q. TER. MON. Quinto Papirio Carbone, & Quincto Terentio Montano. *Utrinque omnia tria nomina.*

Q. P. R. Quæstor Provinciæ.

Q. PRO. C. *vel* COS. Quæstor Proconsulis.

QQII. Quinquennalis iterum.

QVAD. Quadratus. *Cognomen.*

QVADRAG. REMISS. Quadragesima remissa. *vectigal.*

QVAES. Quæstor.

QVIN. ITER. Quinquennalis iterum.

QVINQ. Quinquennalis. *Duumvir Coloniæ.*

QVOD. VIAE MVN. SVNT. Quod viæ munitæ sunt.

QVOD. V. M. S. EX. EA P. Q. I. S. AD A. D. E. Quod viæ munitæ sunt ex ea pecunia, quæ jussu Senatûs ad ærarium delata est.

Q. VRB. Quæstor Vrbanus.

R.

R. Remissa. Res. Restituit. Roma. Romanus.

R. C. Roma Civitas. *vel* Romani Cives.

R. CC. Remiſſa ducenteſima. *vectigal.*

R. D. N. V. I C. Romanæ ditioni Narbone vindicato Imperii Conſervator. *forte.*

RE. C. COSSVR. Regina Conteſtaniæ Coſſura. *Conteſtania Regio Hiſpan.*

RECEP. Recepta.

REF. Refecta *Baſilica.*

R. E. G. I. AR. T. I. S. Reduci ex Gothia Imperatori arcum triumphis inſignem ſtruxit *Collegium Fabrum. forte.*

REI. M. *vel* MIL. Rei militaris. *vel* R. M.

RES. Reſtitutus. *Cognomen.* Reſius. *nomen.*

REST. NVM, Reſtituta Numantia, *vel* Numidia, *vel* Reſtituit numum.

REST. RESTIT. Reſtitutor.

R. I. M. D. R. Regnum invicto magno Domino reſtituit. *forte.*

RO. *vel* ROM. Roma. Romani.

ROC. I. L. C. Colonia Laus Julia Corinthus. *Inverſo ordine literæ inſculptæ ſunt.*

ROM. COL. Romulea Colonia. *Hiſpaniæ, Sevilla.*

ROM. RED. Romæ Reduces.

RO. P. S. Romæ pecunia ſignata.

R. P.

R. P. C. Reipublicæ Constituendæ.

R. V. Roma Victrix.

R. VE. R. Reipublicæ Veronensis Restitutor.

RVF. Ruffinus *vel* Ruffus. *Cognomen, &* *nomen.*

R. V. POMER. T. *vel* TER. Romanæ Vrbis pomeria terminavit.

R. V. P. S. Romæ in quinta *officina* pecunia signata.

R. XL. Remissa quadragesima. *vectigal.*

S.

S. Sacerdos. Sacra. Sæculi. Semis. Senatus. Senior. Sextus. Soli. Spes. Statu. Suscepto.

S. A. Salus, *vel* securitas, *vel* Spes Augusti.

SACER. COOP. IN. OMN. COL. SVPRA. NVM. Sacerdos cooptatus in omnia Collegia supra numerum.

SAC. FAC. Sacris faciundis.

SACRA. PER. Sacra Periodica, *vel* Perpetua.

SAG. Saguntum. *Hispaniæ, nunc Morviedro.*

SAL. Salduba *Hispaniæ*, *vel* Saloninus *cognomen*, *vel* salus.

SALL. BARB. Sallustia Barbia. *Orbiana*, *Augusta*.

SALM. Salmantica. *Hispaniæ Salamanca*.

S. ARE. Signata Arelate *moneta*.

SARM. Sarmaticus.

SAF. Saufeius. *nomen*.

S. C. Senatus consulto.

SCI. AF. Scipio Africanus. *nomen & cognomen*.

SCIP. ASIA. Scipio Asiagenes, *nomen & cognomen*.

SCIS. *vel* SCISCIA. Siscia. *Croatiæ*, *Sissek*.

S. CONST. Signatum Constantinopoli.

SCR. Scribonius. *nomen*.

SEC. Seculum; *vel* securitas.

SEC. SAEC. Securitas sæculi.

SECVR. ORB. Securitas Orbis.

SEMP. Sempronius. *nomen*.

SEN. Senior *Augustus vel solum* S.

SEP. COL. LAVD. Septimia Colonia Laudicea *pro Laodicea*.

SEPT. SEV. Septimus Severus. *nomen cognomen*.

SEPT. TYRVS MET. Septimia Tyrus Metropolis.

SER.

SER. Servius. *Prænomen.*

SERE. Serenus *cognomen.*

SEV. Severus. *Cognomen fere.*

SEX. F. Sexti filius. *Prænomen & cognomen.*

S. F. Sæculi felicitas.

SICIL. Sicilia.

SIC. XX. SIC. XXX. Sic vicennalia, sic tricennalia *vota solvantur.*

SIGN. RECEP. Signis receptis.

SIL. Silius *nomen.*

S. I. M. Soli invicto Mithræ. *vel* Soli immortali *Deo.*

SIR. *vel* SIRM. Sirmii. *Sclavoniæ, nunc Sirmich.*

SISC. P. Sisciæ percussa. *Croatiæ ad Savum, nunc Sissek.*

SISC. P. Z. Sisciæ percussa in officina septima.

SISC. V. Siscia Vrbs. *vel* Sisciæ in quinta officina.

S. M. A. *vel* ANTI. Signata moneta Antiochiæ.

S. M. A. H. Signata moneta Antiochiæ in octava *officina.*

S. M. A. Q. P. Sacra moneta Aquileiæ percussa.

S. M. HER. Signata moneta Heracleæ.

S. M. K. B. Sacra, *vel* Signata moneta Karthagine in ſecunda *officina*.

S. M. N. Signata moneta Narbone, *vel* Nicomediæ.

S. M. N. B. Sacra, *vel* Signata moneta Nicomediæ in ſecunda *officina*.

S. M. N. Γ. Signata moneta Nicomediæ in tertia *officina*.

S. M. R. Signata moneta Romæ.

S. M. R. P. Sacra moneta Romæ percuſſa.

S. M. R. Q. Signata moneta Romæ in quarta *officina*.

S. M. SISC. E. Signata moneta Siſciæ in quinta *officina*.

S. M. T. S. E. Sacra moneta Treveris ſignata in quinta *officina*.

SP. Spurius *Prænomen*, *vel* ſecuritas publica, *vel Populi*.

S. P. Q. R. IMP. CAES. QVOD. V. M. S. &c. Senatus, Populusque Romanus Imperatori Cæſari, quod viæ &c. *vide in Q.*

S. P. Q. R. PAREN. CONS. SVO. Senatus Populusque Romanus Parenti conſervatori ſuo.

S. P. Q. R. VOT. S. PRO. R. CAES. Senatus Populusque Romanus votum ſolvit pro reditu Cæſaris.

S. P.

S. P. Q. R. V. PR. RE. CAES. Senatus Populusque Romanus vovit pro reditu Cæsaris.

S. P. V. Sardonum populi vindex. *forte.*

S. R. Senatus Romanus, *vel* Salus Romanorum, *vel* Spes Reipublicæ. *Duæ posteriores lectiones circa tempora Constantini.*

S. T. Signata Treveris.

STABIL. Stabilita *tellus.*

S. V. F. P. D. Susceptis votis frumentum publicè datum.

SVLL. Sulla. *cognomen, & loco nominis.*
SVSC. Suscepta *vota.*

T.

T. Tarraco. Temporum. Terminavit. Titus *Prænomen.* Togata. Treveris. Tribunitia. Tribunus. Tutelaris.

T. AR. Tertia Arelatensis *officina signavit.*

T. CEL. Tito Celere, *Prænomen, & cognomen pro nomine.*

TEMP. Temporum.

TER. Terentius *nomen.*

TER. DD. Terminum dedicavit.

TERR. Terracina. *Italiæ.*

TERT. *vel* TER. Tertium.

TES. *vel* TESS. Tessalonicæ. *Macedoniæ.*

T. F. Temporum felicitas, *vel* Titi filius.

T. FL. Titus Flavius. *Prænomen & nomen.*

T. G. A. Tutelaris Genius Ægypti.

THEOPO. *vel* THEV. *vel* THEAP. Theupolis *Antiochia Syriæ, sic dicta sub Justiniano.*

T. I. Tiberius. *Prænomen, & nominis loco.*

TIB. CL. Tiberius Claudius. *Prænomen & nomen.*

TI. CAE. C. I. A. D. Tiberius Cæsar Colonia Julia Augusta Dertona. *Italiæ Liguſticæ, Tortona.*

TI. F. TI. N. Tiberii filius. Tiberii nepos.

T. M. AP. CL. Titus Manlius, & Appius Claudius.

T. P. *vel* TR. *vel* TRIB. POT. *vel* P. Tribunitia potestate.

TRA. *vel* TRAI. *vel* TRAIAN. Trajanus. *nomen, etiam à Decio Augusto adscitum.*

TRAN. Tranquillus. *cognomen.*

TRE-

TREBAN. Trebanius. *nomen.*

TREB. *vel* TREBON. Trebonianus.

TR. F. Trajana fortis *legio.*

TRIVMF. Triumphator.

TR. LEG. II. Tribunus legionis secundæ.

TRO. *vel* TROAD. Troas, *vel* Troadensis Colonia *Trojæ instaurata.*

TROB. Treveris in officina secunda, *vel* Treveri obtulerunt.

TROB. S. Treveris in officina secunda signata.

TR. PL. D. *vel* DES. Tribuni plebis designati.

TR. P. S. Treveris pecunia signata, *vel* Treveri permissu Senatus.

TR. S. Treveris signata.

TR. V. MON. Triumviri Monetales.

T. S. E. Treveris signata *in officina* quinta.

TVL. Tullius, *vel* Tullus *nomen.*

TVL. H. *vel* TVLL. HOSTIL. Tullus Hostilius. *Rex Romanorum.*

TVR. Turiaso. *Hispaniæ Tarraçona.*

V.

V. Quinquennalia, quintum. Verus. Victrix. Vir. Virtus. Volero *prænomen.* Voto. Votivus. Vrbs.

V. AET. Virtus æterna.

VAL. VALER. Valerius *nomen.*

VAR. RVF. Varius Ruffus. *nomen & cognomen.*

VENT. Ventidius. *nomen.*

VESP. Vespasianus.

VETE. Vetere. *Cognomen.*

VETER. Veteranorum *Colonia.*

VET. LANG. Vettius Languidus. *nomen, cognomen.*

V. F. Victrix fidelis *legio.*

V. I. Vota Imperii.

VIB. Vibius. *nomen.*

VIC. AVG. Victoria Augusti.

VIC. GERM. Victoria Germanica.

VIC. PAR. M. Victoria Parthica Maxima.

VIC. S. Victoria Sicula.

VICT. AET. AVG. Victoria æterna Augusti.

VICT.

VICT. P. GAL. AVG. Victoria Gallieni Augusti.

VICTORIA. GM. Victoria Germanica.

VICT. P. G. AVG. Victoria Parthica Gallieni Augusti.

VIII. *NB. In argento numo notat eum valere octo asses.*

VII. VIR. *vel* VII VR. EP V. Septemvir Epulonum.

VIL. PUP. Villa Publica.

VIR. *vel* VIRT. Virtus.

VIR. VES. Virgines Vestales.

VI. VIR. AVG. Sevir Augustus, *vel* Augustalis.

VL. Vlpius. *Praenominis loco.*

V. N. M. R. Vrbis Nicomediensis moneta restituta, *vel* Vrbis Narbonensis mercatum restituit. *forte.*

VOL. Volusus. *nomen.*

VOLER. Volero. *vetus praenomen.*

VOT. DEC. ANN. SVSC. Vota Decennalia, *seu* decemannalia suscepta.

VOT.

VOT. P. SVSC. PRO. SAL. ET. RED. I. O. M. SACR. Voto publice suscepto pro salute, & reditu: Jovi Optimo Maximo Sacrum.

VOT. QQ. *vel* V. MVLT. X. Votis quinquennalibus, multis decennalibus.

VOT. X MVLT. XX. Votis decennalibus, multis vicennalibus.

V. P. Vota populi. *vel* publica.

V. P. RED. CAES. S. Votum pro reditu Cæsaris solutum.

V. PR. RE. CAES. Votum pro reditu Cæsaris.

VR. *vel* VRB. R. Vrbs Roma.

VR. *vel* V. I. N. K. Vrbs Julia nova Karthago. *Hispaniæ Carthagena.*

VRB. VIC. Vrbs Victrix.

VR. VIC. OSCA. Vrbs Victrix Osca. *Hispaniæ, Huesca.*

V. S. Voto suscepto.

V. S. PR. RE. CAES. Voto suscepto pro reditu Cæsaris.

V. S.

V. S. PR. S. IMP. Voto soluto pro salute Imperatoris.

V. V. Votis quinquennalibus.

V. V. OSCA. ADD. Vrbs Victrix Osca, Decreto Decurionum. *Hispania, Huesca.*

X.

X. Decem. Decennalia. Denarius; *vel etiam sic* *

X. C. V. I. Decennalia Constantini, vota Imperii.

X. F. Denarium faciundum.

XV. *In aureo numo valorem 15. denariorum indicat.*

XVI. *In argenteo numo notat eundem tunc sedecim assibus permutatum esse.*

X. VIRI. LIT. IVD. Decemviri litibus judicandis.

XV. VIR. SAC. FAC. Quindecimvir sacris faciundis.

XX.

XX. Vicennalia vota. *Sed in aureo numo, 20. Sestertios valere notat.*

X. XL. *In aureis numis notat, eosdem valuisse denarios* 40.

XXX. Tricennalia vota.

XXXVI. *Anno* trigesimo sexto. *Æra Sinopensium : a victoria Actiaca.*

INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI VI.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

D.

L.

M.

N.

Nu-

O.

P.

Pa-

Prin-

Q.

R.

S.

Scri-

Ta

V.

FRANC. XAV. MANNHART
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA DOMESTICA

BONARUM ARTIUM AC ERUDITIONIS STUDIOSORUM USUI

INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS

SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS ACCOMMODATUM.

TOMULUS IV.

DE RE DIPLOMATICA, DEQVE PHILOSOPHIA NATVRALI ET MORALI.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.
MDCCLXII.

EPITOME
LIBRI VII.
DE
RE DIPLOMATICA.

CAPUT I.
INDOLES ET HISTORIA REI DIPLOMATICÆ.

§. I.

Etymologia & Encomium.

I.

Origo nominis Diploma *a tabulis ſeu literis ad publicum curſum conceſſis: Poſtea nomen hoc ad Edicta & Mandata Principum tranſiit: demum ad inſtrumenta publica. Diplomatis definitio ex Lazio & Budæo.*

II.

Emolumenta, quæ ex diplomatibus obveniunt: primum ad intelligendas multas antiquitates: ſecundum ad fidem faciendam in judiciis. Majorum noſtrorum diligentia in cuſtodiendis diplomatibus.

§. II.

Hiſtoria rei Diplomaticæ.

III.

Ratio firmandi fidem publicam apud Hebræos: per juramentum: per teſtes: per chirographa & tabulas. Publica negotia gravioris momenti apud Romanos in tabulas æreas relata. Pauca horum fragmenta ſuperſunt.

IV.

Germania diplomatum valde fœcunda. In hac pleraque pacta & conventiones ſcripto factæ fuerunt, ita ſtatuentibus legibus Alemannicis. Plura

ſæpe circa idem negotium diplomata confecta ſunt. Formulæ diplomatum & confirmationum.

V.

Jus Latinum in Germaniam penetravit circa finem Seculi XV. Hoc introducto deinceps modica fuit cura archivorum & diplomatum. Major eſſe cœpit ad finem Seculi XVI. Studium Eruditorum, quo Tabularia & Scripturas antiquas inveſtigarunt. Lites variæ circa diplomata exortæ, quarum aliquæ in medium proferuntur.

VI.

Triplex claſſis ſcriptorum de re Diplomatica: prima eorum, qui ſparſim edendo aliqua diplomata initium fecerunt. Secunda illorum, qui vaſtis voluminibus ea in lucem protraxerunt. Tertia, qui ex inſtituto variarum nationum & perſonarum diplomata collegerunt.

VII.

Primus qui rem diplomaticam rite tractare aggressus est, fuit Papebrochius S. J. occasionem præbente colloquio cum Alexandro VII. Pontifice, quod totum refertur. Mabillonius Papebrochii lucubratione excitatus celebre opus de re Diplomatica composuit. Literæ Papebrochii ad Mabillonium. Judicium Mabillonii de Papebrochio circa studium Diplomaticum. Ludevvigii crisis intemperans, & sibi contradicens adversus Papebrochium & Germonium illius defensorem.

CAPUT II.

SCRIPTURA VETUS.

§. I.

Materia veteris scripturæ.

VIII.

Magna singulis pene seculis fuit diversitas literarum & scripturarum. Materia, in qua facta fuit olim scri-

ſcriptura, erat triplex: Membrana, Philyra, Charta. Deſcribitur unaquæque. Diplomata pleraque in membranis ſcripta fuerunt: epiſtolæ vero & chirographa in charta.

§. II.

Characteres veteris ſcripturæ.

IX.

Primi apud Romanos characteres erant puri, & nitidi. Varia claſſis characterum: uncialium, cubitalium, trabalium, ſemiuncialium, minutorum. Characteres Romani a barbaris valde corrupti, nunc rurſus reſtituti. Scriptura Romana & triplex illius genus. Scriptura Gothica, Longobardica, & Franco-Gallica: item Anglo-Saxonica, & Germanica. Harum ſingularum alphabeta, characteres, & exempla proponuntur.

§. III.

Forma scribendi.

X.

Orthographia veterum secundum plerasque alphabeti literas.

XI.

Interpungendi varius modus: primo per singulos versus: tum per distinctionem, subdistinctionem, & medianam: denique per commata, cola, & puncta. Veteres Jurisconsulti ad finem Codicum addebant summam versuum. Alcuinus sub Carolo M. commendat discipulis observantiam interpunctorum.

XII.

Voces breviatæ (vulgo abbreviationes) fiebant triplici modo, vel per notas, vel per literas, vel per utrasque. Notæ Tironis, quibus integræ voces significabantur: has in Codicibus & Instrumentis Juridicis adhiberi vetuit Justinianus Imp. Sæpe una vel duobus

aut

aut tribus literis integrum vocabulum fuit expressum: cujus rei exempla proponuntur. Alia veterum syncopandi ratio, diversis seculis diversa.

XIII.

Ordo & modus scribendi apud Veteres. Libri Ostrographi & Rotuli. Scriptio vel per integram lineam rectam, vel per columnas. Clausulæ librorum: Explicit liber feliciter &c. *Varia & pretiosa ornamenta literarum & vocum. Compacturæ.*

CAPUT III.

NOTÆ ANTIQUITATIS SCRIPTURARUM.

§. I.

Scripturæ veteres secundum seriem seculorum.

XIV.

Usque ad Seculum V. tenuit Romana scribendi methodus. A Seculo V. invaluerunt literæ Gothicæ aucto-

re Ulphila Gothorum Episcopo. Post medium Seculi VI. scriptura Longobardica. Seculo VII. prodierunt scripturarum compendia & abbreviationes vocum. Seculo VIII. & IX. adparuit manus inscribendo tremula, & literæ flammeæ. Seculo X. & XI. characteres minores & crassiores deprehenduntur. Seculo XII. & XIII. literæ grandiores & nitidiores, sed breviatæ voces satis multæ. Seculo XIV. Scriptura viguit perquam obtusa, crassa, & pressa cum innumeris abbreviationibus. Seculo XV. sensim emendata fuit, & pristino nitori restituta usque ad Seculum XVI.

§. II.

Notæ antiquitatis aliæ.

XV.

Duplex via ad investigandam antiquitatem. Prima nota & communis omnibus est character scripturæ: Initium

tium & finis variarum ſcripturarum. Altera nota eſt diſtinguendi ſeu interpungendi ratio: varius apud veteres interpungendi modus. Tertia eſt orthographia. S. Hieronymus primus ſacros codices interpunctis diſtinxit. Quarta ex litera i petitur.

XVI.

Eundo per ſingula ſecula oſtenditur diverſitas characterum & ſcriptionum, ac ſingulares cujuslibet ſeculi notæ proferuntur a Seculo V. usque ad Seculum XVI.

XVII.

Multiplex difficultas diſcernendi ætatem ſcripturarum, & cauſſæ hujus difficultatis, ac modus diſcernendi. Singularis eſt ſcriptura Pſalterii.

CAPUT IV.

NATURA ET INDOLES DIPLOMATUM.

§. I.

Varia illarum conditio.

XVIII.

Definitio diplomatum, & divisio in literas patentes Regales, Pagenses, & Ecclesiasticas: chartæ Precariæ & Præstariæ: Præcepta, Indiculi, Placita, Tractoriæ, Descriptiones, & Panchartæ.

XIX.

Archivorum & Tabulariorum usus antiquissimus apud Hebræos, Romanos, aliasque nationes: atque a primis Ecclesiæ temporibus. Multa perierunt bello, vel flammis absumpta. Archivum Romanum.

§. II.

Facies exterior & interior Diplomatum.

XX.

Facies exterior. Diplomata habent aliquid commune omnibus, & proprium singulis. Scriptura diplomatum in plurimis differt ab ea, quae Codicum est.

XXI.

Facies interior diplomatum. Certa fuit cuivis aevo scribendi ratio. Stilus diplomatum valde incultus tum in vocibus, tum in sententiis. Triplex hujus rei caussa 1. *idiotismi nationum.* 2. *vulgaris usus sermonis.* 3. *Notariorum formulae.*

§. III.

Regulae pro recto circa diplomata judicio ferendo.

XXII.

Diplomata non pauca, sicuti numismata, falsa esse deprehenduntur. Oc-

casiones malarum hac in re artium & fraudum. Remedium lacera vel deperdita reficiendi. Vidimatio *diplomatum quid sit. Pœnæ in falsarios latæ.*

XXIII.

Tres falsorum diplomatum species: 1. Refecta. 2. Adulterata. 3. Proprie falsa. Discrimen inter falsa & interpolata. Tres modi interpolandi diplomata. Stili barbaries non obest integritati diplomatum.

XXIV.

Octo Regulæ ad discernenda vera diplomata a falsis. Quid Actum & Datum?

XXV.

Elegans Capitulum, e Decretalium libro secundo depromtum, quo tum cura inquirendi in veritatem diplomatum jam olim exercita, tum rigidum eorum examen, tum variæ fraudes, quæ hoc in negotio contingunt, graphice exponuntur. Fraudes, quæ in Diplomatibus committi possunt.

CAPUT

CAPUT V.

ECONOMIA DIPLOMATUM.

§. I.

vocatio, Inscriptio, Expositio uſſarum, & Enumeratio bonorum.

XXVI.

artes diplomatis exhibentur in compendio ex ſcriptore Anonymo Secu- IX. Diverſæ formulæ Invocatio- m. Inſcriptiones variæ cum titulis peratorum, Regum, Principum &c. os inſcriptionis a Sede Apoſtolica uſur- ri ſolitus. Origo tituli Servus Ser- rum Dei. *Tituli, quibus Papa ho- rat tum Præſules Eccleſiaſticos, tum incipes ſeculares. Expoſitio cauſſa- m, quæ ad beneficium concedendum. vent. Diploma Caroli Calvi conces- m Monaſterio Compendienſi. Diplo- a Caroli M. conceſſum Abbati S. Dio- ſii. Enumeratio bonorum & jurium: is formulæ.*

§. II.

§. II.

Clausula, subscriptio, sigillum, chronologia.

XXVII.

Clausula Diplomatis complectitur tum pœnas ac minas, tum mentionem subscriptionis & sigilli. Pœnæ contra diplomata agentium vel sunt multa in ære, vel anathema, vel imprecatio, vel hæc omnia simul. Variarum clausularum exempla. Subscriptio diplomatis, ejusque formulæ. Signum crucis additum subscriptionibus: hujus rei origo. Monogrammata quid sint, & qualia in Diplomatibus & Bullis. Quinam subscribere diplomata soliti fuerint. Annuli usus multiplex apud veteres: etiam ad signandas publicas literas adhibebatur. Sigilla diplomatum & Bullarum. Chronologia diplomatum tres partes comprehendit: 1. Annum & diem. 2. Indictionem. 3. Tempus regiminis. De vario annorum computo.

LIBER VII.
DE
RE DIPLOMATICA.

CAPUT I.
INDOLES ET HISTORIA REI DIPLOMATICÆ.

§. I.
Etymologia & Encomium.

I.

Eousque progreſſum eſt rei literariæ magis magisque promovendæ excolendæque ſtudium, quo hodie totam fere Europam flagrare videmus, ut e Priſcorum libris impigro labore conquiſita omnis generis eruditione non contentum, etiam chartas, tabulas,

codices, & quidquid manuscripti veteris nomine venit, in lucem protrahendi ac diligentius excutiendi provinciam in se susceperit. Hujus rei testes habemus, quotquot libros & grandia volumina, summa sedulitate ac magnifico adparatu typis publicis edita videmus (videmus autem seculo nostro sane multa & copiosa) in quibus omnis ætatis ac generis scripturæ, maxime vero antiqua diplomata, quæ temporum injurias & vetustatis invidiam, quamvis sæpe non sine vulnere aliquo, evaserunt, luculenter nobis ante oculos ponuntur. Inde natum est, quod vocamus rei diplomaticæ studium, de quo jam nunc acturus sum ea ratione, quam in libris qua præcedentibus qua subsequentibus mihimet præscripsi, semper instituti mei memor; scilicet non tam ut artis vel scientiæ, quam tractandam suscipio, intima adyta pandam, omnemque illarum thesaurum expilem, quam ut rectam de iis ideam, ordinem, eruditionis latentis supellectilem, formandique sani judicii modum subministrem. Ne vero heic ipso statim in limine hærere cogatur Lector, ante omnia quid nomine Diplomatis intelligatur, explicandum venit. Nosse igitur oportet, vocem hanc & prisco, & medio,

dio, & nostro ævo in usu fuisse pro eadem re quidem significanda, in diversis tamen occasionibus atque negotiis. Olim primum tabulæ seu scripta testimonia, Veredorum Præfectis exhibenda, nuncupabantur Diplomata. Solis enim Imperatoribus teste Joanne Corrasio (a) licebat uti veredariis (quos nunc vulgo *postiliones* dicunt a *positis*, seu locis per intervalla hunc in finem *positis*) ad epistolas ultro citroque mittendas: aliis vero nonnisi facultate impetrata, quam vocabant *Tractoriam*. Quare populo cursus publici copia fiebat per facultatem tractoriam, quæ ut illam definit Cœlius (b), est licentia utendi equis publicis cursorum. Porro dabatur hæc licentia scriptis tabellis *testimonialibus*, ut Vegetius loquitur (c), a quibus cursores obtinuere nomen Tabellionum seu Tabellariorum; quæ ipsæ tabulæ ut plurimum apud Scriptores veteres adpellantur Diplomata, hoc est, duplices tabellæ seu literæ complicatæ, primum tenui ligno, post lino trajectæ, demum etiam signatæ. Ita Plutarchus (d) narrat, Augustum Cæsarem in diplomatibus libellisque

(a) *L.* 1. *Miscell. Jur. Civil, c.* 11. (b) *L.* 21. *c.* 24. (c) *L.* 2. *c.* 3. (d) *In Augusto.*

que & epiſtolis ſignandis initio ſphinge uſum eſſe, mox imagine Magni Alexandri. Meminerunt diplomatis Cicero (e) dicens: *De diplomate admiraris? .... ego autem qui ſcripſeras te proficiſci cogitare (etenim audieram nemini alteri licere) eo te habere cenſebam, & quia pueris diploma ſumpſeras.* Et Capitolinus (f) *Præfectus* inquiens *cohortis a M. Aurelio Imperatore .... quod ſine diplomate curſum uſurpaverat, ab Antiochia ad Legatum ſuum ire coactus eſt:* videlicet ad ſubeundam pœnam, quæ gravis admodum conſtituta fuerat iis, qui legem hanc violaſſent. Erat autem in præſenti negotio hæc ineunda ratio: Accipiendum a Principe vel a Præfecto Fiſci diploma: hoc oſtenſo *parachi*, apud quos per viam diſpoſiti ſtabulabantur equi, ſtatim novos recentesque ſuppeditabant equos ad conficiendum curſum, qui vehiculis ſeu rhedis inſtituebatur, & ad literas aliaque in locum deſtinatum transferenda. Ex his jam patet, Diploma priſcis idem fuiſſe ac publicas literas auctoritate Principis, vel in hujus vicem Præfecti, firmatas, quibus fides adhiberi debebat de obtenta quam dixi facultate, id quod planum fit ex Plutarchi verbis

(e) *L. 10. ad Atticum.* (f) *In Pertinace.*

bis (g): „Nymphidius vero non mediocri indignatione affectus est; cum Consules servos publicos destinassent, quibus ferenda ad Imperatorem Senatus consulta præberent: quibus scilicet ipsis ea, quæ diplomata appellantur, ideo dari solent, ut iis statim agnitis civitatum magistratus tabellariorum cursum accelerent in commutatione vehiculorum datis deductoribus.„ Postmodum vero vox hæc *Diploma* ad edicta & mandata Principum transiit. Ita Cicero (h) de literis Cæsaris loquens, quibus Balbus restitui mandabatur, ait: *Diploma statim non est datum.* Ita Trajanus quoque ad Plinium (i): „Diplomata quorum præteritus est dies, non debent esse in usu. Ideo prima injungo mihi, ut per omnes provincias ante mittam nova diplomata, quam desiderari possint.„ Ita rursus Cicero (k): *Mitto diplomata tota in provincia passim data.* Denique tum medio, tum nostro ævo diplomatis nomine venerunt omnes literæ a Principe, vel a Nobilibus Viris scriptæ signatæque, quibus *largitiones*, *fundationes*, *privilegia*, *pacis fœdera*, *pacta*, *edicta*

(g) *In Galba.* (h) *Lib.* 6. *epist.* 12. (i) *L.* 10. *epist.* 47. (k) *Ad Pisonem.*

cta &c. constituta vel confirmata sunt, ita ut iis exhibitis, riteque examinatis plena fides ac publica utroque in foro ab omnibus adhiberi debeat. Rem totam paucis verbis illustrant gemini Juris Consulti Lazius (l) & Budæus (m) dum ajunt: „ Diplomata esse literas, quas patentes „ nunc appellamus; cujusmodi sunt edicta „ & mandata Principum regio signo san„cta: & quas Bullas Poncificias vocant. „ Hæ autem literæ patentes sunt chartæ „ complicatæ, & olim ligno, nunc lino „ trajectæ. Tales erant & Codicilli Prin„cipum signis notati, quibus visis hippar„chi vehicula & equos cursorios præsta„bant iis, qui utebantur cursu publico. „

II.

Perspecta diplomatis etymologia & origine, rei hujus maximum, quod humano generi adfert, emolumentum propius nonnihil conspiciendum se præbet. Plurima enim sunt, quæ ex diligenti & diplomatum inspectione considerationeque tum ad eruditionem nostram intelligere, tum ad fidem faciendam in gravissimis etiam negotiis eruere possumus. Ad primum quod adtinet, Imperatorum, Regum, Ducum, Co-

(l) *De Rep. Rom.*
(m) *Annot. Poster. in Pandectas.*

mitum, Illuſtrium Virorum, nec mi-
s Pontificum, Archiepiſcoporum, cæ-
orumque Præſulum, longiſſimo tempo-
tractu a nobis diſſitorum dignitatem,
llos, potentiam & regiminis amplitudi-
n inde cognoſcimus: præclara eorum
ta, pietatem in ſuperos, liberalitatem
amicos & bene meritos, fidei publicæ
egritatem, aliosque mores ſeculis illis
ſcis, nempe argenteis aureisve, conge-
os grandibus veluti characteribus de-
ptos legimus; perſpicimus regnorum,
onum ac latifundiorum fines, quous-
ſe extenderint: urbes, pagos, caſtra,
dia, fundos & poſſeſſiones, quas vo-
t fiduciarias, ad quos Dominos perti-
rint olim, quibusque iſta vel vendita, vel
io jure donata, vel in feudum conceſſa
rint: rationem quoque temporum diſci-
s, qua ætatis ac regiminis anni, *indictio-*
ſeries continua dominorum ac hæredum
im fiunt. Præterea innoteſcunt nobis
illium quarumque familiarum origines,
litates, munera, incrementa, viciſſi-
ines & interitiones. Hæc omnia, in-
m, facile intelligimus diplomatum
, quæ in marmoribus & ære vetuſto
tra inquireremus. Grandia profecto
Hiſtoriæ, & Geographiæ, & Genea-
æ ſubſidia! Ad alterum quod ſpectat,

ſuum unicuique jus his tabulis publicis, ſi genuinæ fuerint, adſeritur. Nullum enim fortius ad jura ſua, res & bona familiæ ſarta tecta ſervanda præſidium, nullum ad hæc ipſa, ſi forte temporum injuria, ignorantia, aut malis artibus & fraude in alienas manus ante diem devenerint, vel ab adverſa parte mota lite infeſtentur, vindicanda certius argumentum eſt eo, quod fit in tribunalibus diplomata producendo. Horum auctoritate, ac indubitata fide non ſolum privatorum fortunæ, agri, domus, cenſus, ſponſiones, ultimæ voluntates, ſed etiam civitatum, regionum limites, pacta publica, & fœdera, jura ipſius majeſtatis ſtant intacta & ſecura. Væ Noſocomiis, Monaſteriis, Parochiarum decimis, Epiſcopatuum juribus, ipſi Eccleſiæ Romanæ patrimonio, ſi non diplomatum antiquiorum valida ſepe circumdata, probeque munita forent. His avaritiæ ac cupiditati frenum injicitur; his ſacra & profana jura oppugnantium temeritati limes ponitur: his cedere debent legum ac leguleiorum argutiæ, omnisque conjecturarum, interpretationum, cæterarumque machinationum juridicarum moles. Quando enim diploma debitis inſtructum formulis loquitur, tacere debent litigantium ora, & in judicio cauſa

ſa finita eſt. Ejusmodi diplomata ſunt Carolingica, Dagobertina, Conradina, Henriciana, Fridericiana, aliaque ſexcenta, quibus artis hujus ſcriptores, utramque paginam, quin & vaſta volumina hisce temporibus implent ac locupletant, e quibus Nobilium familiarum, Monaſteriorum, & Eccleſiarum privilegia, bona & jura luculenter demonſtrant. Equidem fateri oportet, ſatis multa eorum dubia & ſubleſtæ fidei, interpolata, quin & ſuppoſititia ac ſpuria, præcipue ante ſesqui ſeculum, e tenebris ſubito emerſiſſe, ac pro genuinis aliquamdiu per manus & fora impune circumcurſaſſe. Sed hoc ipſum eſt, quod artis hujus ac ſtudii diplomatici utilitatem & vix non neceſſitatem vel maxime commonſtrat. Et re ipſa non pauci e viris doctis ac multa eruditionis laude conſpicuis eo curas ſuas verterunt, ut vetuſtos Codices ac ſcripturas in tabulariis ſedulo excuterent, cujusvis ævi characteres, ſcribendique morem diligenter adnotarent, ſigilla & monogrammata curate inſpicerent, ſingula inter ſe probe conferrent, ac denique certas quasdam regulas adinvenirent, traderentque, quibus genuinæ chartæ ac diplomata a falſis & confictis diſcerni poſſent, quam artem poſtmodum diplomaticam adpellarunt. Hinc eſt,

quod nos posteri grates plurimas debeamus Majoribus nostris, qui velut futurorum præsagi tanta cura & solicitudine hæc antiquitatis monumenta adservarunt ac custodierunt in locis ad id designatis, quæ lapideo ut plurimum fornice instructa fuerunt, ac ferreis cratibus munita, & ad quæ aditus non patebat nisi per portas ferro obarmatas, quandoque etiam geminas, ac diligentissime obseratas, ut tum a flammis, tum a furibus eo securior foret thesaurus hic, quo sæpe tota rei familiaris fortuna continebatur. Neque superflua fuit hæc omnis quantacunque industria atque custodia, quum olim non solum a Vulcano, sed etiam a rapacibus prædonum manibus timendum esset, qui monasteriorum præsertim bonis inhiantes non raro vim faciebant, clam vel palam perfractis repagulis auferentes antiqua documenta, chartas, & diplomata, quibus *cessiones*, *emptiones*, *venditiones*, *donationes* &c. a Regibns, Principibus, & Viris Nobilibus pridem factæ confirmatæque consignabantur, cujus rei exemplum sane funestum dedit Gaidulfus Italus, qui postquam a Pipino Rege *Abbatiam* ut vocant Glannafoliensem obtinuit, Monachis inde fugatis scripturas omnes, ac tabulas donationum & ultimarum voluntatum

testes

testes vi facta secum abstulit, partim aquis partim flammis postea absumtas, ne qua spes vindicandarum ac repetundarum facultatum superesset. Nunc vero plus metuendum est a malis Criticis, maxime Acatholicis, qui Episcopatuum & monasteriorum spoliis, quæ luctuoso illo avitæ religionis ejuratæ seculo passim fecere, non contenti antiquissima etiam Diplomata & privilegia in jus vocare, atque convellere student, cujus rei notum satis specimen dedit cum aliis ejusdem farinæ Hermannus Conringius, qui Ludovicianum diploma Lindaviensis Cænobii sacrarum Deo Virginum, tanquam falsum & a Monachis confictum non sine magno per Imperium strepitu divulgavit, qua de re paullo post dicendi locus erit. Hæc omnia hucusque in medium allata magnam profecto studii diplomatici, de quo sermo est, utilitatem loquuntur atque commendant.

§. II.

Historia rei Diplomaticæ.

III.

Ubi aureis mundi seculis humanam societatem atque commercium regebat bona fides, & concordia, non opus erat char-

chartis, codicillis, aliisque instrumentis, quibus *transactiones*, *edicta*, *rescripta*, *mandata*, *privilegia*, *largitiones*, *donationes*, *fundationes*, *testamenta*, & his similia firmarentur, sed cuncta hæc negotia conceptis verbis, dataque utrinque dextra componebantur, majusque robur ab hac paciscendi forma acceperunt, quam a tot aliis, quas postmodum homines excogitarunt, solemnibus scriptisque formulis. At diffidentia sensim in privatas publicasque res se se insinuante, quam malæ artes ac fraudes semper comitari solent, alio gravioreque remedio labescentem bonam fidem sustentari oportuit: unde tot literæ *fiduciariæ*, ac tabulæ, quas negotiorum in quacunque re demum rite gestorum Instrumenta adpellare solemus. Jam in ipsa sacra Scriptura hujus rei vestigia deprehendere licet. Primi homines fidem datam ut corroborarent, verbis juramentum addidere. Ita legimus (n), Abimelech Geraris Regem ad litem de puteo terminandam fœdus cum Abrahamo percusisse dicto utrinque juramento: *Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterque juravit. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti.* Jacobum vero ab

(n) *Gen. c.* 21.

ab Esau fratre, qui pro lentis edulio *primogenituræ* jus ipsi vendiderat, ut securior esset, ne forte accepto cibo poenitentiâ ductus eam sibi denuo vendicaret, juramentum exegisse (o). *Ait Jacob: jura ergo mihi. Juravit ei Esau, & vendidit primogenita.* Postmodum vero etiam testes, absque tamen scriptura, in gravioris momenti conventionibus adhibuerunt. Sic dum Abraham ab Ephron agrum emisset ad speliendam ibidem Saram uxorem defunctam, sacer Codex inquit (p): *Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat,* (scilicet pro agro suo) *audientibus filiis Heth quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ. Confirmatusque est ager quondam Ephronis . . . Abrahæ in possessionem videntibus filiis Heth.* Tum quoque ventum est ad scripturas & chirographa, qualia exigebant creditores securitatis gratia. Ita Tobias senior (q) *cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu ejus, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti,* nempe decem talenta: Filio autem suo postea mandavit, ut recepta pecunia mutuo data Gabelo chirographum restitue-

(o) *Gen. c.* 25. (p) *Gen.* 23. (q) *Tob.* 1.

tueret. Non minus dotalia pacta Raguel, quum Tobiæ juniori Saram in uxorem dederat, scripto confirmavit: *Fecit scripturam, ut pars dimidia, quæ supererat obitum eorum* (videlicet parentum) *Tobiæ dominio cederet* (r). Denique publica negotia tabulis rite confectis peracta fuerunt. Sic docet nos historia Machabæorum (s), qui ut jugo Græcorum se subducerent, legatos Romam miserunt, ad societatem & fœdus cum Romanis ineundum. Hi rescripserunt hunc in modum: „ Bene sit Ro-
„ manis & genti Judæorum, in mari
„ & in terra æternum: gladiusque &
„ hostis procul sit ab eis. Quodsi insti-
„ terit bellum Romanis prius, aut om-
„ nibus sociis eorum in omni domina-
„ tione eorum, auxilium feret gens Ju-
„ dæorum, prout tempus dictaverit
„ corde pleno: & præliantibus non da-
„ bunt neque subministrabunt triticum,
„ arma, pecuniam, naves, sicut pla-
„ cuit Romanis, & custodient mandata
„ eorum, nihil ab eis accipentes Si-
„ militer autem si & si genti Judæo-
„ rum prius acciderit bellum, adjuva-
„ bunt Romani ex animo, prout eis
„ tempus permiserit. „ *Et hoc Rescri-*
ptum

(r) *Tob.* 8. (s) *Lib.* 1. *Cap.* 8.

ptum est, ait S. Codex, *quod rescripserunt in tabulis æreis, & miserunt in Jerusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis & societatis.* Hac ratione res ista agebatur in Hebræorum Republica. At si Romanam spectemus, pauca supersunt *emptionum*, *venditionum*, *conventionum*, *donationum*, hujusque generis alia monumenta, cujus rei caussæ possunt esse vel mores Romanorum, quod raro literis & chartis ultro citroque datis contraxerint, vel modica cura in iis adservandis adhibita, vel demum bella & incendia, quæ quidquid obvium est, devorare solent. Pauca inquam supersunt, eaque solum, quorum fragmenta quædam Jurisconsulti ex Historicorum, Philosophorum, & Oratorum Romanorum libris, atque etiam e Legum Codicibus & Pandectis, ubi dispersa delitescebant, magno labore collegerunt. Posteriorum tamen Italiæ temporum scripturas & diplomata non pauca diu sepulta Cl. Vir Ludovicus Antonius Muratorius in lucem protraxit.

IV.

Fœcundior fuit Germania, medio præsertim ævo, tamque abundans similium monumentorum, seu chartis seu membra-

branis inscriptorum, ut post tot etiam bella, clades, direptiones, incendia & inundationes nulla fere sit communitas sive sacra sive profana, quæ non veteres chartas; nulla civitas & Respublica, quæ non privilegia, statuta, & quas vocant *Matriculas*, nullum Collegium, quod non tabulas publicas: nulla Nobilitas, quæ non Codicillos *Clientelares*: nullum Cœnobium, quod non literas *fundationum*, *dotationum*, *largitionum*: nulla demum Curia Principalis, quæ non tabularia, & quæ vocamus Archiva, locaque sanctiora diplomatibus ac documentis referta ostentare queat. Iis enim moribus vixerunt Germaniæ veteres incolæ, maxime Alemanni, ut Romanarum legum & Juris Latini parum curiosi amotis procul litibus forensibus, quas illud tot interpretationibus, *glossis*, scholiis, & exceptionibus obnoxium post se trahere solet, pacem & commercium inter se colerent ita, ut in quibusvis momenti majoris rebus fidem suam scripturis oppignerarent, ignari adhuc, quid rei essent *Usucapio* & *Præscriptio*: tantum quisque possidebat, capiebat, & reddebat, quantum charta loquebatur ac testabatur. Patet hoc satis e legibus Alemannicis, inter quas

una

una erat: *Res Ecclesiæ de Laicis absque charta nullus præsumat possidere* (t) Alia: *Si quis res suas vel semetipsum ad Ecclesiam tradere voluerit, per chartam firmitatem faciat, & testes sex aut septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat, & ponat super altare. Et proprietas de ipsis rebus ad ipsam Ecclesiam in perpetuum permaneat. Et si aliquis illas res abstrahere voluerit, Dei judicium & excommunicationem incurrat* (u). Rursus aliæ: *Si quis de rebus Ecclesiæ traditis chartam fecisset, si illa charta arserit aut perdita fuerit, quam ille homo fecit, tunc dicat illi hæredi cum testibus nominatis quinque (ipse sit sextus) in ipsa Ecclesia jurare, quod pater ejus nec chartam fecisset, nec ad illa sancta loca dedisset. Et si hoc præsumpserit facere, illas res possideat* (x). Hic tamen mos postea, quum multis perjuriis locum daret, Longobardorum legibus est sublatus. Tam frequens igitur erat apud istam nationem hæc se aliosque obstringendi, fidemque datam chartarum ope confirmandi ratio, ut passim invaluerit vox illa barbara *inchartare*, & prædium *inchartatum* diceretur, quod secundum literarum ac tabu-

(t) *Cap.* 19. (u) *Cap.* 1. (x) *Cap.* 2.

bularum præſcripta poſſidebatur. Auxit frequentiam ſolicitudo, ne forte incuria vel alio fato interiret ſupellex iſthæc, in qua jurium ac probationum omnis conſiſtebat valor & vigor. Hinc illi quorum intererat, plura tabularum, & diplomatum exemplaria circa idem negotium facta in tribunalibus & curiis Principum magnis impenſis condi curabant. Certe ab ævo Carolingico quatuor minimum fuerunt: unum ſcilicet in gratiam illius, qui diploma rogaverat; alterum ut ſervaretur in loco, ubi Princeps petitioni annuit; tertium ut exſtaret in urbe vel caſtro, in quo ſcriptum ac ſigillo munitum fuit; quartum denique, quod in ipſo Principis tabulario ad perpetuam rei actæ memoriam reponeretur. Inde eſt, quod in vetuſtis ejusmodi inſtrumentis ſequentes formulas legamus: *Cum hominum memoria ſit labilis: cum a temporum ærugine nihil liberum: ne qua incuria aliove caſu intercidat noſtræ voluntatis diſpoſitio: cum mors omnibus rebus adferat oblivionem &c. ideoque e re viſum eſt, referre in literas id, quod actum contractumque eſt, ne poſteris poſſet eſſe dubitatio eorum &c.* Præcipuam vero, ut oportuit, curam chartarum, chirographorum & diplomatum ſuorum gerebant Cœnobia & Eccleſiæ, in

qui-

quibus mira fuit Clericorum & Monachorum tum diligentia tum providentia in describendis piarum *fundationum*, *privilegiorum*, *largitionum & ultimarum voluntatum* literis ac diplomatibus, quæ pictis etiam eleganter ac inauratis characteribus insignita sigillis ac subscriptionibus probe muniri curarunt, ut plenam fidem apud posteros invenirent, velut præsagi temporum futurorum, quibus vix aliquid de Majorum pia liberalitate relinqueretur Ecclesiis ac Monasteriis, si non tot tamque legitimis documentis, & testimoniis omni exceptione majoribus essent instructa. Aliud industriæ genus accessit apud Germanos, quo ætatem ferrent literaria hæc monumenta: nimirum omni studio contenderunt, ut qui in regno, principatu, vel nobili familia successere, antecedentium largitiones, voluntates, ac formulas renovarent, amplissimeque confirmarent. Testantur hoc vetustiores scripturæ, his fere verbis conceptæ: „Noverint omnes, „ quod nos literas (hujus vel illius ex „ antecessoribus) adspexerimus, ac manibus contractaverimus non abolitas, „ non concellatas, nec aliqua parte vitiatas, neque suspectas, sed genuinas, „ & omni ex parte sinceras. Jussimus „ ergo illas de verbo ad verbum hic tran-

„ ſcribere & tranſumere. „ *Sequitur tenor literarum, ac ſubjungitur:* „ Nos „ itaque ſcrutatione habita diligenti eas „ literas declaramus & habemus legitimas, & genuinas, atque inſtar ſui ori„ ginalis, quod non opus eſt porro exhi„ bere, & producere. Deinde omnia „ ejus literæ charta hac noſtra facimus, „ ratihabemus, approbamus, ratificamus, „ repetentes execrationes adverſus illos, „ qui earundem fidei aliquid detraxe„ rint. „

V.

Hæc ſcripturarum & diplomatum ingens copia, & ſolertiſſima cura duravit propemodum usque ad finem ſeculi decimi quinti, quo tempore Jus Latinum cum Cauſidicorum ac Leguleiorum turba in Germaniam quoque penetravit, & magno honore ſtudioque exceptum fuit. Tum lites & controverſiæ circa *contractus, venditiones, emptiones, uſucapiones* & *teſtamenta* ad legum apices expendi cœperunt, magnisque contentionibus in foro & tribunalibus agitari. Ita factum eſt, ut brevi evaneſceret grandis illa fiducia, quæ in literis & chartis prius ponebatur, & illarum ratio vix ulla haberetur: quin quod tabulariorum Præfecti, quos *Chartularios*

&

& *Archivarios* vocabant, quibusque in Principum & Magistratuum curiis multus honor, magnaque fides deferebatur, dimissi fuerint, & e munerum publicorum albo expuncti. Jacebant igitur veluti carceribus conclusa hæc priscæ germanæque fidei monumenta, & intra ferreas crates solitaria a tineis & blattis defendere se cogebantur: non raro etiam involucri loco libris vilissimis servire debebant pretiosa hæc antiquitatis spolia. Tantus erat eorum neglectus, tanta oblivio. Magis propitium illuxit sidus uno abhinc, & quod excedit, seculo, quum crescente hominum eruditorum numero, & cum his cupiditate ac studio rei antiquariæ, istud quoque genus scriptorum in memoriam redire cœpit. Tunc aperta sunt claustra, quibus hæc Sibyllarum folia captiva tenebantur, & Principum, Nobilium, ac Cœnobiorum favore accessus ad tabularia patuit Viris rerum peritis, quibus & ad legendum & ad describendum passim exhibebantur chartæ, codicilli ac diplomata; unde factum, ut quamplurima publicis quoque typis orbi literato communicarentur. Geminam hujus rei caussam invenio: Prima erat, quod non pauci ævo isthoc prodierint, qui aut regnorum, provinciarum, principatuum & nobilium

ſtemmatum, etiam Epiſcopatuum, Eccleſiarum, & Cœnobiorum originem ac viciſſitudines curioſius veſtigabant, aut in mores priſcorum hominum, jura & potentiam diligentius inquirebant, aut ad Imperatorum, Regum, Principum, Heroum, præſertim vitæ ſanctitate illuſtrium Virorum acta, ſcripta, & res præclare geſtas curatius deſcribendas animum adjecerunt. Hi omnes ut hiſtoriæ ſuæ melius, quam veteres ſcriptores ſolebant, conſulerent, varias provincias ac ditiones non ſine magnis impenſis peragrarunt, ubique in tabularia & bibliothecas benigne admiſſi antiquos codices, omnesque vetuſtarum ſcripturarum & chartarum angulos excusſerunt, & quidquid in rem ſuam eſſe videbant, quam diligentiſſime excerpſerunt adnotaruntque. Ingens profecto tum ad hiſtoriam, tum ad chronologiam, maxime vero ad veritatem ſubſidium, utpote quæ ex adparatu documentorum tot chirographis, diplomatibus & ſigillis munitorum quam certiſſime eruitur! Altera fuit cauſſa, quam priori ſeculo præbuerunt lites ac controverſiæ & graves & multæ circa Diplomata vetuſtiori ævo conceſſa vel obtenta potiſſimum in Germania exortæ, dum quædam hi producerent ac defenderent tanquam genuina & ſincera, illi re-

jice-

ſicerent tanquam ſpuria & ſuppoſititia. Magnis utrinque ſtudiis pugnatum eſt jam olim inter Archiepiſcopum Mediolanſem, & Abbatem S. Donati in Curia Romana circa Inſtrumentum donationis a Comite Luitardo factæ, ac diplomata Henrici & Ludovici Impp. uti legitur in *Decretalibus* (y), & patebit infra pluribus capite quarto hujus libri ad finem: Maxime vero prioribus ſeculis ferveſcebant lites in ſupremis etiam Germaniæ tribunalibus. Ita Magdeburgenſis civitas circa annum 1640. producto quodam diplomate, quod ab Ottone M. Cæſare an. 940. ſibi datum perhibebat, ſubducere ſe voluit Archiepiſcopi, Principis ſui, obedientiæ, ac Imperialium & liberarum urbium numero adſcribi. Non minor lis exorta eſt inter Archiepiſcopum & Electorem Trevirenſem, atque inter Cœnobium S. Maximini O. S. B. ſitum in ſuburbio Trevirenſis civitatis, Archi-Præſule civilem æque ac ſacram in illud poteſtatem ſibi vendicante: utrinque acriter certatum eſt productis diplomatibus Dagobertinis, deditque res hæc anſam Henſchenio, Papebrochio, Mabillonio, Germonio aliisque accuratius examinan-

(y) *C. Inter Dilectos 6. de Fide inſtrumentorum.*

nandi diplomata quoque Merovingica & Carolingica. Frisiæ Orientalis Ordines, ut vocant, & Principem inter se diu commisit Diploma Caroli M. quo illi contendebant, ob præstita militaria obsequia concessam fuisse sibi a Carolo libertatem, ne pareant Principi, sed juris dicundi caussa eligant ex Ordinibus Consules, imperii autem exercendi potestas sit penes populum & Ordines Frisiæ, qui etiam ad hoc diploma in supremis Imperii tribunalibus provocarunt. Aliud ejusmodi Diploma Carolinum, quo Westphaliæ Episcopis Osnabrugensi, Bremensi, & Verdensi *regalis jurisdictio & superioritas* concessa est, graves turbas excitavit, aliquibus, maximam partem acatholicis, id nullius fidei esse contendentibus: aliis, inter quos etiam Papebrochius, demonstrantibus verum esse ac authenticum, suffragantibus quoque Imperii tribunalibus. Pertinacior ac diuturnior erat pugna inter civitatem Lindaviensem Acatholicam, & Illustre Cœnobium Sacrarum Virginum ad Beatæ Virginis, circa diploma Ludovici Imp. Pro civitate stabant Daniel Heiderus, Hermannus Conringius, Wilhelmus Tenzelius, Joannes Wegelinus: contra hos pro cœnobio fortissime decertabant Henricus Wagnereckius, SS. Canonum Pro-

fes-

fessor, & Maximilianus Rasslerus, Cancellarius Academiæ Dilinganæ, uterque Societatis Jesu Religiosus. Omitto alia seu prælia seu velitationes: Episcopi Argentoratensis cum civitate ejusdem nominis circa diploma Lotharii I: Monasterii Reichenaviensis cum Ulmensibus de diplomate Carolino: Wirzburgensis Præsulis cum Bambergensi ob diploma Friderici I. &c. quæ refert Jo. Petrus Ludevvigius (z). Jam vero hæ lites ac controversiæ, utcunque demum finitæ, magnum præstitere obsequium rei diplomaticæ studio. Hac enim via, ut quisque pro vel contra Trojam acerrime pugnabat, innotuit denique veteris ævi orthographia, & variorum seculorum varia scribendi ratio: constitutum fuit codicibus tempus, quo in lucem editi sunt: explicatæ fuerunt intricatissimæ notæ chartarum, & breviatæ voces suæ integritati restituebantur: examinata sigilla & monogrammata diplomatum: detecta quoque eorum vitia: verbo, nihil omissum est, quo hæc antiquitatis monumenta magis magisque illustrarentur.

VI.

(z) *In Reliquiis MSS. omnis ævi diplomatum.*

VI.

Juvat nunc præclaros industriæ hujus partus, eorumque auctores tam sacros quam profanos recensere, quos commode in tres classes distribui posse mihi visum est. *Prima* sit illorum, qui postremis duobus seculis primi velut vadum tentarunt editis variis chartis & diplomatibus. Inter hos numerandi veniunt Joannes Aventinus, qui non pauca diplomata in *Annalibus Bavariæ* produxit, iisque historicorum quorumdam menda correxit ... Henricus Canisius *in antiquis Lectionibus*, & qui eas continuavit Petrus Stevartius, item Jacobus Gretserus S. J. in eruditis suis operibus hinc & inde diplomata quædam & instrumenta utiliter inseruerunt ..., Joannes Georgius Hervvartus Cancellarius Electoris Bavari *in Apologia pro Ludovico IV. aliis V. Cæsare* ex Aulæ tabulario aliqua in lucem protulit diplomata: non minus Joannes Fuggerus in *speculo Austriaco* sedulus fuit in colligendis Austriacæ domus diplomatibus ... Melchior Goldastus *in Constitutionibus Imperialibus* plurima collegit, sed desideratur delectus, & multa sunt sublestæ fidei... Variorum principatuum, ducatuum, regio-

gionum, monaſteriorum, civitatum diplomata publici juris fecerunt Brovverus, Guillimannus, Gabriel Bucelinus Ord. S. Bened. Bœcklerus, Maderus, Peckmanus, Daniel Baringius, Heineccius, Hofmannus, Ludevvigius. *Altera claſſis* eſt eorum, qui magnis voluminibus vaſtam complexi hiſtoriam copioſis MSS.is & diplomatibus eam locupletarunt. Ejusmodi fuerunt: Conditor Annalium Eccleſiaſticorum Cæſar Baronius, cujus doctæ induſtriæ non ſolum Italia & Francia, verum etiam Germania plurimum debet ob producta magno numero hujus generis documenta, ad id usque tempus ignorata .... Abrahamus Bzovius, qui ſeptem voluminibus Baronii Annales perſecutus eſt, ingentem adfert copiam diplomatum, quorum aliqua etiam in critica Franciſci Pagii eſt reperire.... Wiguleius Hundius, Bojariæ Duci a Conſiliis, in libris quibus ſtemmata Procerum Bavariæ Nobilium, & Salisburgenſem Metropolin illuſtravit, maximam diplomatum curam habuit. ... In appendice ad Chronicon Reichersbergenſe, in ſcriptis ſeptemviralibus adverſus Freherum, & in Metropoli Salisburgenſi, quorum omnium Auctor eſt Chriſtophorus Gevvoldus, ejusdem Ducis Bavariæ Conſiliarius, ſilvam

diplo-

diplomatum invenire licet. . . . Non parcior fuit in exhibendis hujuscemodi publicis instrumentis Carolus le Cointe, qui octo Tomos Annalium Ecclesiasticorum Franciæ edidit . . . Joannes Mabillonius, de quo brevi amplior sermo redibit, in variis quæ scripsit operibus multa in lucem protraxit diplomata, in quibus conquirendis strenuam eidem operam navavit Ruinartius laboris eruditi socius . . . in Actis Sanctorum, quæ Bollandus feliciter inchoavit, Henschenius vero, Papebrochius, aliique tanto hucusque voluminum numero strenue continuarunt, ingens diplomatum adparatus comparet . . . Jacobus Sirmondus S. J. notæ eruditionis scriptor multa adfert & examinat diplomata *in Capitularibus Galliæ*, & opusculis variorum MSS.orum editis Lutetiæ Parisiorum. . . . Ferdinandus Ughellus in Italia sacra novem voluminibus descripta nemini cedit ubertate similium instrumentorum. Nam Italiam totam pervagatus a Principibus & Præsulibus quamplurima accepit vulgavitque tum diplomata Cæsarum, maxime Germanicorum, tum Bullas Pontificum. *Tertia classis* esto illorum, qui ex instituto cum veteres scripturas, tum diplomata collegerunt ac typis promulgarunt. Sunt autem Aubertus Mi-

ræus, qui diplomata belgica diversis libris complexus est . . . Stephanus Perardus diplomata ad res Burgundicas pertinentia collegit . . . Fridericus Leonardus, Regius Architypographus, Franciæ Regum cum Imperio ac Rebuspublicis aliisque initorum *fæderum*, *pacis*, *&* *transactionum instrumenta* ab anno 1435. usque ad annum 1690. sex voluminibus posteritati reliquit . . . Godefridus Leibnizius in libro Codicis Juris gentium *tabulas pacis*, *conventionum*, *fæderum &c.* . . . Josephus Peresius O. S. B. Salmanticæ typis dedit Dissertationes, in quibus pleraque ad rem diplomaticam spectantia discutiuntur. . . . Thomas Reymerus acta publica diversi generis cum literis & *conventionibus* inter Angliæ Reges, aliosque Principes ab anno 1101. ad annum 1718. voluminibus omnino septemdecim Lectoribus exhibet . . . Scipio Maffei historiam diplomaticam vulgavit Mantuæ an. 1727. . . Memorandi quoque veniunt tres Viri Clarissimi ex Ordine S. Benedicti: Edmundus Martene, & Ursinus Durand, qui novum thesaurum epistolas Regum & Diplomata continentem quinque voluminibus aperuerunt: & Lucas Dacherius, qui omnis ævi chartas, libellos, chronica, epistolas, & opuscula varii argumenti,

quo-

quorum magna pars S. R. I. diplomata tangit, tredecim librorum finibus circumscripsit . . . Illustrissimus Abbas Justus Fontaninus Romæ an. 1705. vindicias antiquorum diplomatum in lucem dedit . . . Non ita pridem Chronicon Gottvvicense seu Annales liberi & exempti Monasterii Gottvvicensis O. S. B. inferioris Austriæ magnis impendiis & eruendæ antiquitatis per plures tomos promissis prodiit. Quod ad Pontificia Diplomata adtinet, quæ proprio nomine Bullæ vocantur, *Magnum* exstat *Bullarium*, in quo initium ducitur a B. Leone M. & per omnia subsequentium Pontificum secula in hodiernam usque diem singulorum *Epistolæ*, *Brevia*, *Bullæ*, *Constitutiones* quam curatissime, plenaque fide recensentur. Hujus præclarissimi Operis Conditor primus erat Laertius Cherubinus inclytus Juris Consultus Romanus: persecutus est Angelus Maria Cherubinus Monachus Cassinensis: continuarunt Angelus a Lantusca & Joan. Paulus a Roma ex Ord. Min. S. Francisci, ac post hos alii Viri Eximii ad id muneris constituti, constatque modo totum Opus Tomis XIX.

VII.

Eruditis his ſcriptoribus multum quiem debet incrementi res Diplomatica: ullus tamen adhuc erat, qui ad artis ethodum certis eam regulis conformat. Nam qui leges aliquas ſtatuebant, ngularibus duntaxat ſcripturis & diploatibus eas adhibuere, quemadmodum eo Allatius in animadverſionibus ad agmenta antiquitatum Etruſcarum, & ermannus Conringius in cenſura diploatis Ludoviciani pro Cœnobio Lindaienſi. Primus qui peculiari tractatione m ſumme arduam aggreſſus eſt, fuit aniel Papebrochius S. J. editis Sanctoam actis Vir Clariſſimus *in Propyleo Antiquario circa veri ac falſi diſcrimen vetuſtis membranis*, quod præmiſit omo ſecundo Aprilis. Operæ pretium ſſe mihi videtur, (ut brevi patebit) m totam ut geſta eſt, cognoſcere. Ocaſionem hujus ſui laboris ſuſcepti ipſe arrat in *Præfatione* his verbis: „ Alexandri VII. Pontificis Maximi extremo dignati alloquio, priusquam Roma diſcederemus in Belgium anno MDCLXI. ad Opus de Sanctorum actis majori indies cum cura profectuque expoliendum, non tantum alacriores ex illius

„ appro-

„ approbatione revertimus, ſed etiam „ inſtructiores ex admonitione. Notaverat vir ille ſapientiſſimus, lecta de „ tribus Dagobertis Francorum Regibus „ Diatriba, tam novis ac curioſis, quæ „ iſthic tractantur, quæſtionibus definiendis præſidium magnum ex veterum „ Eccleſiarum Monaſteriorumque archivis „ peti. Audiverat idem a Vaticanæ bibliothecæ Cuſtode Allatio, non tantum „ probatas ſanctorum vitas, ſed etiam „ fabuloſas aliquas tranſcribendas per nos „ deſignari. Hoc cur faceremus, voluit „ cauſam intelligere; iſtud mirifice commendavit; ſi tamen, inquiebat, ſuppoſititia a genuinis, interpolata a ſinceris maturo ſecernantur judicio; in vetuſtis enim diplomatis chartisque recipiendis ad hiſtoricam probationem non „ minori verſandum eſt cautela, quam „ in numis; quorum multi ſub larva antiquitatis inducunt in fraudem, vix a „ paucis oculatioribus agnoſcendam. Ei „ igitur qui falli nolit, curandum cenſebat, non tantum ut cognitas habeat „ formularum notorialium rationes, pro „ ſeculorum atque locorum varietate diverſas, ſed ipſos quoque literarum ductus dignoſcat curioſe, ſi quando offerrentur chartæ, quæ authographæ eſſe di-

„ dicantur. Idque confirmaturus Sanctis-
„ simus, sublatos de genibus jussit ad in-
„ terius conclave sequi; ubi habebat con-
„ ventionem quamdam authographam, a
„ Carolo Magno in Hetruria confirma-
„ tam; dignatusque est ipse eam præle-
„ gere nobis atque indicare singula, quæ
„ diligentius merebantur considerari.
„ Quod autem ad fabulosa quædam San-
„ ctorum acta attinet, de iis a nobis edo-
„ ctus vicissim, ipsorum exemplar ideo
„ peti, quod aliter nequeat certo diluci-
„ deque convinci falsitas, quam relegen-
„ do ipsamet fraudis nunquam integre se
„ occultantis vestigia; probavit consi-
„ lium, agnovitque etiam id habere lo-
„ cum in diplomatis, neque minus ad
„ veri falsique discretionem acquirendam
„ valere chartarum suppositarum exem-
„ pla, quam authographa verarum. „
Hucusque de colloquio cum Pontifice:
huic mox subjungit Papebrochius, quæ
sequuntur: „ Exinde quod antea facieba-
„ mus studiose, cœpimus multo adhuc
„ diligentius facere Auctore tanto, & utro-
„ rumque sæpius inter se collatorum fre-
„ quenti usu paulatim facti peritiores mul-
„ ta deprehendimus manifesto falsa, in
„ quibus dubii ante paventesque hæreba-
„ mus: nonnunquam etiam nos ipsos

„ correximus, retractando fidem, quam „ talibus ante dederamus. Hujus studii „ ad illustranda Sanctorum acta tantum „ valentis fructus aliquos exhibebit præ- „ sens Propylæum. „ In hoc præmissa admonitione, quod a supposititiarum chartarum demonstratione nullum immineat discrimen possessioni justæ & antiquæ, indicare cœpit auctor, qua ratione in veterum *fundationum*, *donationum*, *privilegiorum instrumentis* ope tum characterum, tum styli, tum formularum & notarum, tum chronologiæ & historiæ, tum sigillorum & monogrammatum & subscriptionum vera a falsis discerni queant, variisque illustrare conatus est exemplis. Monstravit itaque Papebrochius viam certæ methodi in chartarum & diplomatum examinandorum negotio ineundæ, ejusque fontes primus aperuit. Verum res hæc insolens visa (quemadmodum in omnibus initiis fieri assolet) validum inter viros doctos certamen accendit, eo quod aliqui jam antea obliquis oculis acta hæc sanctorum aspicerent, rati quantum in iis veritati daretur, tantum detrahi rerum suarum antiquitati: alii vero diplomata quædam rejecta cernerent, tanquam minus genuina, pro quorum vetustate ac valore quasi pro Palladio servando pugna-

bant.

bant. Inter hos præcipuus erat Joannes Mabillonius, Presbyter & Monachus Ord. S. Bened. e Congregatione S. Mauri, Vir eruditissimus, & quum annos bene multos omnis generis vetera instrumenta & Codices antiquos evolvisset in bibliothecis & tabulariis variarum provinciarum, hac in re versatissimus. Hic occasione velut oblata usus animum adplicuit ad conficiendum doctum ac celebre Opus *de re Diplomatica*, Lutetiæ Parisiorum anno 1681. editum, in quo totam illius œconomiam exposuit, & non raro ea, quæ Papebrochius in Propylæo suo statuebat, refellere studuit. In hujus supplemento producit Mabillonius literas ab ipso Papebrochio die 20. Julii an. 1683. ad se datas in hæc verba: „Postquam . . . utcunque evol-
„ vi opus vestrum de re diplomatica, non
„ possum tamen celare fructum, quem
„ inde retuli. Fructus autem hic est,
„ quod in mea de eodem argumento octo
„ foliorum lucubratiuncula, nihil jam am-
„ plius placeat, nisi hoc unum, quod
„ tam præclaro operi & omnibus numeris
„ absoluto occasionem dederit. Idque
„ his ipsis fere verbis profitebor in præ-
„ fatione ad Conatum Chronico-histori-
„ cum de Romanis Pontificibus, qui cras
„ ad prælum dabitur. Quod facere nolui,

„ priusquam e vestro libro notassem;
„ quid corrigere circa ipsorum bullas de-
„ berem, ad restituendam San-Dionysia-
„ no Archivio æstimationem suam, quam
„ læsisse videor, secutus Launoii judi-
„ cium. „

Et re ipsa quod promisit, præstitisse Papebrochium invenio in Præfatione ad præfatum Conatum Chronico-Historicum (qui habetur Tomo primo Mensis Maji, edito an. 1685.) numero ejusdem duodecimo; ubi a quadam Baronii sententia recedens ait: „ In hoc si scopum non attigero, al-
„ terque feliciori id faciens successu meos,
„ si quos invenerit, errores corrigat;
„ adeo non feram id ægre, ut cum animi
„ gratulatione sincera cessurus ei palmam
„ sim; eademque promptitudine illi assur-
„ recturus, qua eruditissimi Patris Joannis
„ Mabillonii de re diplomatica opus ex-
„ cepi, & postquam legeram, approbavi,
„ licet in non paucis contrarium eis, quæ
„ in argumento eatenus intacto optima
„ quidem voluntate, sed impari ad rem
„ tantam instrumenti necessarii copia, obi-
„ ter delibavi occasione Trevirensis cu-
„ jusdam figmenti. Quamvis enim istud
„ satis eversum sit lucubratiuncula prædi-
„ cta, assentiente ipsomet Mabillonio, ad
„ lucem tamen dignioris istius justique

„ ope-

„ operis (videlicet Mabillloniani) illa sic „ mihi ipsi viluit, ut in ea nihil fere amplius inveniam, quod placeat, quam „ quod ex dubiis isthic a me fortuito motis tam insignis Commentarius nasci „ potuerit ab eo, qui rem ex professo „ pertractavit. Equidem sic existimo, „ neminem turpiter vinci, ubi gloriosum „ fuit certare; si tamen certasse dici pos„ sim cum alio, quam cum ipsius argu„ menti obscuritate, originaliumque di„ plomatum defectu, nemine tum adhuc „ invento, qui speraret inveniri aliquam „ methodum posse, ad veri falsique di„ scrimen faciendum inter diplomata ve„ tera, etsi constaret multa esse inter ea „ sublestæ fidei, saltem quoad historiam, „ pro qua sola satagebam. Libenter in„ terim restituo San-Dionysiano Archivio, „ quam læsisse inconsultius videor, re„ verentiam sub ea, quam Mabillonius „ offert cautela, *ut quædam isthic inve„ niri non negentur vel omnino falsa, vel „ interpolata, vel dubia, tum primæ tum „ secundæ stirpis,* quia bonus ac simplex „ erat Dubletus, qui quodlibet incidit „ in manus, sine dolo malo in publicos „ oculos producit. „ Hucusque Papebrochius. E quibus tria satis constant: *Primo* quidem, Danielem Papebrochium

primum fuisse, qui vadum tentavit, & rei diplomaticæ in ordinem & artis formam redigendæ manum admovit, constitutis quibusdam legibus, quemadmodum fatetur ipse Mabillonius (a), dum ait: *Multi quidem varias sparsim regulas, ubi de singulari argumento agebatur, tradiderunt. . . . At nullus ad hoc usque tempus peculiari tractatione rem aggressus fuerat ante Danielem Paprobrochium S. J. editis sanctorum actis clarissimum Virum, qui in Prolypæo ad Aprilis tomum secundum data opera eam discutiendam suscepit anno* M. DC. LXXV. *Secundo*, Mabillonium Propylæi Pepebrochiani occasione, ac gloriosa æmulatione excitatum constructo insigni opere artem diplomaticam perfecisse, uti vice versa Papebrochius palam de ipso testatus est verbis illis: *Fructum fuisse lucubratiunculæ suæ, quod nihil jam amplius in ea placuerit, nisi hoc unum, quod tam præclaro operi & omnibus numeris absoluto occasionem dederit.* Cætera summi etiam hi Viri in negotio tam lubrico ab omni hallucinatione non fuerunt immunes: Mabillonius refellit regulas Papebrochii, quem strenue vindicavit postmodum Bartholomæus Germonius (b): contra Georgius

(a) *Lib.* 1. *c.* 1.
(b) *In Discept. de Diplom. ad Mabillonium.*

gius Hickesius (c) acriter insurgit ac impugnat regulas Mabillonii, quem tamen Theodoricus Ruinartius defendit. *Tertio*, admirandam esse in utroque hoc eruditissimo Scriptore animi moderationem atque modestiam, dum Mabillonius Papebrochio primas, Papebrochius Mabillonio palmam in hac palæstra diplomatica concedit. Hanc modestiam in scribendo utinam æmulatus fuisset cæteroqui non ignobilis scriptor acatholicus, & rei hujus gnarus Joannes Petrus Ludevvigius J. C. Nescio quod hominem œstrum invaserit, ut in *præfatione* sua *ad Reliquias MSSorum* Papebrochii & Jesuitarum omnium famam indignis sane modis, & conviciis etiam in heterodoxo scriptore non ferendis proscindere non dubitarit. Ait enim (d), quum Acta Sanctorum scribere cœpissent, Jesuitas id egisse, ut omni vetustati indicerent bellum, ne aliis præcipui aliquid eos oporteret relinquere: instituti hujus furorem eo processisse, ut chartas omnes in dubium vocare ausi sint, simulque pretio omni eas destituere: quidquid nefarii & improbi consilii fuisset, texisse illo involucro alicujus remedii adversus hæreticos: vocat hunc eorum conatum odii & periculi plenis-

(c) *In lingu. veter. Thesauro.* (d) *Pag.* 25.

nissimum, immo pestilentissimum, addens: hoc forte consilio quoque describere susceperunt Acta Sanctorum, ut scilicet in hoc argumento campum haberent amplissimum omnia convellendi, exaggerandi literarias imposturas, fraudes, fabellas, commenta, cum iisque etiam plenæ fidei documenta & testes impetendi, commiscendi prima cum ultimis, & demum subvertendi destruendique omnem vetustiorum seculorum memoriam &c. Hoc nimirum crimen est Ludevvigio judice *brevibus gyaris & carcere dignum*, vetustatis monumenta in examen vocare, non omnibus, quæ circumferuntur, passim fidem habere, secernere spuria & adulterina a veris & genuinis, cuncta expendere ad pondus *sanctuarii.* Quis sit orbis literati sensus de Actis Sanctorum, & piis simulque eruditis laboribus Bollandi, Henschenii, Papebrochii & sociorum, non solum apud Orthodoxos, verum etiam heterodoxos, quos non vel sectæ suæ pertinax studium, vel livor & invidia, vel Jesuitas ubique criminandi libido transversum egit, supervacaneum foret pluribus persequi. Verum commode accidit, ut Ludevvigius suis se se armis impetat & jugulet. Nam dum ob pauca quædam diplomata & documenta vetusta, quæ ex instituto im-

pu-

pugnat Papebrochius cum aliis, altum vociferatur, Jesuitas bellum indicere toti antiquitati, & carthaginis hujus eversores esse, ipse in libris suis passim diplomata illa aut dubiæ aut malæ fidei accusat, & tanquam supposita rejicit, quæ Monasteriis, Ecclesiis, Episcopatibus & Ecclesiasticis Principibus favent, & authentica esse gravium Virorum judicio, & rationibus validissimis probantur. Tum vero, quod mirere Lector, homo iste vel sui prorsus immemor, vel malæ conscientiæ stimulis agitatus eadem in præfatione sua (e) ita pronunciat: *Inprimis vero Acta Sanctorum hac faciunt, quæ XII. voluminibus per menses totidem a Surio conscripta, sed plusquam Herculeo post conatu a Bollando, Henschenio, Papebrochio, & Sodalibus eorum innumeris accessionibus aucta & adornata sunt, extantque a Januario ad Junium mensem usque grandioris formæ volumina XXV. In quo demum opere æternum duraturo dici & extolli satis non potest, quam immanis adservetur N. diplomatum & plenæ fidei documentorum adparatus.* Profecto hæc quomodo in Scriptore, qui Critici partes sibi amplissime vendicat, quomodo inquam co-

(e) *Pag.* 110.

cohæreant, non perſpicio. Paullo ante dicit, Jeſuitarum conatum in ſcribendis Sanctorum Actis eſſe *peſtilentiſſimum*, latere conſilium etiam *plenæ fidei documenta* impetendi, commiſcendi omnia, & *vetuſtiorum ſeculorum memoriam deſtruendi*: poſtmodum vero Opus hoc æternum ſeu Acta Sanctorum *extolli ſatis non poſſe*, & diplomatum ac *plenæ fidei documentorum* immani adparatu eſſe inſtructum palam fatetur. Non minore licentia, & criſeos intemperantia idem Ludevvigius inſurgit adverſus Bartholomæum Germonium S. J. Virum notæ eruditionis, ac Papebrochii defenſorem, quem tanquam antiquitatis hoſtem, & ſcriptorem nauci flocciquc non ſine grandi faſtu ac contemptu traducit. Verum longe aliud atque illuſtrius teſtimonium præbent Germonio Viri alii literatiſſimi, inter quos P. Honoratus Ord. Carmel. Criticus inſignis, qui ait: *Germonii Jeſuitæ, præcipui Diplomatices Mabillionianæ adverſarii diſſertatio de Veteribus Francorum diplomatibus norma eſſe poteſt iis, qui ad ſcribendum accedunt.* Et Auctor Ephemeridum Sapientum *ad 7. Januarii* 1704. in compendium redigens Diſſertationem memoratam ita loquitur: „ Quod ad rationem adtinet, qua „ deſcripta eſt hujusmodi P. Germonii

„ dis-

„ dissertatio, egregia plane est, omni-
„ busque qui scribendi suscipiunt onus,
„ exemplo esse potest. Res ad disputan-
„ dum subjectæ eo sunt ordine digestæ,
„ ut voluptatem legentibus ingerant;
„ nitidus stylus est, purus, cla-
„ rus, castigatus, & nullo involutus
„ impedimento. Patris hujus disserendi
„ modus dulcis est, limatus atque alli-
„ ciens, & moderatio ejus summa re-
„ splendet, nec non incredibilis eorum
„ quoque habita ratio, in quos invehi-
„ tur. „ Cætera recensitam heic litem
istam diplomaticam inter gravissimos,
qui ex utraque parte, ut vidimus, ve-
litabantur Scriptores paucis diremisse
videtur laudatus supra Honoratus, dum
inquit Differt. 4. Art. 14. Tom 1. Ani-
madversionum ad Criticam: *Cum non
defuerunt scriptores eruditi, qui Diplo-
maticam Mabillonii artem vehementer
impugnarent, alii contra non minus in-
dustrii eadem vi ipsius causam suscepe-
rint, quidam demum negotium hoc ad
problema publici judicii revocaverint &c.*
Sed his missis, & illis quæ ad historiam
rei diplomaticæ faciunt, quasi in vestibu-
lo expositis, ad interiora hujus artis
progrediamur.

CAPUT

CAPUT II.

SCRIPTURA VETUS.

§. I.

Materia veteris Scripturæ.

VIII.

Ad judicium de chartarum & diplomatum genuina indole ac veritate ferendum ante omnia opus est nosse scripturam, characteres, & orthographiam, quibus Veteres pro ævi varietate in ejusmodi instrumentis condendis, describendisque usi fuerunt. Hac enim ex re vel maxime cognoscitur vetustas ac temporum, queis confecta fuerunt, ratio: & prius est, ut inoffenso pede legere ea possis, quam ut judicium de illis atque sententiam feras. Difficile profecto negotium hoc reddit literarum, alphabetorum, & scripturarum mira variatio, quæ singulis pene seculis apud diversas nationes se se prodidit. Quemadmodum enim temporum periodica mutatio magnam semper vim exercuit in scientias & artes aliis aliisque modis figurandas, ita mi-

mirum non eſt, ſi eandem ſupra ſcripturas variandas poteſtatem obtinuerit, quum facilius nihil ſit, quam mutare manum. Hinc recte Thomas Bartholinus (f) pronunciavit: *Mutantur calami ſicut pilei, quot homines, tot vultus indiſcreti, tot manuum ſenſuumque differentiae: ſuo quisque genio litat, ſuoque modo docet & ſcribit.* Hujus autem de qua nunc loquor, variationis cognitio é triplici potiſſimum fonte peti poteſt ac debet, nimirùm e materie in qua ſcriptum; dein e characteribus, quibus ſcriptum eſt; demum e forma ſcribendi, ita ut tota fere ars diſcernendi MSS.a his tribus abſolvatur.

De materia quidem, in qua ſcriptum eſt, pauca dicturo mihi non eſt animus aliorum more per omnia rerum genera, quibus Veteres animi ſui ſenſa impreſſis characteribus commiſerunt, evagari, uti erant arborum folia atque cortices, laminæ plumbeæ, æreæ, tabellæ cera obductæ, quin & ligneæ atque eboreæ, coria piſcium &c. Tria duntaxat conſiderare juvat, quæ ad inſtitutum præſens faciunt, videlicet membranam, philyram, & chartam. Membranarum uſus ótae antiquiſſimus, ævoque ſuo multum exces-

(f) *Diſſert. 5. de legend. libris.*

cessit chartam, quam aliqui primum Alexandri M. temporibus natam fuisse tradunt, dum alii membranas Pergami ab Eumene Rege inventas esse contendunt, utrique tamen incerta fide. Certius videtur esse testimonium illud Josephi scribentis, membranaceos antiquissimos libros ab Eleazaro Judæorum Pontifice ad Ptolemæum Philadelphum Regem fuisse missos. Certe apud Græcos ipsos proverbium invaluit, ut si rem vetustissimam indicare vellent, *dipthera*, (id est membrana) *antiquiorem* esse dicerent. Membranæ autem vocantur, quod sint pelles, pecudum, præcipue ovium, membris deglubitæ, quæ pilis abrasis, vel calce aliove succo acido ablatis interiore parte qua carnem aperiunt, in subtilissima folia tenuantur. Modum quo ad scribentis calamum & charactere facile admittendos parantur, apte describit Petrus Blesensis (g), dum de membranaceo Codice inquit:
„ Audi libri compositionem, ut & omnia in corde tuo comparare studeas, (scilicet mystice ad chartæ similitudinem) Prius traditur rasori, ut cum rasario omnem superfluitatem, pinguedinem, scrupulos & maculas tollat; dein supervenit pumex, ut quod
„ ra-

(g) *In serm. de Nativ. Dom.*

„ rasio auferre non potuit, pumice de-
„ leatur, scilicet pili & talia minuta;
„ ad hæc antequam scribatur, opus est
„ regula, ne tortuose ducatur linea. „
Sed non ex ovium duntaxat, verum etjam e piscium pellibus scite laboratis olim confectæ fuerunt membranæ, ut scripturæ servirent, cujus rei testes idoneos habemus Zonoram (h) & Cedrenum (i), quorum primus scriptam fuisse narrat Iliadem totam, & Odysseam Homeri in draconis intestino: alter vero his verbis idem confirmat, dum ait: Basilio Imperatore ortum fuisse Constantinopoli incendium, quod Basilicam devoravit, in qua fuit Bibliotheca librorum millia centum viginti continens, quos inter erat *draconis intestinum* pedes CXX longum, cui Homeri poemata, Ilias & Ulyssea aureis literis fuerunt inscripta cum historia rerum a Heroibus gestarum. Atque in his quoque piscium pellibus in membranas attenuatis Diploma Hugonis & Lotharii Italiæ Regum scriptum deprehendit Puricellus (k), quumque diligentius archetypum illud cum aliis Imperatorum Regumque diplo-

(h) *Lib.* 3. *Annal.* (i) *Hist. de Basil. Imp.*
(k) *Lib. de Ambrosiana Mediolanensis Ecclesia monumentis.*

plomatibus authenticis contulisset, *ea pariter*, inquit, *visa nobis fuerunt in corio piscis, & aureis literis conscripta; proinde ac si hac ipsa praerogativa conscribi ea olim honoris gratia solerent.* Cur vero membranæ scripturis, quas perpetuas esse volebant earum Conditores, adhibitæ fuerint, facilis est conjectura, quum quotidiana doceat experientia, membranas reliquis omnibus materiis ess potiores, utpote in quibus exaratos plures antiquissimos codices multis jam dudum seculis ad nostram usque ætatem adhuc incorruptos pervenisse conspicimus.

Membranam excipit Philyra seu Philura, quæ a Græcis quidem dicitur arbor, quam Latini tiliam vocant. Plinius tamen (l) philyram nuncupat membranam tenuissimam inter corticem & lignum tiliæ arboris, e qua coronarum lemnisci conficiebantur. Ejus verba sunt: „ Inter corticem & lignum tenues tunicæ „ sunt multiplici membrana, e quibus „ vincula tiliæ vocantur, tenuissimæ „ earum philyræ coronarum lemniscis „ celebres, antiquorumque honore. „ Non solum autem lemniscis, sed vel maxime scripturis serviebat cortex iste, uti testa-

(l) *Lib.* 16. *c.* 14.

statur Martianus (m) dicens: *libri in philyra cortice subnotati.* Et Plinius (n): *Præparantur ex ea chartæ acu divisæ in prætenues, sed quam latissimas philyras.* Ex hujusmodi cortice magnum volumen confectum (chartam Securitatis regiæ dicunt) adservatur in Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca, vidique ipse ibidem inserta tabulis varia in corticibus ejusmodi scripturarum vetustissimarum monumenta.

Charta demum, prout membranæ ac philyræ opponitur, duplicis potissimum generis est, videlicet una e caule fruticis Ægyptiaci, quam idcirco nonnulli chartam Ægyptiacam & Niloticam adpellant: altera, quæ ex linteis contritis facta est, qua hodieque utimur. Primæ materiem subministrat ut dixi caulis arbusculæ, papyrus græcis dictæ, quæ in Ægypti præcipue palustribus nascitur. Ejus folia in modum viminis longa extenduntur, quibus in transversum imposita obductaque sunt alia ejusdem fructicis folia velut opere textorio, quæ glutine quodam oblita, ac ita demum lævigata scriptioni serviunt. Vetustatem chartæ hujus probant tum plures codices omnino antiqui in eadem exarati, & adhuc superstites, tum Romani fasti, qui de variis

(m) *De nuptiis Philolog.* (n) *Lib.* 13.

riis chartarum ejusmodi speciebus meminerunt, veluti chartæ *Augustæ*, chartæ *Liviæ*, *Claudiæ*, quæ omnium optima fuit, vilissima vero *Emporetica*, qua negotiatores ad merces involvendas utebantur. Quamdiu autem perseveraverit charta hæc Ægyptiaca, ejusque usus, non conveniunt inter se Scriptores: satis certum esse videtur, adhuc post Christum natum eam fuisse adhibitam, dicente Dioscoride, qui Plinio fere æqualis fuit (o): *Papyrus nota est omnibus, ex qua charta conficitur*. Quin Mabillonius Ægyptiacæ papyri usum seculo adhuc septimo, nono, & ultra viguisse contendit, adferens (p) partim testimonium Milonis Elnonensis Seculi IX. Monachi, qui in supplemento ad vitam S. Amandi prodit, Martinum Papam ad Amandum misisse Synodi Romanæ exemplar *in papyraceis schedis*, quo nomine charta papyracea intelligitur, quæ nudo papyri nomine apud veteres designari solebat: partim Pontifices Hadrianum I. Joannem VIII. Marinum, Innocentium III. aliosque, qui ejusmodi pupyraceis chartis usi sunt in concedendis privilegiis. Ne vero hæc charta oppido subtilis & tenera vitium a vetustate pateretur, singulis vel pluribus foliis membranas interiecerunt, ut

(o) *Lib*. I. *c*. 116. (p) *L*. I. *c*. 8.

ut tam facile deteri nequirent. Hac industria factum, ut e papyro ista codices etiamnum in celebrioribus bibliothecis, ipsaque Vindobonienſi ſuperſtites reperiantur. Jam vero charta ſeu papyrus, qua nos utimur, e veterum linteorum reliquiis contritis, maceratis, ac in pollen redactis compoſita ſeculo primum XI. vel XII. comparuiſſe videtur, utpote quo poſteriore vixit Petrus Mauricius, Abbas Cluniacenſis, qui (q) libros ſuo tempore lectos fuiſſe memorat *ex raſuris veterum pannorum compactos*. Fuit equidem jam olim chartæ, genus, de quo Titus Livius, aliique Scriptores Romani meminerunt, e linteis, non tamen tritis & ut nunc coagulatis, ſed integris & glutine quodam firmatis confectum; in qua tela lintea, qualem hodie pictores adhibent, ſcribebatur. Chartæ autem huic noſtræ, ſeu vulgari, vix ulla diplomata vel inſtrumenta publica inſcripta reperiuntur, bene tamen epiſtolæ, chirographa, aliaque minoris momenti: quin etiam non pauci ſunt, qui integros libros & codices in charta vulgari ſcriptos vix ſeculum XIV. excedere arbitrantur. Hæc de materia, in qua ſcriptum eſt:

§. II.

(q) *In Tract. contra Judæos apud Mabillonium.*

§. II.

Characteres veteris Scripturæ.

IX.

Nunc agendum de characteribus seu literis, quibus olim scriptum fuit. Eadem profecto sors fuit literarum, quæ linguæ ipsius latinæ, cæterarumque artium bonarum. Hæ enim e rudibus initiis, & velut agrestibus cunis egressæ, postquam accedente sedula cultura ad justam ætatem suam perfectionemque pervenerunt, demum rursus urgentibus fatis in pristinam rudem formam inciderunt seculis illis, quibus barbaries quasi soluta dominabatur. Certe aurea ætate literas latinas ad omnem elegantiam factas in ævi illius numis, saxis & inscriptionibus priscis, quæ communem temporum cladem evaserunt, etiamnum conspicere licet. Verum barbaris gentibus Romanum Imperium inundantibus, uti reliquæ artes, ita & literarum œconomia ac orthographia magnis passibus in deterius ire, corrumpi, fœdarique cœpit, donec rursus posteriora hæc secula priorum vitia emendarunt, remque literariam cum fœnore quodam restituerunt. Quantum vero ad nostrum de re diplomatica institutum adtinet, sex potissimum genera scripturarum considerare juvat, nimirum Ro-

Romanam veterem, Gothicam, Longobardicam, Francicam, Anglo-Saxonicam, & Germanicam, quamvis fateri oporteat, non esse plenam hanc divisionem, quum omnes scripturarum species, quæ in vetustis libris ac monumentis occurrunt, ad hæc genera revocari non possint; quin etiam in his ipsis per singula pene secula quædam fuerint mutata, perpetuo variantibus hominum manibus in scribendo, æque ac linguis in loquendo.

Romana scriptura primæ ætatis (Tab. I. 1. 2. 3.) iisdem fere, si unam alteramve excipias, literis gaudebat, ac nostra latina major, quam idcirco etiam nunc Romanam adpellare solemus, ita ut merito dici possit, primam Romanorum scripturam post tot variationes ac sordes, quas barbaricæ gentes, malique scribæ medii ævi in eam intulerunt, uno & quod plus est, abhinc seculo integritati suæ velut postliminio restitutam fuisse. Duplex autem Romanæ scripturæ genus adsignant plerique Scriptorum, cui tertium quoque addit Mabillonius: ad unum tamen omnia tria facile reducuntur, quum non tam forma, quam sola magnitudine differant, quemadmodum ulna a semissi, & quadrante. Aliqua igitur scriptura constabat literis grandibus, quas *unciales* vocabant. Harum mentionem fa-

cit D. Hieronymus (r), dum ait: *Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel uncialibus (ut vulgo ajunt) literis, onera magis exarata, quod codices: dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas. & non tam pulchros codices, quam emendatos.* Dictæ autem fuerunt *Unciales*, quoniam uncia est pedis pars duodecima, ad cujus mensuram hæ literæ formabantur. Quippe definitum fuisse illis certum magnitudinis terminum satis constat ex epistola Luppi Abbatis Ferrariensis (s), in qua mensuram literarum maximarum & uncialium, quæ penes Regium scriptorem Bertcaudum adservaretur, in schedula diligentissime clausa descriptum mitti sibi postulat. Operosa tamen hæc maximarum literarum scriptura non passim adhibebatur a Romanis, aliisque post ipsos, sed usui erant in inscriptionibus veterum monumentorum, atque in libris ad pompam ostentandam descriptis, in quorum una duntaxat facie characteres isti grandes adparebant, altera relicta intacta. Quandoque etiam nonnulli ultra hanc mensuram progressi sunt, & literis, quas Plautus *cubitales*, nos *Trabales* & *Sesquipedales* vocare

(r) *Praef. in Job.* (s) *Epist. 5. ad Eginhardum.*

re solemus (id est, enormis magnitudinis) libros suos, maxime librorum titulos, horumque gramma primum insignivere. Alia erat scriptura, quæ literis minoribus quidem fiebat, majusculis tamen, quas *Semiunciales* dicere fas est. His antiquissimi codices fuerunt exarati, ut Codex Virgilianus Medicæus, codex Evangeliorum, & Theodosianus, adservati in bibliotheca Herbipolensi. Demum quædam fuit minuta, & minutissima, in familiaribus scriptionibus usitata, rotundis constans literis, non quod in sphæræ modum obvolverentur, & a majusculis essent diversæ, sed quod ob scribendi celeritatem quasi in globos curvarentur: ejusmodi videntur fuisse, quarum meminit Suetonius (t), dum refert *Ejusdem Caligulæ legem scriptam esse minutissimis literis & angustissimo loco, ut ne cui describere liceret.* Atque hæc, ut ita dicam, tria scribendi genera viguerunt apud Romanos usque ad seculum V. post quod

Gothica scriptura cœpit invalescere. Nam inclinante Romano Imperio, magnisque passibus in occasum properante, dum omni ex parte barbari locustarum more Italiam invaderent ac depopularentur, Gothi de-

(t) *In Caligula.*

demum regno Italico potiti sunt. Hi nominis Romani odio implacabili flagrantes, nec contenti ut Imperium susdeque veterent, destruerent monumenta majestate ac vetustate plena, & in ipsos etiam tumulos ac saxa sævirent; non inquam his contenti in linguam quoque & scripturam latinam non modicam stragem intulere. Nam vel abjectis literis Romanis suas satis inconditas substituerunt, vel quum omnem latinitatem eradicare non possent, bene multas e suis immiscendo illam magnopere vitiarunt. (Tab. II. 1. 2.)

Longobardica scriptura non minus quam Gothica Romanæ veteri ac puræ infesta fuit. (Tab. III. 3. 4.) Nam Longobardi, qui Gothis regno Italico exutis successerunt, per varias ejusdem provincias suam, id est, barbaram scripturam & characteres disseminarunt. Tum Gothica in Hispaniam ablegata, & Longobardica per Italiam dominante, utraque intra fines suos ad seculum usque XII. duravit; id quod de Longobardica patet teste Mabillonio ex bulla Paschalis II. Dionysianis Monachis concessa, & ex Bibliotheca Cassinensi, in qua opuscula Guaiferii charactere isthoc ab annis circiter sexcentis exarata habentur. Certe septimi & octavi seculi codices si non omnes, plurimos saltem, præsertim

Ita-

Italicos, Longobardicis literis scriptos inveniri idem Mabillonius asserit.

Franco-Gallica scriptura originem suam debet Francis, postquam Imperium diu velut ventorum turbine agitatum & fluctuans ad ipsos delatum est. Erat autem hæc scriptura varia pro varietate stirpium Regiarum, scilicet Merovingicæ, Carolingicæ, & Capetingicæ. (Tab II. 3. 4. Tab. IV. 3. 4.) In diplomatibus Merovingicis ac instrumentis publicis fere ejusdem formæ scriptura minutior fuit adhibita: at in vetustis ejus ætatis libris sæpius Romana major occurrit. Verum hæc Merovingica sensim multo politior & in formam elegantiorem mutata comparuit Caroli M. temporibus; quin subCarolinis Regibus Romanus character major in pristinam illam aureæ ætatis formam proxime restitutus est. Demum ineunte Capetiorum principatu circa annum 987. etiam Romana minutior, quæ fœdum in modum depravata fuit, emendari magisque excoli cœpta est, retentis tamen sinuosis & oblongis literarum ductibus. (Tab. XV. & XVI.)

Anglo-Saxonica scriptura antiquos admodum natales habet, & quum ab Anglo-Saxonibus in Germaniam multasque alias provincias Catholicæ fidei lumen illatum fuerit, mirum non est, quod complures na-

tionis hujus characteribus descripti codices in Germaniam pervenerint, vel certe a Monachis Anglo-Saxonibus in ea commorantibus exarati fuerint. (Tab. III. 1. 2.) Erat autem character iste lectu difficillimus ob literas minutas, contortas, & inter se implexas, ita ut S. Bonifacius, ille Apostolus Germaniæ, qui Cœnobium Fuldense, ac duos Episcopatus Herbipolensem & Euchstettensem condidit, epistola tertia ad Danielem Episcopum Wentanum data doleat, *se caligantibus oculis minutas ac contextas literas discere non posse: optat hinc sibi transmitti a præfato Episcopo in senectutis solatium libros claris, discretis, & absolutis literis scriptos, quales in hac terra* (nempe Germanica) *acquirere non poterat.*

Germanica quemadmodum lingua, ita & scriptura alia fuisse videtur primorum temporum: alia posteriorum. Fuerunt, qui omnia, quibus hodie utimur, vocabula a se ipsis, & veteri lingua Celtica (Celtarum nomine olim veniebant Hispani, Galli, Britanni, Illyrici & Germani, quibus omnibus unam fuisse linguam Philippus Cluverius Germanicæ antiquitatis peritissimus testatur) a veteri inquam lingua Celtica fuisse velut e fonte accepta asserunt. Sed ut Vossius ait: „Hæc non di-

„cerent,

„ cerent, si scirent, longe aliam fuisse Teu- „ tonicam linguam priscam, cujus bona „ pars deperiit: aliam postea receptam, „ quæ multa admisit exotica, & ita ad- „ misit, ut vetera paullatim venerint in „ oblivionem. „ Eadem mens est Aventino dicenti: *Maxima in nostra lingua est mutatio, adeo ut ea, quæ olim fuerit, ægre etiam peritus intelligat.* Primam mutationem passa est, quando Græcorum migratio & sermo in Europam Celticam incubuit, ita ut non solum ab iis plurima vocabula acceperint Germani, sed etiam in publicis privatisque negotiis literas græcas adhibuerint: qua de re Tacitum testem habemus (u): *Monumenta & tumulos quosdam græcis literis inscriptos in confinibus Rhætiæ Germaniæque adhuc exstare:* ac Cæsarem (x): *Neque fas esse existimant, ea literis mandare, quum in reliquis fere rebus publicis privatisque rationibus græcis literis utuntur.* Alteram fecere mutationem Romani, ubi victricibus armis magnam Germaniæ partem emensi more suo una cum jugo linguam Romanam populis devictis imposuere, quemadmodum de provinciis trans Danubium sitis, deque Rhœtia prima, & secun-

(u) *De mor. Germ.*
(x) *De bell. Gallic. l. 6.*

ſecunda Beatus Rhenanus (y) teſtatur. Verum quum lingua hæc Romana populo adhuc inculto & aſpero pronunciatu perquam difficilis accideret, mox tertia mutatione facta prodiit alius ſermo, quem vulgo *Provincialem* ſive *vulgarem* adpellarunt: Sed & hanc labentibus Romanorum rebus, & Francis (gente Germanica) ubique dominantibus Germani reliqui & Alemanni faſtidire cœperunt, veteremque gentis linguam e ruinis atque cineribus revocare, retentis tamen nonnullis vocabulis, quæ Lipſius (z) recenſet. Atque hæc lingua *Teutiſca* ſeu *Theotiſca* dicta fuit, quæ Provinciali honeſtior ac nobilior habebatur, quum Provincialem vocarent *Ruſticam*, ac plebi relinquendam cenſerent. Quartæ mutationi anſam præbuit Carolus M. qui rerum potitus, uti de bonis artibus & literis, ita de germanico ſermone præclare meritus eſt, dum variis in locis ſcholas erexit, ac linguam *matricem*, quæ Germanica fuit, e tenebris protraxit, obſoletis purgavit verbis, novisque auxit vocabulis, uti Sigebertus meminit (a). Certe Trithemius memorat, obtigiſſe ſibi partem Grammaticæ Teutonicæ

(y) *Lib. 2. rer. German.* (z) *Cent. 3. ad Belgas epiſt.* 44. (a) *In Chronicis ad annum* 749.

nicæ a Carolo concinnatæ inſpiciendam: ſed characteribus tam informibus ſqallentem, ut a nullo mortalium legi atque intelligi poſſe crederet. Dum hac ratione labor Caroli caſſus eſſet, latinus, ut antea, ſermo ſcribendis atque tractandis rebus qua privatis qua publicis adhibebatur (Tab. XI. 1.) ferme usque ad tempora Friderici II. Imp. quo regnante quinta demum mutatio facta eſt. Quippe ſuperatis omnibus difficultatibus lingua Teutonica ſuis exarari ſcribique literis, atque in tribunalia, Curias & Aulas invehi cœpit: hujus Imperatoris veſtigiis inſtitere Rudolphus I. & Maximilianus I. qui publico edicto ſanxerunt, ut quæ Romano olim ſermone, nunc Teutonum lingua ederentur. Denique Caroli V. ævo barbaries omnis abſterſa fuit, & ſequentibus annis tam lingua hæc quam ſcriptura ad magnam, qua hodie fruimur, elegantiam eſt perducta. Tremula vero ſcriptura, in majoribus ſaltem literis, invecta eſt Imperantibus Ottonibus ſæculo X. (Tab. XI. 2.) Hæc omnia tamen de codicibus & diplomatis latino charactere ſcriptis ſunt intelligenda.

§. III.

§. III.

Forma ſcribendi.

X.

Expoſita materia, & characteribus ſcripturarum venio ad formam ſcribendi, quæ in veterum chartis, codicibus, & diplomatibus etiamnum hodie elucet. Hæc autem potiſſimum in orthographia, interpunctis, vocibus breviatis, & modo ac ordine ſcriptionis conſiſtit, quæ ſingula paucis exponam. *Orthographiæ*, quæ recta literas formandi ratio eſt, tanta reperitur diverſitas, quanta ſæculorum, quum in quolibet fere ſæculo alia aliaque occurrat, nulla publica ſed ſolum privata ſcribentium auctoritate, ſeu potius placito uſuque introducta, manu linguæ barbariem & inſcitiam perpetuo comitante. E plurimis pauca delibo, exempli loco in aliis ſervitura. A. litera absque lineola media ut plurimum ſcripta deprehenditur Λ non raro etiam cum incumbente ſuperius linea Λ̄ . . . litera B. pro P. in antiquioribus codicibus legitur, qui mos Longobardorum erat, uti *Bræter* . . . Litera C. cum litera Q. permutata fuit: *Cottidie*, *Antiqus*: item cum G. *Evancelium*: rurſus cum T. *Oracio* . . . literam F. loco PH. adhi-

adhibuerunt Romanorum more, ut *Triumfus, Filippus*... Litera H. tum quæ initio, quum quæ in medio alias poni solet, sæpius omissa fuit: *Ortus* loco hortus, *ypocrisis* pro hypocrisis: *peribetur* loco perhibetur: aliquando adjecta, ut *habundabit* pro abundabit: *Hludovicus* pro Ludovicus... Litera K. posita in vicem C. *Karolus*, *Kalumnia*, vel etiam in vicem H. *Kymnus* pro Hymnus... Literam O. attexuerunt literæ U: *Oudalricus*, aut interjecerunt: *Altuo* pro Alto... Litera S. non raro utebantur pro X. ut *esscellenti* loco excellenti... Litera U. munus literæ O. obivit: *Epistula*, *Cænubium*; aliquando interiecta fuit, veluti *Chuonradus*... Litera Y. per I. simplex crebrius scripta fuit: *Ægiptus*... Diphtongus Æ. æ. modo per A & E, a. e. separata, modo Æ. æ. conjuncta, modo per ę caudatum expressa invenitur: *Caesar*, *Cæsar*, *Cęsus*. Illud quoque notatu dignum, quod olim præpositiones ita fuerint ante verba composita collocatæ, ut nulla literæ sequentis mutatio interveniret. v. g. *Inlustris*, *Conlaudo*, *adfectio*, *obfensus*, quas voces, uti & alias similes posteriora secula ut emollirent eorum pronunciationem, scribere solebant duplicando sequentem literam, abjiciendoque priorem: *Illustris*, *collaudo*,

asse-

affectio, *offensio*. Sed hac ætate non pauci antiquitatis studiosi priscum has voces scribendi morem revocare videntur.

XI.

Interpunctiones, quas Cicero nominat interpuncta, sunt certæ notæ, quibus scriptio velut in partes secatur. Equidem non omnis interpungendi ratio ignota fuit veteribus, dicente Aristotele (b): *Scripta Heracliti interpungere operosum est, quia incertum, utri vox conjungenda, an priori an posteriori &c.* ac Cicerone, qui Crassum inducit loquentem: *Non librariorum notis, sed verborum & sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus veteres esse voluerunt* (c). Apud Græcos ante Aristophanem perpetuo quodam tractu vox vocem sequebatur, ipsæque etiam sententiæ eandem intra lineam producebantur, usque dum finitæ perfectæque fuerint; tum mox alteram auspicabantur alia linea, eodemque modo ad finem perduxere, ita ut aliquando duas, interdum tres aut quatuor lineas una occupet; quemadmodum etiam hodie videmus multas sacras Scripturas, & in horis Canonicis, quas *Breviarium* vocant, Psalmos Davidicos typis impressos, hoc discrimi-

(b) *Rhetor. l. 3. c. 5.* (c) *De Oratore l. 3.*

mine, quod hic non solum sententiæ sint separatæ, sed ipsæ quoque interpunctis distinctæ. Has autem sententias ita terminatas Græci στίχυς, quod ordinem sulcorum aratro ductorum significat, Latini vero *versus* nuncuparunt a versione aratri, quæ metaphora lineis certe solis convenit. Unde etiam ortum esse videtur verbum *exarare*, quod idem est ac scribere. Quum vero primi apud Græcos omnium testimonio fuerint Poetæ, qui scripsere, primi etiam versibus usi sunt, ita ut uno versu unum metrum complecterentur, & una linea unum versum absolverent. Ab his sumto exemplo reliqui etiam scriptores prosæ orationis suas lineas, intra quas una continebatur sententia, versus adpellasse videntur. Atque inde nata est prima distinctio per versus, qui majores vel minores erant, prout sententia pluribus vel paucioribus verbis absolvebatur. Horum versuum summam ad finem subductam exhibebant libri, ut tradit Justinianus in binis Constitutionibus (d), *veteres Jurisconsultorum libros ad trecenties millia versuum excurrisse.* Tum vero Aristophanes modum, quo eodem in versu periodi & cola distinguerentur, invenit, ac notas ad intervalla signan-

(d) *De Concept. & Confirm. Digestorum.*

signanda commentus est. Primam Latini, qui a Græcis accepere, vocarunt *Distinctionem*, alteram *Subdistinctionem*, tertiam *Medianam*. Distinctio punctum erat, quod in apice ultimæ vocis alicujus, in quam periodus desiit, literæ collocabatur, v. g. ESSE VIDETUR˙ Subdistinctio posita erat in imo literæ parte v. g. ESSE VIDETUR. Mediana ad mediam ejus parte v. g. ESSE VIDETUR· Hunc distinctionum in solis punctis consistentium usum in sacrum quoque codicem induxit D. Hieronymus, novo ut ipse ait (e) scribendi genere, secutus exemplum Demosthenis & Ciceronis, *Quia idem in Demosthene & Tullio fieri solet, ut per cola scribatur & commata.* Verum tunc-temporis omnis interpungendi ratio facta est duntaxat per punctum, suis tamen locis variatum: superius, medium, & inferius, uti docet Lipsius (f). Quare punctis singulis tota distinctio & subdistinctio librorum constabat tam apud Græcos, quam apud Latinos, quibus nostra puncta singularia, quæ sententiæ absolutæ nota sunt, & virgulæ ac duo puncta, quæ sententiam nondum esse integram ostendunt, sed veluti suspensum tenent, prorsus erant ignorata. Hæc clare Isi-

(e) *In præf. ad translat. Isaiæ.* (f) *Cent.* 3. *epist. miscell.* 39.

Isidorus (g) describit, inquiens: *Sunt tres positurae, prima subdistinctio dicitur eadem & COMMA: media distinctio sequens & ipsa est COLON: ultima distinctio, quae totam sententiam claudit,* PUNCTUM. Frequentior postmodum usus distinctionum invaluit seculo VII. ubi finis periodi ut plurimum puncto notatur. Continuatus hic mos seculo VIII. ubi etiam commata quaedam comparent. Plenior & constantior demum consuetudo se prodidit sub Carolo M. qui Praeceptoris sui Alcuini & & Warnefridi opera eandem in codices induxit. Certe prioris elegans monitum exstat discipulis suis relictum (h) scilicet ut

Per cola distinguant proprios, & commata versus,
Et punctos ponant ordine quosque suo.

Caetera ad hunc usque Imperatorem in scribendis tum diplomatibus tum libris nullam fere verborum distinctionem factam fuisse a Notariis testatur Mabillonius. Et si quae hinc inde occurrat, tam rara est, simulque loco tam iniquo posita, ut velut per errorem calami id contigisse videatur.

XII.

Voces breviatae, quas *abbreviationes* vulgo dicimus, sunt compendiariae scripturarum

(g) *L.* 1. *orgin. c.* 19. (h) *Epist.* 15.

rum notæ. In hac scribendi forma triplicem viam inierunt Prisci, nimirum vel per notas, vel per utrasque. Nam notæ, ut multi existimarunt, sed perperam, non sunt literæ, sed *Sigla*, quod latinum est vocabulum, ut recte observavit Petrus Gregorius Tolosanus, eruditus in paucis Jurisconsultus (i), contractum ex Sigillo, quasi dicas Siglum *parvum sigillum*. Quemadmodum enim Sigillum est parva icuncula, qua literas obsignamus, ita Siglum est nota, qua intelligitur plus esse legendum, quam expresse scriptum sit. Primum itaque scripturæ compendium fiebat per has notas seu sigla, quæ integras voces designabant, dicebanturque *notæ Tironis*. Tiro enim Ciceronis libertus eas excogitasse fertur, auxisse vero Seneca. Ejusmodi nota seu siglum erat  quod mundum,  quod modum,  quod tempus significabat:  quod Senatum Populumque Romanum,  quod Senatus consultum indicabat. Atque notarum istarum beneficio citata oratio excipiebatur, ut loquitur Seneca, & angusta pagina libri vasti arctabantur. Nam hac ratione tum dictantium verba, tum describendorum librorum exemplaria incredibili celeritate adsecuti sunt scribæ, ut Martialis scite canit (k):

Cur-

(i) *L. 16. de Repub. c. 1.* (k) *L. 14. epigram.*

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Et Prudentius (l):

Raptimque punctis dicta præpetibus Sequi.

Frequentissimus autem usus notarum erat apud Romanos: quin & a Christianis auctæ fuerunt, ita ut integra quoque Psalteria, quæ vocant, priori ævo ejusmodi notis scriberentur. Sed quod beneficium erat scripturæ apud alios, in maleficium grande transiit apud Leguleios & Notarios. Nam & Jurisperitorum libri & Instrumenta publica similibus notis, sæpe recens inventis, olim scatebant, quas vero ob pessimum abusum & fraudes plurimas severe prohibuit Justinianus Imperator, dum lege sanxit (m): „ Ne per scripturam aliqua „ fiat imposterum dubitatio, jubemus non „ per siglorum captiones & compendiosa „ ænigmata (quæ multas per se, & per „ suum vitium antinomias induxerunt) „ ejusdem codicis textum conscribi (n). „ Ean-

(l) *De S. Cassiano.* (m) *L. 1. Cod. tit. 17. de veteri jure enucleando. Leg. 1.* (n) *Ead. tit. leg. 2.*

„ Eandem pœnam falſitatis conſtituimus „ adverſus eos, qui in poſterum leges no- „ ſtras per ſiglorum obſcuritates auſi fue- „ rint tranſcribere. . . . Neque enim li- „ centiam aperimus ex tali codice in Ju- „ dicium aliquid recitari, qui in quacun- „ que ſui parte ſiglorum habet malitiam „ &c „. Nihilominus longiore poſt tempore in codicibus Juris remanſit usus eorum, quæ ſæpe imperitis crucem figunt. Hodie tamen Juris conſulti hujusmodi notis ſolum utuntur in *allegationibus*, & in his quidem admodum parce. Cæterum notas Tironis, de quibus dixi, e tenebris in lucem protraxere Iſidorus (o), Goltzius, Manutius, Lipſius, Mabillonius: præcipue vero Gruterus (p), qui copioſum earum catalogum exhibet. Ex his, quæ ad quinque millia excreverunt, quædam in codices vulgari more exaratos breviandarum vocum cauſſa traductæ ſunt: in diplomatibus quandoque ac potiſſimum in eorundem ſubſcriptionibus occurrunt. Alterum ſcripturæ compendium veteres adhibuerunt, literam duntaxat unam primam, vel tres, aut plures cujusdam vocabuli, quod exprimere volebant, ſignando; cujus rei exempla e quam plurimis aliqua alphabeti or-

(o) *L. 3. de etymol. c. 11.*
(p) *in Inſcript. ad finem.*

ordine proferre juvat, A. A. V. C. *Anno ab urbe condita.* A. B. V. *Arbitratu boni Viri.* B. F. *Bona fide, bona fortuna.* B. R. P. N. *Bono Reipublicæ natus.* C. C. C. *Censa civium capita.* CUNC. *Conjux.* COM. B. *Commune bonum.* D. B. I. *Diis bene juvantibus.* DEDD. *Dedicavit.* DIG. M. *Dignus memoria.* E.B.S. *Ex bonis suis.* EX.R. *Exactis Regibus.* F. D. *Fide data.* FOR. *Forum, Forte.* GL. R. *Gloria Romanorum.* GR. D. *Gratis dedit.* H. M. P. *Hoc monumentum posuit.* H. L. S. *Hoc loco sepultus.* IM. *Immortalis.* INL. *Inlustris.* K. IAN. *Kalendæ Januarii.* K. C. *Chartago Civitas.* L. AGR. *Lex Agraria.* LC. S. *Locus Sacer.* M. A. *Memori animo.* M. EQ. *Magister Equitum.* N. Q. *Nusquam.* NAT. GAL. *natione Gallus.* OB. *Obiter.* O. E. R. *Ob eam rem.* P. C. *Patres conscripti.* P. C. N. *Posuerunt communi nomine.* Q. *Quintus, Quirinus, Quæstor.* Q. D. E. R. F. P. *Quid de ea re fieri placet.* Q. V. A. *Qui vixit annis.* R. G. C. *Rei gerendæ caussa.* ROM. RED. *Roma redux.* S. A. *Salus.* S. P. Q. R. *Senatus Populusque Romanus.* S. C. *Senatus Consultum.* S. D. S. *Soli Deo sacrum.* S. OF. *Sine offensa.* T. P. *Titulum posuit.* TR. MIL. *Tribunus militum.* V. BF. *Vir bonæ fidei.* V. D. L. *Videlicet.* V. S.

Votum solvit. X. *Decimus. Denarius.* XBER. *December.* Ex his duobus scribendi compendiis natum est tertium, veluti ex utroque (notarum scilicet & literarum) conflatum. Exempla hujus sunt ATR. *Auctoritas.* BT. *Brevi tempore.* 9SVS. *consensus.* C9NS. *Cautiones.* EX9i. *Existimationi.* H. *Hora.* I. *Inter.* H. *Interea.* L. *Locus.* R. *Rex.* NE7. *Necesse est.* X. *Decies.* T. *Trans. &c.* Præter hæc alia quoque uti frequentior in Codicibus & Diplomatibus, ita lectu longe difficilior syncopandi ratio priscis in usu fuit, dum vel vocibus dimidiatis, vel literis inter se implexis, vel adjectis diversis calami ductibus, vel characteribus sursum & deorsum adpositis scripserunt. In hoc scribendi genere potissimum sese exercuerunt Viri Religiosi in Cœnobiis circa seculum XIV. describentes in membranis sacros & profanos auctores, quorum magna pars non tam scribendi elegantiæ, quam celeritati per notas & vocum *breviationes* operam dederunt; unde postea natæ sunt tot lectionum varietates, tamque contrariæ criticorum sententiæ: & quod pejus est, ob male lecta codicum authographa, & sic descripta, omissis etiam quandoque integris lineis, quæ legi non poterant, multi errores in historiam irrepserunt, immo &

gra-

graves circa Diplomata & Instrumenta publica lites in tribunalibus sunt excitatæ. Sed hæc, de qua dixi, syncopandi ratio tam varia fuit, ut singulis pene seculis, & in quovis rursum alia aliaque prodierit forma, ita ut certa regula tradi haud possit, sed ex ipsis seculorum scripturis addisci debeat. Non pauci scriptorum tabulas diversissimarum scripturarum ediderunt, uti Joan. Bapt. Palatinus Romanus, Petrus Hamon Regii Cubiculi Notarius regnante in Gallia Carolo IX. Fr. Jacobus Bonaventura Hebprunus Scotus, Daniel Eberhardus Baringius, ipse Mabillonius. Maximum tamen obsequium hoc in negotio nobis præstitit Joannes Ludolphus Waltherus, qui Lexicon Diplomaticum Göttingæ edidit An. 1745. plenum ejusmodi *abbreviationibus* secundum seriem seculorum. Ex his fragmenta quædam singulis scripturis, seculis, & Diplomatibus convenientia decerpere visum fuit, & in tabulas collecta ad libri hujus finem adponere, ut artis hujus tyro e parvis ideas ad majora animo concipere queat.

XIIII.

De ordine & modo, quem Veteres in suis scripturis tenuerunt, ut pauca dicamus, imprimis antiquissimi codices neuti-

quam fuerunt *opiſtographi*, ſeu ex utraque parte ſcripti, cujus rei cauſſam duplicem adſignare licet: primo quidem, quia exarati fuerunt ad formam *Rotulorum* ut vocant, ſive in membrana vel papyro, qui poſtmodum convoluti fuerunt (unde Volumina dicuntur) ita ut pars adverſa literis vacua veluti pro involucro & theca ſerviret. Dein quia in charta Ægyptiaca ſeu Nilotica, quam ſupra deſcripſi, quæque tunc temporis potiſſimum ad ſcripturas codicum adhibebatur, ob nimis tenerum ejus textum ex utraque parte ſcribi non poterat. Ubi vero ſeculo VI. & VII. robuſtior membrana tenuiori ſucceſſit, utraque voluminis facies literis frequentari cœpit. Non deſunt, qui opiſtographarum hujusmodi ſcripturarum initium tribuunt Julio Cæſari, de quo Suetonius (q): *Epiſtolæ quoque ejus ad ſenatum exſtant, quas primum videtur ad paginas & formam memorialis libelli convertiſſe; cum antea Conſules & Duces nonniſi transverſa charta mitterent.* Quidam fuerunt, qui alium ſcribendi ordinem ſectati non recta linea integram paginam percurrebant, ſed ſcripturam in columnas diviſere, ita ut modo duas, modo tres una pagina oſtentaret, quemadmodum hodie adhuc fieri cernimus in impreſſis *Concordantiarum S. Scripturæ* libris. Codicibus au-

m quacunque demum ratione conſcri-
veteres ad calcem adpoſuerunt con-
am formulam *Explicit liber*, vel *Ex-
it liber feliciter*, vel *Explicitum Opus*,
inuerent, librum eſſe finitum, inte-
n, & completum. Ad ætatem vero
candam ſeculo VIII. & IX. non raro ad
n adjectum legebatur nomen vel
, cujus ævo, vel illius, cujus juſſu
itus fuit codex ille, v. g. *Regnante
mo Karolo, Hludouuico &c.* aut *Wic-
nus Archiepiſcopus fieri juſſit.* Hæc
rdine, nunc de modo ſcribendi; Li-
r, qui præ cæteris communius in uſu
priſcis ad exarandas ſcripturas, fuit
mentum, quod teſte Plinio (q) ex
arum fuligine, commixta cum reſina &
, ac flammis ſubacta, vel ut alii tra-
t, e collecta furni atra materie, adje-
gummi & taurini glutinis liquati maſſa,
poſuerunt. Ad literas vero primarias,
los, & novarum ſectionum initia ſcri-
da frequentiſſime adhibebant minium
em Plinio atteſtante (r); quin etiam
ui libri integri colore iſto picti reperiun-
. Inde natæ ſunt *Rubricæ*, quas poſt-
dum e MSS.is ad impreſſos codices ſe-
o XV. tranſtulerunt typographi; En-
iſtum autem e muricis & conchilii cruo-
re

q) *L.* 35. *c.* 6. (r) *L.* 33. *c.* 7.

re compositum solis Imperatoribus ad publica scripta conficienda serviebat: quare Leo Imp. (s). *Sacra Rescripta alio colore quam purpurea inscriptione lustrari vetuit.* Nobilius scripturæ genus erat, quod codices sat multi membranis purpureis, & literis auro argentoque splendentibus, ac variegatis coloribus distincti exhibent. Audiamus Hieronymum (t) dicentem: *Habeant, qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos &c.* item (u): *Inficiuntur membranæ colore purpureo, aurum liquescit in literas.* Non solum autem in gratiam Principum & Illustrium Personarum libri integri hac ratione conscripti fuerunt, sed vel maxime Codices Sacri, veluti Psalteria & Evangelia, quales in Germania plures adhuc supersunt, & celeberrimus est Evangeliorum codex Sanct-Emmeramensis a Carolo Calvo huic Monasterio donatus. Mos hic exarandi libros sacros, pretio & arte mirandus, maxime viguit a temporibus Imperatorum Francicorum per plura secula; quamvis fateri oporteat, esse longe antiquiorem. Nam de Eleazaro Principe sacerdotum apud Judæos testatur Josephus (x), quod

(s) *L. 6. C. de diu. rescr.* (t) *Præf. in Job.* (u) *Epist. ad Eustoch.* (x) *L. 12. Antiq. Judaic. c. 2.*

quod per ſeptuaginta Interpretes Sacros libros ad Ptolemæum Philadelphum in membranis tenuiſſimis exaratos, aureisque literis ſcriptos miſerit. Præter hæc multiplex ornatus in veterum codicibus ſpectandum ſe præbet. Nunc integram fere paginam purpureo colore illitam unica duntaxat litera variis parergorum mœandris circumducta occupat: nunc ſubtiliſſimæ auri lamellæ membranis ſuperinductæ cernuntur, ita ut ab iis ſeparari nequeant, quibus literæ grandiores, aut imagines punctis pictæ inſeruntur, quæ ars inter deperditas modo numeratur: nunc in fundo cæruleo vel viridi animalia, flores, quin & ſacræ hiſtoriæ monumenta atque emblemata penicillo illuſtrata comparent, ſimplici quidem ac rudi cultu, ſi proportionem ac ſymmetriam, ſed ſi colorum vivacitatem ſpectes, miro artificio. Vidi ejusmodi ſplendidos in Baſilica Cathedrali Senenſi ad decantandas in choro, ut vocant, horas canonicas per integrum annum deſtinatos quadraginta, ni fallor, codices, ducentorum & quod plus eſt annorum impendio ſcriptos pictosque, in quibus omnis ornamentorum hactenus deſcriptorum ſupellex continetur, quam ſatis admirari non potui.

Ap-

Appendicis loco dicendum aliquid superest de compacturis librorum. Antiquis temporibus ea volumina, quæ membranis constabant, filo aut etiam serico consuta fuerunt; illa vero, quæ papyro, conglutinabantur. Tum paginis glutine vel filo, ut dictum est, junctis hæc volumina bacillo ad formam cylindri, quem *umbilicum* dixere, muniebantur, ut facile convolvi ac explicari possent. At in codicibus paginæ in terniones aut quaterniones distributæ & malleo planæ redditæ colligabantur, addita veste seu theca, quæ in antiquissimis libris plane simplex binis e ligno tabellis erat constructa. Seculo autem XII. & XIII. hæ tabulæ ligneæ cœperunt membranis obduci: in medio autem & angulis utriusque lateris bulla adnecti ex orichalco, ne compacturæ tam facile vitium paterentur. Tenuit hic libros compingendi mos usque ad seculum XIV. quo remotis etiam ligneis papyraceæ tabellæ crassiores corio suillo aut alio decenter vestitæ successerunt. Quum autem experientia docuit, multos vetustiores codices hinc inde e Bibliothecis furtive subductos fuisse, non raro vinculis atque catenis alligabantur scriniis, quo securiores essent a rapacium manibus. At sacris codicibus longe major habitus est

honor,

honor, qui foris vel holoſerico rubro fuerunt involuti, vel eorum exterior theca imaginibus Sanctorum, aliisque ſymbolis pictis ornata, aut etiam argento, auro, gemmis & lapidibus pretioſis dives hodie adhuc ſpectatur.

CAPUT III.

NOTÆ ANTIQUITATIS SCRIPTURARUM.

§. I.

Scripturæ veteres ſecundum ſeriem ſeculorum.

XIV.

Præmiſſa generatim notitia circa materiam, characterem, & formam veteris ſcripturæ, nunc per ſingula nobis ſæcula eundum eſt, & adinſtar armiluſtrii curatius inſpiciendæ rationes, quas in ſcribendo illa tenuerunt, ut rectum circa antiquitatem & ævum tum chartarum & codicum, tum diplomatum ferri judicium poſſit. Initium autem a *Seculo V.* merito ducendum eſſe videtur: nam ad illud

usque

usque Romana, de qua dixi priore Capite (§. II. n. IX.) ſcribendi methodus obtinuit, quamvis aliquam quoque literarum paucarum variationem ſubierit. (Tab. I.) Igitur a ſeculo V. invaluerunt literæ Gothicæ, dictæ Toletanæ. Has invenit Ulphila Gothorum Epiſcopus Arianus qui circa annum Chriſti 375. temporibus Imperatorum Valentiniani & Valentis vixit, ſacraque Biblia in Gothicam linguam tranſtulit, iisdem ſignata literis: Libros vero Regum hiſtoriam continentes ſtudioſe fertur omiſiſſe, ne Gothi dum bella legerent in iis deſcripta, magis adhuc incitarentur ad arma, ad quæ jam ſatis ſuapte natura erant proclives. Verum nunc præter Evangelia ex Ulphilano ſacro Codice nihil ſupereſt. Atque hæ literæ in Hiſpania primum uſui eſſe cœperunt, poſt in alia etiam regna introductæ. Prima fronte græcæ magis quam latinæ adparent: re ipſa Gothicum Alphabetum e triplici literarum claſſe conſtructum eſſe deprehenditur. Nam aliquæ a græcis mutuatæ ſunt, ut B. Γ. K. λ. M. N. T. X. aliæ vero a latinis, ut G. h. I. S. Y. Z. reliquæ ſunt peregrinæ. (Tab. II. 1. 2.) Hujus autem ſcripturæ Gothicæ, uti & linguæ, uſus viguit in Hiſpania usque ad ſeculum XII. ac frequentiſſimus erat etiam apud alias natio-

nationes in Codicibus, præſertim Evangeliorum & Actorum in Conciliis, ita ut ejusmodi ſcripti Codices ad mille annorum & ultra ætatem aſcendant, in quibus Romanæ literæ ſuccedentibus temporibus ſic corruptæ fuerunt, ut nihil fere de priſtino nitore retinuerint.

Poſt *medium Seculi VI.* invaluit ſcriptura Longobardica. (Tab. III. 3. 4.) Hæc charactere Romano & Gothico minore gaudebat, Romanis tamen literis majoribus, licet & his corruptis, ad initia librorum adhibitis. Duplex autem erat Scriptura iſta, Literaria & Diplomatica: Illam deſcribit Gerſon (y) inquiens: *Litera ſit legibilis, ſit punctuata, ſit purgata, qualis eſt Longobardorum, non involvens ſe tractibus ſuperfluis.* At hoc in Diplomatica obſervare non licet, quæ lectu admodum difficilis eſt. Cæterum in hac ſcriptura primum ſeparari cœperunt voces, & puncta in fine ſententiæ fuerunt uſitata. Erat tamen pro temporis diverſitate diverſa: antiquior paullum eſt corrupta, & craſſo calamo conſcripta, literis nondum ſat ordinatis. Potiores harum cum noſtris conveniunt, niſi quod ɑ. ƀ. ꝺ. x. ꞃ. ſ. ꞇ. parum ſint immu-

(y) *De Laud. Script. Conſid. IX.*

immutatæ. Majores literæ initio positæ a scribis varium ornatum accepere, avium etiam aliarumque animalium figuris intertextæ, qui mos obtinuit præsertim seculo VI. VII. & VIII. Antiquitatis notam potissimum præsefert scriptura Longobardica in litera ſ oblonga (nobis s) qua & in fine & in medio nullo discrimine facto utebantur, idque usque ad seculum XII. quo primum s ad finem vocis adhiberi cœpit. Plerosque libros veteres tali charactere Longobardico videmus descriptos, qui quantum ad literas, usque ad seculum X. parum inter se discrepant, nisi quod seculo VI. sint magis crassæ ac pingues, & voces plusquam oportet connexæ: (Tab. IV. 1. 2.) seculi autem VII. literæ ad Romanas majusculas propius accedant.

Seculo maxime *VII.* (Tab. V. 2.) animadverte licet scripturarum compendia seu *abbreviationes* vocum, de quibus alibi jam egimus, verecunde adhuc adhibitas, cujusmodi sunt: dnm̄ Ihm̄ Xpm̄, *Dominum Jesum Christum.* SCORUm̄, *Sacrorum.* SCITAS, *Sanctitas.* INCP̄, *Incipit.* sd̄ an̄, *Sedit annis.* I-ct, *Idibus.* mrs̄, *Martyres.* eps̄, *Episcopus.* prbrorū, *Presbyterorum.* capt, *Capitulum.* KARLO Imp̄, *Carolo Imperan-*

te

te. Ꝑ *per.* G *&.* ꝗ *quod.* urm, *veſtrum.* Kme, *Chariſſime,* & ſimilia plura. Etiam quod mireris, occurrunt literæ majusculæ ita poſitæ, ut a fronte vel a tergo repeti debeant ad integram vocem conſtituendam. Sic teſte Struvio (z) in Pandectis Florentinis reperire eſt Dactyliotheca M eam, pro *Dactyliothecam meam:* in MSto. Symachi Sa TEMporis, pro *ſat te temporis:* apud Apuleium in LemurES reformant, pro *in lemures ſe reformant.*

Seculo VIII. & *IX.* manus adparet in ſcribendo nonnihil tremula; alias eædem fere ac ſeculi VI. literæ. Intervalla quoque & hiatus inter vocum integrarum literas notare licet, ita ut aliquæ earum ab una voce in aliam translatæ videantur, ac primum ab ipſo lectore velut ſeparari debeant, & ad ſuum quæque vocabulum revocari. Sub medium tamen ſeculi IX. ſcriptura ad noſtrarum literarum nitorem propius aliquantum accedit, præſertim in majoribus literis Longobardicis. (Tab. VI. & VII. 1. 2.)

Seculo X. & XI. characteres paullo minores & craſſiores characteribus priorum ſeculorum inveniuntur. Breviatas voces non adeo multas eſt reperire ſeculo X. niſi quod m & n ſæpius cum lineola ſuperſcri-

(z) *L.* 52. §. *ult. de leg.* 3.

ſcripta, & que per q;, 9 pro us, paucaque alia occurrant: at ſeculo XI. longe frequentiores. (Tab. VII. 3. & VIII. 1.)

Seculum XII. & XIII. literas oſtendunt grandiores, magisque nitidas: aliquando s utuntur ad ſinem vocabuli loco ſ oblongi, quod ante ſeculum XI. nullibi factum reperitur. Accrevit his ſeculis *abbreviationum* frequentia, quarum notas varias lineolis, ductibus calami, aut literulis ſuperſcriptis adjecerunt vocabulis. Duplex quoque ſeculi XIII. ſcriptura eſt: ſub initium minoribus characteribus & veluti criſpatis; circa finem craſſioribus & longioribus. Hujus ſeculi nota propria eſt litera *í*. accentu acuto ut plurimum ſuperius notata. (Tab. VIII. 2. 3.)

Singularis eſt *ſeculi XIV.* ſcríptura, perquam obtuſa, craſſa, literis presſis, manu tremula, calamo rudi. (Tab. IX. 1.) Integra heic breviatarum vocum & notarum ſuperinjectarum ſilva ſeſe pandit, quæ lectionem faciunt adeo difficilem, ut vix Oedipi œnigmatibus his ſolvendis pares inveniantur. Difficultatem augere ſolent in codicibus papyraceis atramentum pallidum, & literarum inter ſe nexarum veluti catena. Cœpit eodem ſeculo litera û notari circumflexo:

ac &

ae & oe vel conjunctim æ. œ. vel cum virgula inferius aę. oę. collocata signari.

Seculo XV. circa illius medium sensim a barbarie vindicari cœperunt literæ ac orthographia. Tab. IX. 2.) Literæ í. demptus accentus, & punctum j. substitutum: introductæ distinctiones sententiarum, & *abbreviationibus* literarum limes positus fuit. Sed hæc metamorphosis lento quasi passu processit. Hinc in plurimis adhuc codicibus hujus seculi ʃ longum in fine, & í cum accentu comparet ob quorundam in antiquitate servanda tenacitatem. Ad umbiculum tamen illius certabant eruditi viri, ut pristinum splendorem restituerent, dum libros a se compositos elegantissimo charactere descriptos modo in membrana, modo in charta offerrent Regibus atque Principibus, qui literatos fovebant, & ornandis bibliothecis erant intenti. Literæ sunt acutæ, tenues, & ad amussim compositæ: lineæ intervallo æquali distantes: scriptura suis commatis, colis, & punctis distincta. Ornatus in literis principalibus maxime enituit, de quo capite priore disserui; hoc tamen discrimine, quod in codicibus antiquioribus aurum & colores fuerint magis vivi ac densi, ars modica: in recentioribus vero aurum magis

tenue, non minus ac colores, artificium tamen majus. Verum ubi typographia caput extulit, ſcribarum calami ſenſim labori huic valedixerunt, & ſuccedentibus temporibus inculta ſcribendi ratio, quæ in prima typographiæ opera ex authographis ſeſe transfudit, plurimum emendata, & ad ſummum ſplendorem perfectionemque, quam nunc videmus, evecta fuit.

§. II.

Notæ Antiquitatis.

XV.

Abſoluto per ſecula itinere ſtatuendæ ſunt quædam notæ, quæ ſcripturarum in priſcis codicibus & MSS.is aliis occurrentium antiquitatem nobis pandant, quæ res hucusque ſcriptorum fere omnium ingeniis crucem fixit. Certe negotium hoc ipſa chartarum, codicum, diplomatumque qua Eccleſiaſticorum qua Forenſium alio aliove charactere ac orthographia inſignitorum copia intricatisſimum, & labyrintho, cui filum Ariadnes deeſt, ſimile reddit, cujus rei rationem poſtmodum reddam. Interea ſeculi præſentis induſtria & ſagacitas eo artis hujus ſtudium perduxit, ut vanarum ac inutilium conjecturarum fines ſupergreſſa

gressa non procul a vero abesse censeri possit. Mihi duplex ad antiquitatem investigandam via ineunda esse videtur: una, quae de illa universim cognoscenda, altera, quae de ea singillatim & per seriem dignoscenda instituatur. oportebit tamen nonnulla e priore paragrapho repetere, ut lux clarior affulgeat, & suo quaeque ordine procedant.

Prima igitur antiquitatis nota communis omnibus est *character scripturae*. Hic vel est Romanus, vel Gothicus, vel Longobardicus, vel Saxonicus, Franco-Gallicus, vel Germanicus. Si Romanus, scriptura erit ad prima quinque secula vel ultra etiam referenda. Si Gothicus, continebit se intra seculum quintum, & duodecimum. Nam Theodoricus ostrogothorum dux caeso ex insidiis Odoacre regios honores & Italiam cum reliquis Occidentalis Imperii provinciis ab Anastasio Imp. impetravit an. 493. Si Longobardicus, incipiendum est circa medium seculi sexti usque ad duodecimum. Longobardi enim Alboino duce seu Rege pedem in Italia posuerunt an. 568. & liguriam, insubriam, totamque fere superiorem Italiam subegerunt. Si Anglo-Saxonicus, inchoavit hic circa medium seculi quinti. Nam quum Bri-

tanni bello cum Pictis, Scotis, & Hibernis essent impliciti, opem Germanorum implorabant, qui in Britanniam transfretantes (videlicet Angli ex agro Schlesuicensi, & Saxones ex Hamburgensi ac reliquis ad Albim regionibus) hostes domuerunt, sed paullo post pulsis ipsis Britannis regno potiti sunt an. 455. Viguit hæc scriptura apud Anglo-Saxones usque ad Guilielmi Conquæstoris principatum an. 1066. quo tempore factum est, ut modus scribendi Anglicus omitteretur, admittereturque Gallicus in chartis & libris omnibus. Porro in Germania vel translatis eo per Monachos codicibus Anglo-Saxonicis, vel ibidem per alios tunc commorantes exaratis sat longo tempore hæc scriptura sedem fixit usque ad seculum nonum aut decimum. Si Franco-Gallicus, nosse oportet, Francos in Galliam venisse an. 419. & 428. Sub prima Regum stirpe Merovingica, nempe sub Clodovæo, tertio a Merovæo Rege, Francica gens nomen & imperium per omnem Galliam extendit, ut multo copiosiores essent Franci, qui linguam & mores cum ipso jugo Gallis imposuere. Nihilominus usque ad seculi sexti finem, immo ad medium septimi apud Francos veteris scri-

ptu-

pturæ Romanæ in libris uſus perennavit. Tum quæ in diplomatis per id tempus obtinuerat Franco-Gallica, etiam in artem librariam tranſiit. Poſthæc novus Romanæ ſcripturæ modus eſt invectus, tametſi usque ad Caroli Calvi principatum anno 875. Franco-Gallica a multis uſu retenta fuerit, Longobardica a paucis. Itaque ſcriptura Franco-Gallica initium duxit ſub Merovingica ſtirpe a ſeculo ſexto, & perſeveravit usque ad nonum: ſub Carolingica a ſeculo nono usque ad undecimum: ſub Capetingica a ſeculo undecimo usque ad decimum quintum, alio tamen ſemper, alioque veſtita characteris habitu. Denique ſi Germanicus, a ſeculo quarto (nam antea peculiaris quidam fuit character) Græco non erat multum abſimilis: a ſeculo quinto autem cum Gothico permixtus: frequenter etiam a ſeculo ſexto ſaxonicus adparet. At a ſeculo nono Gallo-Francicam formam induit, & paullatim cum ea ad latinas literas rediit, usquedum circa medium ſeculi decimi ſexti ad quandam ſcripturæ elegantiam pervenerit.

Altera antiquitatis nota eſt *diſtinguendi* ſeu interpungendi ratio. Hujus rei modum antiquiſſima tempora ignorabant. Hinc ubi Romana in ſcriptura nullæ nec

vocum, nec periodorum exſtant diſtinctiones, merito hujuscemodi chartæ inter omnium vetuſtiſſimas numerantur, quarum tamen veſtigia modo vix ulla adparent in chartis & membranis. Poſtea vero, ut ex monumentis marmoreis, æneisque, ac eorum inſcriptionibus patet, ſingulæ voces ſuis diſterminatæ fuerunt punctis, de quibus Seneca loquitur (a): *Nos etiam*, inquiens, *interpungere conſuevimus*. Atque hoc interpungendi genus Romanam primam aut ſecundariam indicat ſcripturam. Succedentibus temporibus duntaxat ſententiæ abſolutæ punctis diſtingui ſolebant, omiſſis illis, quæ ſingulis vocibus adjiciebantur: hocque in familiari & minuta ſcribendi ratione, præſertim Saxonica, uſuveniebat. In majoribus enim Gothicis, Longobardicis & Franco-Gallicis usque ad ſeculum nonum fere nulla interpungendi cura reperitur, exceptis quibusdam codicibus ſacris, quemadmodum jam ſeculo quinto D. Hieronymus novo ſcribendi genere uti (nempe per diſtinctiones) ſe profitetur his verbis (b): *Nemo quum Prophetas verſibus viderit eſſe deſcriptos, metro eos exiſtimet apud Hebræos*

(a) *Epiſt.* 40.
(b) *Præf. in Tranſl. Eſai.*

braos ligari, & aliquid simile habere de psalmis, & operibus Salomonis: sed quod in Demosthene & Tullio solet fieri, ut per cola scribantur & commata: nos quoque utilitati legentium providendo, interpretationem novam novo scribendi genere distinximus. Quæ autem ratio Hieronymum ad ita distinguendum moverit, docet Cassiodorus (c): „ Meminisse autem debemus, ait, memoratum Hieronymum omnem translationem suam in auctoritate divina propter simplicitatem Fratrum colis & commatibus ordinasse, ut qui distinctiones sæcularium literarum comprehendere minime potuerunt, hoc remedio suffulti inculpabiliter pronunciarent sacratissimas literas. „ Quales autem hæ fuerint distinctiones Hieronymi, supra docui Cap. II. §. III. Cætera unum interpunctum post absolutam sententiam in scripturis seculi decimi, undecimi, duodecimi, & decimi tertii: duo puncta vero in illis, quæ sunt decimi quarti & quinti, rursus reperiuntur, usque dum sequentibus seculis ea interpungendi methodus, qua hodie utimur per *comma, colon & semicolon, punctum* in fine paullatim introducta fuit.

Ter-

(c) *De divin. lection. c.* 12.

Tertia antiquitatis nota consistit in *Orthographia*, quæ in vetustissimis codicibus plerumque talis est, ut diphtongi æ & œ non coalitis in unam literis, sed separatis AE ae. OE oe. scribantur, quamvis & simplex ę vel caudatum ꞔ sæpius positum occurrat. Litera ı. in antiquis monumentis nunquam cum virgula aut puncto præfixo comparet: y vero frequenter cum puncto in medio ẏ, immo aliquando cum singulis in utroque apice punctis ÿ scriptum deprehenditur. Porro literæ ı. a fine seculi duodecimi accentus fuit superimpositus í. usque ad seculum decimum quintum, post cujus initium puncto insignitum j. denique conspicitur. Vetustatem quoque aliquam indicant immutationes literarum C. in G... F in E... D. in L... I in E. aliæque similes.

Tribus hisce antiquitatis notis hucusque recensitis adjungi meretur *Quarta*, quæ a litera i petitur. Quippe in scripturis ante Seculum XIII. exaratis vix ullum adparet vestigium hujus literæ i, supra quam punctum aliquod vel virgula reperiatur. At seculo XIV. solebat notari virgula longiore hoc modo: *ínímícus*: Seculi autem XV. initio contractiores virgulæ fuerunt superpositæ: *inhábílís*, donec tandem circa medium ejus-

ejusdem ſeculi, atque annum 1460. mera puncta, ut hodie uſuvenit, fieri conſueverint. Quod tamen de Manuſcriptis, iisque potioribus intelligendum eſt. Nam librariorum, quos Amanuenſes dicunt, non idem fuit hoc in negotio conſentiens mos: aliqui tardius, citius alii eum arripuerunt. In libris autem typo editis (quales penes me habeo Baptiſtæ Mantuani Carmelitæ carmina an. 1500. Joannis Franciſci Pici, Principis Mirandulani hymnos heroicos an. 1507. Egeſippi excidium hieroſolymitanum an. 1510. Pariſiis & Mediolani impreſſos) literam i ſæpe puncto, ſæpius virgula breviore adhuc notatam inveni, manifeſto ſatis argumento, non eodem ſtatim tempore eundem morem puncta virgulis ſubſtituendi apud omnes librarios invaluiſſe.

XVI.

Ex his jam quatuor notis, probe ſimul inſpecto literarum & ſcripturæ illius genio, judicium ferre licebit de antiquitate codicum, aliorumque MSS.rum, ſed generatim duntaxat. Juvat igitur adferre peculiares quoque notas aliquas ſingulis fere ſeculis proprias, e quibus veluti comminus cognoſci queat, quo quævis tempore ſcripta fuerint literaria hæc monumenta.

C-

Seculo V. Romana ſcriptura, de qua antea ſermo fuit, uncialis, ſemiuncialis, & minuta ſenſim characteribus vel male expreſſis, vel immixtis Gothicis, aliisque peregrinis corrumpi, ac prior venuſtas evaneſcere cœpit. Remanſere tamen in hoc quaſi diluvio barbarum linguarum & ſcripturarum quædam reliquiæ. Nam literæ majuſculæ Romanæ omnibus fere ſeculis in Titulis & initiis codicum vetuſtorum elucent.

Seculo VI. Scriptura literis Gothicis multum deformata eſt. Literæ pingues ac craſſæ. *Interpunctio* & *abbreviatio* vix ulla: rariſſime ad finem ſententiæ. Litera ı. ſine accentu aut puncto . comparet etiam λ loco A. item ꟽ loco M. m.

Seculo VII. Scriptura literis Longobardicis corrupta. In literis principalibus adparent aves aliaque animalia & parerga calami ductu formata. Hoc ſeculo cœperunt abbreviari voces, parce tamen ac modeſte, uti d̄m̄ *Deum*, d̄n̄m *Dominum* &c. Litera ı. Sine accentu vel puncto. Litera n pro u venum pro *verum*. Litera ꟽ pro m. Diphtongi æ. œ. ſeparatæ a e o e.

Seculo VIII. Literæ principales ornatæ variis figuris. Interpuncta rara, aliquando tamen tria ∴ aut duo : in fine

finae sententiae. Litera ı. sine accentu aut puncto. Litera ſ ad finem vocis loco s. Litera ẻ loco ı. Diphtongi æ, œ separatæ. hiatus & intervalla inter voces, earumque literas. *abbreviationes raræ*, quemadmodum priore seculo.

Seculo IX. Scriptura Franco-Gallica comparet, & manus in scribendo tremula. Majores literæ initio scripturæ positæ cum minoribus intermixtæ, ut INEP,T. *incipit.* Litera S. in majore, in minore vero scriptura ſ. etiam sub finem. Diphtongus œ separatis literis, vel cum ę caudato. Litera ı. Sine accentu & puncto. Litera K. pro C. Kaβo *Carolus.* Interpuncta rara; *abbreviationes* plures, Literæ in vocibus plus justo vicinæ ac implexæ.

Seculo X. Comparent e majoribus literis aliquæ Gothicæ & Gallicæ veteres. Scriptura crassior, voces hiantes, & literæ ab una in aliam translatæ. Litera ı. nuda. Litera ſ. in fine vocis posita. Literæ m. n. per lineolam superiorem expressæ, uti eū, verā, legē. an̄. Litera q; loco *que.* Numerus 9. loco *us*, suscepim9. *Abbreviationes* satis multæ ꝉ loco *tibi*, m̄ loco *mihi*, ꝉ loco *vel* &c. Unum punctum post finitam sententiam

ere-

crebrius invenitur. Singularis hujus ſeculi ſcriptura, præſertim in diplomatibus (Tab. XI. 2.)

Seculo XI. Scriptura nonnihil pinguis & characteres veluti hamulis & anſulis inſtructi. Interpuncta multa, ſed non ordinata. Aliquando etiam comma & ſemicolon adparet. Breviatæ voces quamplurimæ cum notis & ductibus deſuper: p̄ᵗ. *poſt* d̄r *dicitur.* Scd̄a *ſecunda.* d̄ms. *dicimus.* x̄m *Chriſtum.* Sig̅at *Significat.* r̄o *ratio.* ī̄x. *juſtus* t̄s. *tres.* p̄ *prius.* Litera u loco o *diabulus.* Litera ẏ cum puncto. Literæ íí ut ægyptíí. *Ægyptii.* u modo quadratum, modo v cuſpidatum. ū pro *um.*

Seculo XII. Scriptura nonnihil tenuior & nitidior. *Abbreviationes* frequentes, etiam cum literis ſupra voces collocatis, ut Tanq̄m. q̄n *quantum.* m̄ *mihi.* Loco œ ſimplex e. vel caudatum. Litera í cum accentu acuto, ſed rariſſime adhuc. Litera s ad finem vocis adhiberi cœpta loco ſ oblongi.

Seculo XIII. Scriptura modo major, modo minor, quin minutiſſima. Literæ minores veluti crispatæ, valdeque inter ſe implicatæ. Abbreviationes complures cum notis ſupra vocum verticem. Litera

ra n loco u. item z loco &. ut pro *aut*. pœꝛ loco *pariter* &c. Interpuncta satis multa, unico tamen fere puncto. Hujus seculi characteristica est i. cum accentu acuto, quod antehac vix factum reperitur. Singularis est hujus seculi scriptura Germanica. (Tab. XI.)

Seculo XIV. Scriptura rudis, pressa: Syllabæ vocum dissiunctæ, ac ipsæ voces inter se comistæ. Innumeræ *abbreviationes* & intricatæ, atramentum pallidum. Diphtongi æ. œ. vel conjunctis literis vel cum ȩ caudato. Interpuncta frequentia per unum aut duo puncta. Litera i. ut plurimum accentu acuto, seu virgula longiore vel breviore.

Seculo XV. Scriptura est aliquando valde minuta, vel obtusa, & ductibus implicata. *Abbreviationes* adhuc multæ, præsertim in scriptura minore. Distinctio per unum vel duplex punctum; commata enim, semicola, punctum, & duo puncta, orthographice posita, sequentibus primum seculis comparuere. Propria huic seculo circa medium illius est litera i. cum puncto in vertice. Litera s. ad finem fere semper visitur; rejecto ſ oblongo.

Seculo demum XVI. Scriptura elegantiorem formam induit, ac emendatior

eſſe cœpit, non tamen ubique & ſemper, nimirum pro ſcribarum genio & arte.

XVII.

Nolim autem, ut quisquam exiſtimet, hiſce ſeculorum notis totum legendi, ac veterum chartarum & codicum atque diplomatum ætatis dignoſcendæ negotium eſſe confectum. Non modicæ adhuc difficultates in hoc itinere inſtituto ſunt ſuperandæ. Harum occaſio multiplex eſt. Primo quidem, non ubique nec eodem ſeculo eadem ratio ſcribendi literis Gothicis, Longobardicis, Francicis, Saxonicis &c. fuit introducta: apud quosdam populos duravit longiore, apud alios breviori tempore. Dein ſæpenumero characteres inter ſe permixti fuerunt, aliqui e Gothico, aliqui e Francico, aliqui e Longobardico alphabeto depromti: non raro peregrini irrepſerunt. Porro ſcribarum vel imperitia, vel licentia atque lubidine contigit, ut literis unius etiam linguæ varii ductus calami ſurſum deorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum, variaque parerga fuerint adjecta, quæ [illegible]s fœdarunt potius quam ornarunt; [illegible] aliam a genuinis formam induxe[illegible], ut difficillimum ſit, illas diſcer[illegible]e. Præterea in quavis fere ſcriptura

ejus-

ejusdem etiam ſeculi reperire licet diverſiſſimas breviandarum vocum methodos, ubi ſemel mos iſte compendia ſcripturæ ſectantium placito inolevit. Ut nihil dicam de interpunctorum modica vel nulla cura; de intervallis & hiatibus medias inter voces relictis; de literis nunc minutis; nunc longis eodem in vocabulo adhibitis; deque coacervatis aut in longum diductis; vel tremula manu exaratis, absque ulla orthographiæ habita ratione. Demum alia fuit forenſis ſcriptura in publicis ut vocant Inſtrumentis ac Diplomatibus; alia Literaria in chartis privatis ac Codicibus: prior enim eandem ut plurimum formam, Francogallicam potiſſimum, Carolingicam vel latinam medii ævi: poſterior omnibus fere ſeculis aliam induit: ſingularem ſibi vendicarunt codices ſacri, præcipue Pſalteria. (Tab. IV. 5.) Quapropter quasdam adhibere induſtrias oportet, quales ſunt: probe inſpicere ſcripturarum alphabeta & characteres: non ex una ſeculorum nota; ſed ex pluribus ſimul judicare: ad vocales & diphtongos diligenter attendere: abbreviandi ac interpungendi rationem obſervare: ſeparare voces unam ab altera, ſi vel nimis ſint conjunctæ, vel colligere,

si fuerint dissiunctæ: superfluos ductus & parerga a literis & vocabulis velut abscindere: quæ obscura videntur, ac legi vix possunt, ex contextu æstimare: ex uno alterove codice, cui annorum, quibus scripti sunt, numerus est adjectus, aliorum simili calamo exaratorum ætatem indagare &c. Verbo: vix hac in re absque exercitatione, id est, diligenti inspectione lectioneque chartarum & codicum ipsorum, vel his deficientibus librorum, in quibus ejusmodi supellex antiqua imitatione expressa continetur, vix inquam hac in re quidquam proficitur.

CAPUT IV.

NATURA ET INDOLES DIPLOMATUM.

§. I.

Varia illorum conditio.

XVIII.

Post excussas veteres scripturas, e quibus de antiquitate ac sinceritate MSS.orum judicium ferre oportet (qui labor quam utilis, tam necessarius

est

est ad ea, quæ sequuntur, rite intelligenda) tandem ad ipsum artis diplomaticæ studium, quod rei quam tractandam suscepi, cardo & caput est, proximius accedere licet. Omnium primo heic loci examinanda venit natura & indoles diplomatum universe spectata. Sunt autem diplomata non aliud, quam literæ patentes solemni ritu datæ a Pontifice, ab Imperatore, a Rege, Principe aut Viris Inlustribus, seu Ordinis Ecclesiastici sint, seu profani, quibus plena fides adhiberi debet de illis, quæ inibi contenta sunt. Harum patentium literarum varia ab Auctoribus genera recensentur, & in tres potissimum classes distribui solent: Vel enim sunt *Regales*, quæ a supremis Principibus proficiscuntur: vel *Pagenses*, quæ a privatis hominibus Nobilitate Auctoritateque conspicuis conferuntur, quarum utrarumque diversas formulas libris duobus complexus est Marculfus Monachus: vel sunt *Ecclesiastica*, quarum notitiam præbet Vir in paucis eruditus Joan. Garnerius S. J. (d) Prima igitur classis est Ecclesiasticarum chartarum seu literarum, quarum aliæ rursus sunt *Pontificia*, quæ a bullis adpensis nomen suum

(d) *In Diarno Romano.*

suum obtinuerunt; *Episcopales* aliæ, quas Episcopi variis Ecclesiis ac Cœnobiis benevole sunt imperititi; aliæ privatarum Ecclesiarum aut monasteriorum, quæ adpellantur *Precariæ* & *Præstariæ*. Has ultimas ita describit eruditissimus Jacobus Sirmondus S. J. (e) „Qui rem Ecclesiæ „ad usum fructum sub annuo censu im„petrabant, iis per *precariam* & *præ„stariam* dari solebat. Præstariam da„bat Ecclesiæ Rector, qui rem præsti„tam concedebat, & quibus legibus „eam concederet, exponebat: Preca„riam petitor, qui rem precario (id est „in beneficium) accipiebat, qua cen„sum & alias conditiones impositas ex„pleturum se profitebatur.„ In altera classe chartas Regales seu Diplomata rerum periti dividunt in *Præcepta*, *Indiculos*, *Placita*, *Tractorias*, *Descriptiones*, & *Panchartas*. Præcepta dictæ sunt eæ patentes literæ, quibus pro futuro tempore aliquid observandum, dandum, possidendum &c. constituebatur; Indiculi, quæ pro tempore præsenti aliquid concessum, donatum, largitum &c. indicabant. Placita regiæ fuerunt literæ, quibus rei controversæ judicium in frequenti Procerum conventu latum ac defini-

(e) *In Capitul.* 7. *Caroli Calvi.*

itum continebatur. Tractoriæ vocantur ea Diplomata, quæ illis concebantur, qui negotiorum caussa a Prinie vel missi alio, vel in Aulam evocafuerunt, quibusque charta seu diplote ejusmodi exhibito equi, rhedæ, spitii jura, itineris sumtus quamprium subministrari debebant: de his pludixi C. 1. §. 1. n. 1. hujus libri. Deiptiones fuere, in quibus prædia, es, libri, aliaque omnis supellex ad clesiam pertinens regio nomine recenatur. Panchartæ seu Pantochartæ nunpabantur, quibus Reges & Principes clesiæ vel Cœnobii jura & bona om-ı & singula, horumque possessionem ıfirmabant, maxime tum, quando au-›grapha instrumenta fuerunt amissa, ţ ætatis vitio depravata. Demum tia classis est chartarum Pagensium, ı privatorum negotia concernentium, æ rursus variæ sunt, ut emptionis, ıditionis, donationis, commutationis, .numissionis, chirographa, syngrapha, tamenta, codicilli, & his similia, quæ vis obvia sunt.

XIX.

Ut autem hæ chartæ atque diplomata hæc, utpote in quibus jus omne bona vel res quasque possidendi, retinendi, ipsaque vis probandi & vindicandi residebat, perpetua forent, pro adservandis conservandisque publicis hujusmodi instrumentis tabularia & scrinia, quæ Græci Archiva vocant, studiosissime condita fuerunt. Horum vetustissima memoria est; & aliquod vestigium jam in ipsis SS. Literis reperitur. Nam in libro primo Esdræ (f) Beselam, Mithridates, & Thabeel hostes Israelis miserunt epistolam ad Artaxerxem Regem, in qua exhortantur illum, ut inquirat in tabulario suo de actis Judæorum: *Idcirco mittimus & nunciavimus Regi, ut recenseas in libris historiarum, patrum tuorum, & invenies scriptum in commentariis, & scies, quoniam urbs illa* (scilicet Hierosolyma) *urbs rebellis est.* Item libro primo Machabæorum (g) recensetur epistola Regis Spartiatarum ad Oniam Sacerdotem Magnum in hæc verba: *Arius Rex Spartiatarum Oniæ Sacerdoti Magno salutem: Inventum est in scriptura de Spartiatis & Judæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham.*

(f) Cap. 4. v. 15. (g) Cap. 12. v. 20.

bam. Quæ posteriora & priora verba satis indicant, Commentaria & Scripturas illas tanquam instrumenta publica in loco ad id designato probe custoditas fuisse. Apertius Cicero loquitur de Archivo Heracleensium (h): *Hic tu*, inquit, *tabulas Heracleensium desideras, quas Italico bello, incenso tabulario, periisse scimus omnes.* Quin etiam in Codice (i) conceptis verbis statuitur: *Item & charta, quæ profertur in Archivo publico, testimonium publicum habet.* Propterea jam apud veteres Romanos certæ constituebantur personæ, quibus archivorum cura, inspectio & administratio committebatur, uti refert Pomponius (k): *Itemque* ait, *ut essent, qui ædibus præessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam Ædiles appellati sunt.* Hi ipsi quoque (l) *Archeotæ* vocati fuerunt. Neque minor hujus rei cura fuit apud Ecclesiasticos. Certe jam nascente Ecclesia Pontifices Summi Acta Martyrum, & Synodorum decreta, factas.

(h) *Orat. pro Archia Poeta.* (i) *De fid. instrumentor.* (k) *In Lib.* 2. §. 21. *ff. de Origin. Jur.* (l) *In Lib.* 18. §. 10. *ff. de muneribus & honoribus.*

ctasque a se Episcoporum aliorumque Ecclesiæ Ministrorum *ordinationes*, aliaque ad Ecclesiæ regimen pertinentia diligentissime in occultis tabulariis recondita servabant, ne in tyrannorum & fidei hostium manus inciderent; unde postmodum cum maximo Ecclesiasticæ historiæ emolumento eruta, & in lucem data fuerunt. Jam olim D. Hieronymus in epistola ad Pammachium (m) mentionem fecit Archivi Romani illustris, splendidi, & ampli, in quo Conciliorum & Patrum documenta fuere reposita, & S. Augustinus ad Glorium ita scribit: *Non chartis veteribus, non archivis publicis, non gestis forensibus, aut Ecclesiasticis agamus* (n). Papa vero Deusdedit super quæstione quadam consultus a Gordiano Episcopo Hispalensi, ad archivum sedis Apostolicæ provocavit (o): *Invenimus autem in archivis sedis hujus Apostolicæ, jam talia contigisse in Ecclesiis Isauriæ, Ephesiorum, simulque Hierosolymæ, aliarumque civitatum.* Clarissimis hoc ipsum verbis confirmat Justinianus Imp. (p) dum ait: „Cum autem factæ fuerint Tuto-„rum

(m) *Epist.* 52. (n) *Epist.* 43. (o) *Cap.* 1. *quæst.* 1. *causa* 30. (p) *In Lib.* 30. *c. de Episcopal. Audientia.*

„rum aut curatorum creationes, præsen„te etiam religioso Civitatis Episcopo, „in ipsis Sanctissimæ Ecclesiæ Archivis „deponi gesta sancimus, ut sit perpetua „rei memoria, & non intercidat casibus „fortuitis, curationis exinde quæsita cautela.„ Quantumvis autem magna & maxima fuerit priscorum hominum in struendis atque tutandis Ecclesiarum ac Monasteriorum tabulariis & archivis solertia, prohibere tamen non potuerunt, quin bellorum turbine distracta, vel a vulcano absumpta fuerint magno numero, majorique clade, vel ipsa diplomata in iis adservata ob supinam custodum negligentiam tineis & battis in prædam cesserint. Unde mirum haud est, quod tam rara exstent authographa diplomata, aliave primaria instrumenta Seculo VIII. superiora, ut Mabillonius observat.

§. II.

Facies exterior & interior Diplomatum.

XX.

Sed nunc ipsam diplomatum indolem propius inspiciamus, exteriorem interioremque illorum faciem contemplando.

do. Exterior consistit in characterum habitu quodam cultuque, quem a calami ductibus accipit, diversisque paretgis, quæ a scribarum ideis sæpe admodum distortis pendent. Hæc tamen omnia diplomatum ævi, & antiquitatis notas, e quibus æstimari debent, constituunt, & veluti certa ætatis impressa sigilla sunt. Nam chartis ac diplomatis Regiis & Imperialibus quoddam scripturæ genus tum commune omnibus, tum cuivis proprium esse deprehendet, qui curiosius ea vel in ipsis membranis vel in libris, in quos fideliter translata sunt, contemplatus fuerit. In omnibus, si pauca vetustissima excipias, reperire licet primas lineas longis & quasi uncialibus literis exaratas; tum characteres minores, plus vel minus inflexos implicatosque. Præterea literas bene multas instar perticarum prominentes: Ad finem demum nomina Regum Imperatorumque &c. oblongis rursus characteribus expressa, additis quibusdam pro arbitrio calami ductibus. (Tab. XIII. XV. XVI.) In singulis vero literæ vel crassiores, vel graciliores, vel voces magis magisque distantes aut conjunctæ & implexæ adparent: in his nulla vel fere nulla, in illis nonnihil major interpungendi cura:

in

in aliquibus *abbreviationes* raræ, in aliis frequentiſſimæ. Plerumque tamen Diplomatum ſcriptura, in plurimis recedit ab ea, quæ Codicum eſt. Antiquiora Francica, quæ ſub prima Regum ſtirpe Merovingica fuere condita, ſyllabarum ac literarum perpetuis nexibus, lacunis & orthographiæ ſphalmatis plena nil niſi rude quid ac barbarum monſtrant, quemadmodum ex ectypis conſtat, quæ Mabillonius libro V. exhibet. Meliorem aliquantum faciem induerunt Caroli M. tempore: abſterſa ævi barbari fuligo, exciſa ductuum inconditorum & criſpatorum characterum ſylva, molliores que literæ, ac magis ordinata ſcripturæ forma ſubſtituta, id quod in Carolina poſteritate continuatum ad Germanos quoque tranſiit, quorum Imperialia diplomata Conradina, Ottoniana, Henriciana, Lotharica, Fridericiana, qualia complura Chronicon Gotvvicenſe complectitur, characteribus lectu facilioribus ſunt exarata, relictis tamen nonnullis barbaricæ ſcripturæ veſtigiis, præſertim longioribus quarundam literarum ſ. f. l. b. d. h. &c. ductibus ſurſum ac deorſum factis, vel ad latera inclinatis, ſubinde additis etiam ſolitis parergis ſerpentinis. (Tab. XV. & XVI.) Hæc omnia docet diligens

gens uti codicum, ita & diplomatum inspectio, eaque inter se conferendi studium. Nihilominus sicut alibi jam monui, grande discrimen est inter codicum & diplomatum scripturam. In illis majores literæ ad formam Romanarum, quæ aurea latinitatis ætate in usu erant, efficta sunt, admixtis tamen crebro Gothicis & Longobardicis: contra vero diplomatum characteres, qui eorum initia componunt, vix non semper subtilibus, acutis, presse coacervatis, & in sublime ductis apicibus sunt conspicui. Hi ut commodius legantur, oportet eos ab invicem velut separare, observareque literas Romanas minutissimas seu potius literulas, quæ vel ad lineæ oblongæ pedem, vel in vertice, aliquando etiam in medio conspiciendas se præbent, uti videre est Tab. XII. XV. & XVI. in a. b. d. e. r. k. s. g. Qui vero characteres per reliquum corpus diplomatum occurrunt, breviores sunt, & Romanis minutis non absimiles, quamvis ductibus suis & cristis ita deformati, ut e Francogallicis & Romanis conflata videatur scriptura.

XXI.

Modo ab exteriore ad interiorem diplomatum faciem promovendus est gradus. Per hanc tum orthographiam tum stilum intelligo. De orthographia universe fas est dicere, certam fuisse cuivis ævo scribendi rationem, non minus ac in re numaria & lapidaria observare licet. Nam sicut in his eundo per secula, a prima scriptionis integritate simplicitateque non modica declinatio conspicitur, ita & in diplomatibus; in quibus frequenter est legere: *Baselica*, *babiret*, *bomenis*, *ficit*, *mano*, *socessor*, *bone fideus* pro bonæ fidei, *ab aliquis* pro ab aliquibus, *in villabus* pro in villis, *ab adem*, pro ab æde, *fuemus* pro fuissemus &c. Non tamen est, cur Grammatico cuidam ævi nostri tantopere stomachum moveant menda ista orthographica, utpote quorum exempla reperiet quoque apud Terentium & Plautum, uti *Poblicus* pro publicus, *sibe* pro sibi, *jousit* pro jussit, *souom mareitom* suum maritum, *Molta* pro multa, *Postidea* pro postea, *Indoponito* pro imponito: quin etiam circa ipsa ætatis aureæ secula apud Quinctilianum (q) legimus hinc *Heco-*

(q) *Lib.* 1. *c.* 4. & 7.

Hecoba, *notrix*, *Menerva*, & *Leber*, *Magester* illinc *Alesanter*, *Cassantra* &c. „Quare minus mirum, verba sunt Fabii, „si in vetustis operibus urbis nostræ & „celebribus templis legantur Alesanter „& Cassantra. Quid o atque u permu„tatæ invicem: ut Hecoba, & notrix, „culchides & pulyxena scriberent: ac ne „in græcis id tantum notetur, dederunt, „ac probaverunt.„ Quid? quod & Cato ille Censorius *dicem* & *faciem* loco diam & faciam: *sibe* & *quase* pro sibi & quasi scripsit eodem teste Quinctiliano; dum rursus ait: „Quid non? Cato „censorius dicam & faciam: dicem & fa„ciem scripsit, eundemque in cæteris, „quæ similiter cadunt, modum tenuit: „quod ex veteribus ejus libris manife„stum est. Et a Messala in libro de „S. litera positum sibe & quase scriptum, „in multorum libris est. Sed an hoc „voluerint Auctores, nescio. T. Livium „his usum ex Pædiano comperi, qui & „ipse eum sequebatur.„ Nimirum ejusmodi literarum metamorphoses vetustissimis jam temporibus usuvenerunt, scriptura hominum ingenio & moribus sese accommodante: neque a solis Notariis, sed etiam a Librariis illorum temporum hunc scribendi morem passim usurpatum

fuisse

fuisse prisci codices abunde probant. Hæc de orthographia:

Quid de stilo Diplomatum dicam? Negari haud potest, Grammaticæ rempublicam in iis multum periclitari, adeo ut vir eruditus Hieronymus Bignonius, qui Marculfi supra laudati formulas primus in lucem protraxit, affirmare non dubitarit: *Mores illorum temporum etiam sermonis inculta rusticitas penitius ostendit.* Pauca e plurimis barbaræ ætatis ac linguæ monumenta e vetustis chartis studiose collecta producere mihi liceat. Sunt autem: *Inluster Vir Comes Palacii nostri testimoniavit.... Dum nobis divina pietas ad legitema ætate fecit pervenire ... stante ista omnia, quod superius communi conveniencia ficimus ... ut hæc autoritas firmiorem obveniatur vigorem ... quantumcunque ipsa vel jogalis suus:* id est maritus ... *a leminebus sanctarum Ecclesiarum excommunis appareat*, pro, a liminibus Sanctarum Ecclesiarum excommunicatus appareat ... *præsentaliter revertatur* ... *damus integrum cortilo* (id est locum & spatium) *hæreditatis nostræ* ... *præcipui* (præcepi) *ut nulla monacha in eodem monasterium quippiam peculiare præsumat* ... *quod si pars contra supra scri-*

pta definitione ambulare conaverit . . . quomodo Domino ſinceriter deſervire debeant . . . cum hoc adimplere ſpondediſſet. . . . vel in ac cauſa introviſſet, pro, in hanc cauſam introiviſſet. . . . *nec quilibet de parte fiſce noſtri requerire, nec executare penetus non præſumatis*, &c. Hæc & ſimilia latinitatis corruptæ cimelia in omnibus fere priſcorum temporum diplomatibus eſt invenire, nunc frequentiora, nunc pauciora. Merovingicum ævum nil niſi ſolœciſmos & barbariſmos parturiit, commixtis in unam ſcripturam variis linguis & vocibus. Carolingicis temporibus abſterſa nonnihil barbaries fuit, & priſtinus nitor revocatus; ſed non paucæ barbarici ſermonis reliquiæ illis adhæſerunt. Poſtmodum ſub Caroli ſucceſſoribus major in expurganda latinitate adhibita eſt cultura, quam etiam Germania a regno Francico avulſa ſuſcepit: nihilominus dum Notarii ac ſcribæ latinas voces ad vernaculam linguam adplicarent, factum eſt, ut multa vocabula vel a latio aliena, vel patria in latinam terminationem contorta irrepſerint cum aliis linguæ Theotiſcæ nominibus, quæ nunc penitus exoleverunt. Hujus autem mali triplex origo fuit, prima erat ruditas ſeculi. Nam

quum

quum Romani Galliam, Hiſpaniam, aliasque nationes ſubjugaſſent, eisdem etiam Romanæ linguæ uſum impoſuere, quæ tamen brevi variis earundem gentium idiotiſmis potiſſimam partem corrupta fuit Altera, communis uſus, qui tunc temporis etiam apud literatos viguit, qui non elaborato, ſed *uſuali* ut vocat Sidonius, ſermone, id eſt ſemi-latino & loquebantur & ſcribebant. Tertia, formularum ratio, quas Notarii vel imperiti vel incurii compoſuere in diplomatibus obſervandas, ut ab omnibus etiam rudibus intelligi poſſent, a quibus recedere poſteri nimium religioſi nefas ſibi eſſe duxerunt. Nam ut experientia docet, ejusmodi formulæ ſemel male conceptæ poſtea in ſtilum Curiæ ut vocant, abire ſolent, unde publicam quoque auctoritatem accipiunt.

§. III.

Regulæ pro recto circa diplomata judicio ferendo.

XXII.

Quæ numismatum veterum, ea etiam diplomatum ſors eſt, nimirum ut non pauca, ſi a rerum probe gnaris ri-

gido examini ſubjiciantur, falſa eſſe atque conficta deprehendantur. Nec defuerunt occaſiones malis hiſce artibus. Quidam enim, quum in probe cuſtodiendis ſuis chartis, quibus tamen tota fere eorum fortuna nitebatur, negligentiores fuiſſent, videntes laceras eas eſſe, aut ſcripturam ſenio vel aeris injuria vitiatam, ut legi amplius nequiret, ſimplicitate quadam vel audacia transverſum acti alias ad priorum imitationem confecere, aut confici curarunt: Alii ut damna diplomatum reſarcirent, quæ hoſtium ac barbarorum urbes & Nobilium caſtra expilantium furor, vel incendiis exortis flamma, vel alia manus rapax abſtulit, novis proprio marte condendis operam dederunt: Aliqui demum ſive ut ea, quæ injuſte poſſederunt, retinere poſſent, ſeque a moleſtis interpellatoribus in judicio liberarent, ſive ut avaritia ſtimulante aliena bona ſibi vendicarent, diplomata confingere auſi ſunt, obtenturi auctoritate chartarum, quod jure legum non poterant. Grande profecto, ac bono publico pernicioſiſſimum malum! cui tamen homines prudentiores, ac magis religioſi, rectique amantes longe aliis ſecurioribusque remediis occurrerunt. Nimirum lacera detritaque

ejus-

ejusmodi inſtrumenta ab iis, qui publica auctoritate ad id muneris conſtituti erant, renovari curarunt, & vetera novis ſecundisque literis inſeri, quas propterea *Vidimus* adpellabant. Solebant enim Principes vel Magiſtratus in illis teſtari, quod ipſi antiquas tabulas viderint, iisque rite inſpectis novas condi juſſerint, qua de re alibi egimus (r). Si vero diplomata omnino deperdita fuerunt, ad Principis vel Epiſcopi beneficium confugerunt, & ab iis privilegium, in quo Eccleſiæ vel Monaſterii bona & poſſeſſiones generatim confirmabantur, aut novum diploma ſeu Panchartam cum accurata jurium ac poſſeſſionum enumeratione obtinuerunt. At falſariis, qui diplomata adulterare auſi ſunt, malitia hæc nequaquam impune abiit. Nam vel proſcriptione bonorum, vel pollicis aut manus diminutione, vel omnino mortis ſupplicio puniti fuerunt, innovato more, qui jam apud Romanos viguit, uti conſtat ex Suetonio, qui refert (s), Claudium Imp. proclamante quodam, *præcidendas falſario manus* carnificem ſtatim acciri cum machæra menſaque laniona flagitaſſe; & ex lege

(r) *Libri hujus c. x. n. 4.*
(s) *In Claudio.*

ge Cornelia a Sulla Dictatore lata, qua sancitum est, ut qui nomine Prætoris literas falsas reddidisset, edictumque falsum proposuisset, *de ejus capite quæreretur.* Nominatim autem in Declarationibus super regulam S. Benedicti editis anno 1603. statuitur: *ut si quis suadente diabolo ea* (scilicet sigilla congregationis vel monasterii) *falsificare præsumserit, stet degradatus per menses duos post omnes Professos, jejunetque semel in hebdomada in pane & aqua in refectorio durante ipsa degradatione.*

XXIII.

Si quis vero nosse desiderat, quænam instrumenta & diplomata falsa esse censenda sint, tres illorum species Auctores produnt, nimirum alia dicuntur *Refecta*, quæ amissorum authenticorum loco suppofita sunt absque legitima auctoritate eorum, ad quos negotium hoc pertinet. Alia *Adulterata*, quibus scilicet ab impostore aliquid insertum vel additum est, quod a mente concedentis alienum; vel etiam aliquid omissum, quod juri alterius obest. Alia proprio nomine *Falsa*, quæ nullo veri authentici fundamento niti e claris signis ac notis deprehenduntur. Discrimen autem hoc in loco præte-

tereundum non eſt, quod ſane magnum inter falſa & interpolata diplomata intercedit. Quippe quæ falſa ſunt, valorem omnem, & in omni tribunali perdunt, nec excuſationi locum præbent. At interpolata veniam mereri poſſunt. Contingit hoc triplici modo: primus eſt, ſi aliquid adjiciatur ſupra id, quod in authographis poſitum reperitur. Ita qui chartas authenticas Eccleſiæ vel Monaſterii in unum veluti corpus, quod *Chartularium* vocarunt, redigebant, non raro annis Pontificum, Imperatorum aut Regum duntaxat expreſſis arbitrio ſuo addidere annos *Incarnationis* vel *Indictionis*, vel utrosque, ut accurratius ævum diſtinguerent, commiſſis tamen ſæpius per inſcitiam in horum calculo non levibus in leges chronologicas peccatis. Alter eſt, ſi quid in ſcriptura permutetur, uni vocabulo aliud ſubſtituendo. Sic antiquo verbo *fevum*, quod nobis *Feudum* audit, ſuccenturiabant aliqui *feodum*, quod tempore conceſſi diplomatis necdum erat uſitatum. Tertius denique, ſi per errorem a deſcribentibus in difficili eorum lectione non bene verſatis unum alterumve vocabulum tranſiliatur, aut ponatur alia ab iis, quæ in Inſtrumento continentur, vocabula. Iſta ſphal-

mata suspectum quidem reddere possunt diploma, non tamen falsum vel adulteratum esse probant, si nullus alius error ad substantiam pertinens deprehendatur. Neque stili barbaries, & incondita tum lingua tum scriptura auctoritati diplomatum quidquam officit, quum ut dixi, consuetudo vulgaris sermonis, & scribendi ratio, quae tunc viguit, ea ab omni fraude facile absolvat, ita quidem, ut si hanc linguae, dicere fas est, rusticitatem non praeseferant, potius vitii alicujus suspicionem ingerent.

XXIV.

Ut autem falsa & spuria a veris & genuinis instrumentis ac diplomatibus eo facilius discriminari queant, regulas quasdam e peritissimo artis hujus Mabillonio potissimum depromtas hoc in loco adducere visum est.

Regula I. Magna prudentia & moderatione opus est ad censuram ferendam viris etiam doctis, qui vetera instrumenta ad legum apices examinare velint, nec cuivis in re Antiquaria utut erudito id temere tentandum.

Regula II. Semper cum favore judicandum, ubi res longa possessione firmata

mata est, uti leges civiles & canonicæ præcipiunt.

Regula III. Non ex sola scriptura, neque ex uno solo characterismo, sed sed ex omnibus simul de vetustis chartis pronunciandum.

Regula IV. Unus alterve error aut mendum, modo substantiam diplomatis non adficiat, legitimis cæteroquin authographis obesse non debet.

Regula V. Vitia ad substantiam pertinentia censentur; si nomina personarum, quæ post datum diploma vixerunt, in eo expressa, aut in subscriptionibus prima manu exarata reperiantur, aut earum mentio fiat, quæ longe ante illud tempus vita functæ sunt: si contextus omnino sit vitiosus, nec sibi cohærens: si monogrammata inepta, & ab usu temporum illorum abhorrentia conspicienda se præbeant: si sigilla adulterata deprehendantur.

Regula VI. Historicorum aut Inscriptionum antiquarum testimonia legitimis chartis præjudicium facere non debent, ita ut illorum præferatur auctoritas, nisi ex illis manifestus error personarum, rei gestæ, aut temporis demonstrari queat.

Regula VII. Additamenta *Incarnationis*, *Indictionis*, *Glossematum*, aliorumque

ſimilium, maxime in exemplis ſeu apographis, non officiunt Inſtrumentorum veritati.

Regula VIII. Diſcrimen faciendum eſt inter verba *Actum* & *Datum*, quæ in formulis Diplomatum ſæpe comparent. Primum enim notat tempus, quo a Principe conceſſum beneficium, privilegium &c. ejusque voluntas fuit ſignificata: alterum vero tempus, quo ſcriptura conceptis verbis in Curia aliove loco fuit confecta. Fieri enim poteſt, ut alio tempore, aliove loco Princeps mentem ſuam declaret, & favorem impertiatur: alio autem tempore locove ipſius literæ vel diplomata circa negotium illud ſcribantur & conferantur. Quare neutiquam falſæ vel adulteratæ ſcripturæ ſignum eſt, ſi tempus & locus *Acti* & *Dati* inter ſe non concordent. Sæpius quippe contigit, ut res *Acta* fuerit in Germania, ubi tunc Imperator præſens erat, *Data* vero primum eodem in Italia commorante.

His tamen regulis addendum eſſe cenſeo, quod ſuis Mabillonius ſupra laudatus præmittit his verbis: *Si quas hic trado regulas, perſuaſum eſſe debet, pro communioribus eſſe habendas, non interpre-*

tan-

tandas severo ac summo jure, quod etiam opto & efflagito.

XXV.

Operæ pretium videtur, pro Capitis hujus coronide in medium proferre sat longum, sed elegans *Capitulum e Decretalium libro secundo* (t), e quo patebit, qua diligentia severitateque jam olim in diplomatum fidem sit inquisitum; simul etiam quam multiplices hac in re sive errores sive fraudes committi possint, ac fuerint commissi. *Rubrica* sic habet: *Instrumentum publica manu non confectum, habens sigillum, cujus literæ non sunt legibiles, vel scripturæ deletæ, vel enormem patitur fracturam, non probat.* Lis autem erat Anno MCCVIII. inter Abbatem S. Donati de Scozula, & Procuratorem nomine Ecclesiæ Mediolanensis missum. Abbas petebat restitui suo monasterio portum Scozulæ, aliaque bona & jura, productis tum privilegiis Comitis Luitardi, quondam Episcopi Lucani, qui fundaverat monasterium, & prædicta ei donaverat; & Imperatorum Romanorum, præsertim Henrici, qui præfatam donationem confirmavit; tum in-

(t) *C. inter dictos dilectos 6. de Fide Instrument.*

instrumentis sententiæ, ab Asperto olim Mediolanensi Archiepiscopo in favorem monasterii latæ nomine Ludovici Imperatoris; ac locationum, quas Abbates memorati Monasterii diversis personis fecerant. &c. Lite diu ventilata Innocentius III. Pontifex Mediolanensi Episcopo in hunc modum rescripsit: „ Sed „ contra privilegium a Procuratore tuo „ multa fuerunt objecta. Primo, quia „ ibi maxime apparebat consumptum „ (*videlicet in annotatione Indictionis*) „ ubi potuisset falsitas facilius deprehen„ di. Secundo, quia quum charta ve„ tustissima videretur, recentior appare„ bat scriptura, tanquam non illo tem„ pore facta fuisset. Tertio denique, „ quia falsum sigillum vitiose videbatur „ appositum, eo quod e media parte si„ gilli apparebat quædam imago, non „ cum mitra in capite, sed cum pileo: „ nec induta Pontificalibus, sed Rega„ libus indumentis, tenens in manu non „ baculum pastoralem, sed quasi sceptrum „ regale, cujus facies non apparebat in„ tegra, sed dimidia, tanquam in illa „ medietate respiceret aliam mediam, „ quæ tamen tota vacua remanebat, sed „ quædam imago videbatur ex ea fuisse „ deleta, quia cera in ea parte nec in

„ co-

„ colore nec in planicie reliquæ parti
„ similis apparebat: unde non Episcopi
„ sed Imperatoris videbatur fuisse sigil-
„ lum, quia in una medietate Cæsaris
„ imaginem exprimebat, & in altera
„ medietate præsumebatur vel filii vel
„ conjugis imaginem habuisse: nam in
„ ipso sigillo nullæ aliæ literæ appare-
„ bant, nisi quæ nomen proprium cum
„ hac adjectione *Dei gratia* designabant.
„ Sed cum proprium nomen Episcopi
„ fuerit Luitardus, in nomine proprio,
„ quod exprimebat sigillum, deletæ fue-
„ runt duæ literæ: secunda quæ erat in-
„ ter l. & t. & sexta, quæ fuerat inter
„ r. & u. ita quod si secunda o. & sex-
„ ta fuisset i. procul dubio non Luitar-
„ dus, sed Lotharius legeretur: quod
„ etiam inde convinci poterat, quod se-
„ cundum dispositionem aliarum litera-
„ rum inter l. & t. duæ literæ sint di-
„ versæ: præterea inter r. & u. tam
„ modicum erat spatium, ut in ea nec
„ hæc litera d. quæ majus occupat spa-
„ tium, sed hæc litera i. quæ minimum
„ occupat, videretur formata fuisse:
„ Kursus cum cera sigilli ab interiore
„ parte vetustissima esset, cera quæ po-
„ sita erat ab exteriori parte, quasi ad
„ conservationem sigilli, recens erat &

„ mol-

„ mollis. Quod cum diligenter in-
„ vestigatum fuisset, certo certius est
„ compertum, quod sub sigillo charta
„ fuerat perforata, ut per glutinum no-
„ væ ceræ, quæ posita fuerat exterius,
„ quasi ad conservationem sigilli, vitiose
„ fuit ipsi chartæ subiunctum. Eadem
„ falsitatis specie, per vitiosam videlicet
„ appositionem sigilii, cætera fere pri-
„ vilegia Romanorum Impp. præter pri-
„ vilegium Henrici, vel falsa reperta sunt,
„ vel falsata. Sed & ipsum Hentici privi-
„ legium ad fidem instruendam non videba-
„ tur sufficere, quia nec erat publica ma-
„ nu confectum, nec sigillum habebat
„ authenticum, eo quod erat ex media
„ fere parte consumptum, nec plus de
„ nomine proprio, nisi ultima medietas,
„ videlicet *icus*; nec de cæteris literis,
„ nisi hæc adjectio *Dei Gratia* appare-
„ bat, ita quod ex literis ipsis non ma-
„ gis poterat comprobari fuisse sigillum
„ Henrici, quam Ludovici. Instrumen-
„ tum quoque sententiæ multis modis
„ inveniebatur suspectum, tum quia in
„ ipso quædam apparebant lituræ: tum
„ quia subscriptio Notarii videbatur ma-
„ nus alterius fuisse, quam subscriptio
„ instrumenti, cum tamen Notarius in
„ subscriptione profiteretur se instrumen-

„ tum

„ tum manu propria conſcripſiſſe. Lite-
„ ra quoque recentior videbatur quam
„ charta, & aqua videbatur encauſtum
„ infectum, ut antiquius appareret. In
„ omnibus autem Imperialibus privilegiis
„ quæ poſteriora fuerant, nulla eſt ha-
„ bita mentio de illa ſententia, quamvis
„ in eorum aliquibus mentio facta fuerit
„ Luitardi, qui dicebatur donationem
„ feciſſe &c. „ Poſt hoc tam rigidum & diuturnum examen Inſtrumentorum & Diplomatum tum Epiſcopalium tum Imperialium denique Innocentius Papa ſententiam tulit his verbis: *Cum autem ſuper his fuiſſet diutius litigatum, quia legitime probata non fuerant, quæ petebantur ad monaſterium pertinere, ab impetitione ipſius Procuratorem tuum nomine tuo & Mediolan. Eccleſiæ ſententialiter duximus abſolvendum: quoniam cum obſcura ſunt jura partium, conſuevit contra eum, qui petitor eſt, judicari.*

CAPUT

CAPUT V.

OECONOMIA DIPLOMATUM.

§. I.

Invocatio, Inscriptio, Expositio caussarum, & Enumeratio bonorum.

XXVI.

Explorata indole, & lustrato veluti propylæo ad ipsum corpus Diplomaticum inspiciendum examinandumque nos modo accingamus. Variis illud partibus constat, quarum singulæ considerationem nostram merentur. Has in compendio exhibet, totamque structuram ante oculos ponit auctor quidam Anonymus in libello *Syntagmata dictandi* inscripto, quem ex Codice Metensis Ecclesiæ ante annos quingentos exarato Mabillonius protulit, his verbis: *Solet prima linea præceptorum* (id est Diplomatum) *longis & æqualibus literis figurari, initium autem præceptorum hujusmodi est: In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis Heynricus Gratia Dei Imperator Augustus. Post illum prologum introducitur quasi persona Imperatoris* (idem est de Principe, vel alio

alio in dignitate constituto, qui diploma concedit) *loquentis reddentisque caussam, qua inductus illud voluerit praeceptum statuere, dicens Regiae dignitati competere, ut talium virorum, a quibus ipse rogatus est, non debeat contemnere preces, vel quam valuerit facere illius edendi praecepti vel mundiburdii justam causam insinuans. Post haec, quod ille loco illi vel homini sua auctoritate concedat vel roboret, erit illud subinferendum. In fine vero praecepti erit illud locandum, ut quicunque contra illius praecepti decretionem fecerit, mille auri optimi libras, vel quodlibet aliud pretium, quod instituerit Imperator, se persoluturum cognoscat, medietatem Regiae Camerae, & medietatem loco vel homini illi, cui illud praeceptum conscribitur. Post haec, quod Imperator propria manu subscripserit, & proprio signari sigillo jusserit, erit adjiciendum.*

Post conceptum decretum monogramma est ponendum in quo nomen Imperatoris Augusti Dei gratia habeatur connexum, vel alia qualibet, quae Imperatorem condeceat: ex utraque autem monogrammatis parte longioribus literis scriptum erit signum Domini illius Imperatoris Serenissimi vel Augusti, vel aliud quodlibet hujusmodi.

 Post

Post monogramma prolixioribus & paribus literis: Heinricus vel A. Cancellarius vice G. Vercellensis Episcopi recognovi istud factum. In ultima chartæ linea quoto anno a Domini Incarnatione, & quota Indictione, & quo Regni vel Imperii illius Imperatoris anno & quo loco, literis erit communibus conscribendum. Ita graphice totam diplomatis authentici œconomiam describit præfatus Auctor, cujus quoddam schema exhibet Tabula XV. Liquet autem ex his, octo esse rite conditi Diplomatis partes, nimirum: 1. *Invocationem.* 2. *Inscriptionem* seu titulum, quem sibi vel aliis tribuit Princeps. 3. *Expositionem* caussarum, ob quas precibus annuit, vel favorem concedit. 4. *Enumerationem* bonorum & jurium, quæ conferuntur. 5. *Clausulam*, in qua subscriptionis factæ ac impressi sigilli mentio fit. 6. Ipsam *Subscriptionem* additumque signum seu Monogramma. 7. *Sigillum.* 8. *Chronologiam* seu notam temporis concessi vel dati diplomatis. De his singulis modo distinctius agendum est, quum ex eorum notitia vel maxime pendeat judicium de legitima diplomatum auctoritate integritateque.

Invocatio. A Jove ducendum esse principium jam monuerunt Veteres Sophi: est-

estque hic usus antiquissimus, atque videtur adhibita esse invocatio Divini nominis ad majus robur scripturæ conciliandum. Nam ut ait S. Chrysostomus (u): *Si Consulum nomina faciunt, ut firma sint instrumenta, multo magis nomen Christi.* Sub Merovingicis Regibus invaluit formula: *In nomine Domini Jesu Christi: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: In nomine Dei æterni, &c.* Carolus Calvus autem ad pristinam rediit, in cujus omnibus fere diplomatibus eam invenisse se testatur Papebrochius (x) vividelicet: *In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis.* Atque postmodum in communem fere usum transiit, ita ut hodie etiam ultimæ voluntatis tabulæ hoc veluti prologo insignitæ sint.

Inscriptio, seu titulus. Hac usi sunt Principes tanquam prærogativa, qua tum auctoritatem ac majestatem diploma concedentis, tum benevolentiam æstimationemque ergo illum, cui concedebant, publice demonstratum ibant. Varii fuerunt hi tituli pro varietate temporum. Sic legimus HLOTHARIVS vel KAROLVS *divina ordinante providentia*, vel *gratia Imperator Augustus* ... *Conradus divina*

larr

(u) *Homil.* 9. (x) *Propyl. p.* I. §. 29.

largitatis munere, vel divina auxiliante clementia Rex ... Fridericus divina favente Clementia Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliæ... Conradus Divi Augusti Imperatoris Friderici secundi filius, Dei gratia Romanorum in Regem electus, semper Augustus, & heres regni Jerusalem ... Sigebertus Rex Francorum Vir Illustris ... Ego Aistulphus præcellentissimus Catholicus Longobardorum Rex ... Rogerius in Christo Deo Fidelis & potens Rex Siciliæ ... Henricus II. Servus Dei & Romanorum Imperator semper Augustus secundum voluntatem Dei Salvatoris nostrique Liberatoris &c. Alium ab his morem in Bullis suis observant Pontifices: prætermissa enim ut plurimum *Invocatione* initium statim ducunt ab Inscriptione, nomenque suum præmittunt nominibus illorum, etiam Regum ac Principum, ad quos literas suas dirigunt, quod in usum deduxit Nicolaus I. præeunte Pauli I. exemplo, cujus Bulla ad Pippinum data incipit: *Paulus Episcopus Servus servorum Dei præcellentissimo filio Pippino Regi Francorum.* Nam ante Nicolaum aliquando nomen suum postposuisse, aliquando præposuisse leguntur. Titulo autem, quem adhibent, *Servus servorum Dei*, occasionem dedit fastus Joannis Patriar-

triar-

triarchæ Conſtantinopolitani, qui Romani Pontificis obedientiæ ſe ſubducturus Oeconomici ſeu Univerſalis Epiſcopi nomen ſibi arrogavit: hunc ut deprimeret Gregorius M. Papa, cujus exemplum postea reliqui omnes ſunt ſecuti, titulum *Servi ſervorum Dei* adſcivit. Qua vero ratione compellent eos, quibus Bullas & literas indulgent, patet ex Jure Canonico (y), in quo Innocentius III. ad Attinatenſem Epiſcopum ita loquitur: „ Apo-„ ſtolicæ ſedis conſuetudinem in ſuis li-„ teris hanc tenere, ut Patriarchas, Ar-„ chiepiſcopos, Epiſcopos *Fratres*, cæ-„ teros autem Reges, Principes, vel „ cujuscunque ordinis *Filios* in noſtris „ literis appellemus„ , additis tamen prænominibus Regum ac Principum, quos *Excellentiſſimos*, *Præcellentiſſimos*, *Chariſſimos*, *Glorioſos Filios* nuncupare ſolent. Reges vero ac Principes, dum dignitate ſe inferiores alloquuntur, eos vocant *Viros Inluſtres*, *Dilectos*, *Fideles*, *Nobiles*, *Venerabiles*. (ſi ſint Epiſcopi vel Abbates) Ita in Dagoberti Regis Francorum diplomate legitur: *Dagobertus Rex Francorum Viris Inluſtribus* . . . *Theudericus Rex Francorum Vir Inluſter Venera-*

(y) *Decretal. l. 5. tit. 20. c. 6.*

venerabili Viro Bertino Abbati de Monasterio Sitdiu. Præter hæc tum Pontifices sacrique Antistites, tum Imperatores, Reges ac Principes majoris auctoritatis gratia numerum pluralem pro singulari adhibere consueverunt, aliquando in ipso Inscriptionis limine: *Nos Dei gratia &c.* plerumque autem in ipso contextu diplomatum hisce formulis: *Igitur nos reipsa considerantes præcipimus, concedimus, edictum nostrum, auctoritate nostra, subditis nostris, privilegio a nobis concesso &c.*

Expositio caussarum, quæ ad concedendum beneficium movent. Hæ sæpius velut præmisso proœmio exponuntur, suntque vel gloria Dei, Imperii felicitas & incrementum, regiæ clementiæ ac liberalitatis documentum &c. vel merita majorum, præstitum obsequium aut auxilium, officii dignitas &c. vel animæ salus, remedium pro pœnis peccatorum exsolvendis, beneficium per preces & pia aliorum opera obtinendum &c. Hæc postrema movens caussa sæpissime occurrit in diplomatibus & literis *fundationum, donationum, largitionum* Monasteriis, Nosocomiis, locisque sacris factarum, additis formulis: *ob remedium, ob mercedem animæ, ob præsentis vitæ prosperitatem,* &

& futuræ beatitudinem &c. Exemplum esto diploma Caroli Calvi Imperatoris Religiosissimi, quo villas quasdam Regio Compendiensi Monasterio donat, ab Acherio erutum e Tabulario hujus monasterii (z). „ In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Karolus ejusdem Dei „ Omnipotentis misericordia Imperator „ Augustus. Quidquid voto aut gratiarum actione Deo omnipotenti offeri„ mus, cui non solum omnia quæ ha„ bemus, quæque de manu ejus accepi„ mus, sed etiam nosmetipsos debemus, „ qui nos & prædecessores nostros nullo „ nostro merito, sed sua benignissima „ gratia regium in stemma evehere di„ gnatus est; hoc nobis ad præsentem „ vitam felicius transigendam, & ad fu„ turam uberius capessendam consequen„ tius fore nullo modo dubitamus. Proin„ de quia divinæ recordationis Impera„ tor Avus scilicet noster Karolus, cui „ divina providentia Monarchiam totius „ hujus Imperii conferre dignata est, in „ palatio Aquensi Capellam in honore „ Beatæ Dei Genitricis & Virginis Ma„ riæ construxisse, ac Clericos inibi Do„ mino ob suæ animæ remedium atque pec-

(z) *In Spicilegio tomo X.*

„ peccaminum abſolutionem, pariterque „ ob dignitatem apicis Imperialis deſer„ vire conſtituiſſe, ac congerie quamplu„ rima Reliquiarum eundem locum ſa„ craſſe, multiplicibusque ornamentis ex„ coluiſſe dinoſcitur; nos quoque morem „ illius imitari, ceterorumque Regum „ & Imperatorum Prædeceſſorum ſcilicet „ noſtrorum cupientes, cum pars illa re„ gni nobis ſorte diviſionis nondum con„ tigerit, infra tamen poteſtatis noſtræ „ ditionem, in palatio ſcilicet Compen„ dio, in honore glorioſæ Dei genitricis, „ ac perpetuæ ſemper Virginis Mariæ „ monaſterium, cui Regium vocabulum „ dedimus, fundotenus exſtruximus, & „ donariis quamplurimis Domino adju„ vante ditavimus, atque Clericos inibi „ numero centum pro ſtatu ſanctæ Dei „ Eccleſiæ, pro genitoribus atque pro„ genitoribus noſtris, conjuge & prole, „ proque totius regni ſtabilitate jugiter „ Domini miſericordiam implorare de„ crevimus &c. „ Ejusmodi proæmiis cauſſas impellentes exponentibus ſubjungitur plerumque promulgatio voluntatis Regiæ vel Imperatoriæ ſequentibus formulis: *Notum ſit omnibus præſentibus pariter & futuris... Noverit omnium tam præſentium quam futurorum induſtria...*

inde

inde volumus ad singularem fidelium nostrorum præsentium & futurorum notitiam pervenire. Ita in diplomate, quo Abbati S. Dionysii datum privilegium loci Salone dicti confirmatur, Carolus M. Imperator loquitur: „Carolus gratia Dei „ Rex Francorum & Longobardorum, „ atque Patricius Romanorum. Oportet serenitas nostra ut ea, quæ a fidelibus nostris postulata fuerunt, juste „ & rationabiliter pro servitio & fidelitate, quæ circa genitorem meum Pipinum Regem, & circa me habere „ videntur, eis impertire debeamus. „ Notum sit omnibus fidelibus nostris „ tam & præsentibus, quam & futuris, „ qualiter veniens Folradus Capellanus „ Palatii nostri, & Abba S. Dionysii nobis retulit privilegia &c.„

Enumeratio bonorum & jurium. Hanc partem, quæ veluti historica est, distincte ac minutatim persequuntur diplomata & vetustiora & recentiora, ut quantum fieri potest, dubiis ac litibus omnis via præcludatur. Formulæ generales enumerandi hæc bona & jura sunt: „ Transfundimus villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, „ domibus, ædificiis, acculabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis,

„ pascuis, aquis, aquarumque decursi-
„ bus, viis & inviis, exitibus & regres-
„ sibus, adjunctis, adiacentibus, appen-
„ diciis, peculio utriusque sexus, mobi-
„ libus & immobilibus &c. . . . in un-
„ dique, in traha, in pascuis, in mate-
„ riaminibus, in aquis &c. . . . telo-
„ neum, mercatum, & quidquid ad
„ fiscum pertinebat &c.„ Hæc & simi-
lia longa serie enumerantur atque leguntur in eo, de quo prius dixi, Diplomate Caroli Calvi Imperatoris.

§. II.

Clausula, Subscriptio, Sigillum, & Chronologia.

XXVII.

Clausula, qua diplomatum contextus atque periodus absolvitur, duo potissimum complectitur: primum sunt pœnæ ac minæ, quæ in prævaricatores statuuntur: alterum est subscriptionis ac impressi Sigilli mentio, quæ adjicitur. Ad primum quod adtinet, pœnæ ac minæ ad tria capita revocantur, videlicet I. ad multam vel in ære, vel etiam in cute solvendam. Ita statuit Ludovicus II. Imp. Occidentis: *Quod qui præsumpserit,*

rit, *& hanc nostræ auctoritatis evidentissimam præceptionem vel in minimo violasse convictus fuerit, multam triginta libras argenti probatæ monetæ publicæ sancto ac reverendo cœnobio componere compellatur.* Ita Concilium Romanum anno 1002. sub Sylvestro Papa: *ut quicunque Perusinæ Ecclesiæ Episcopus hanc definitam litem renovare tentaverit* (nempe Cœnobio Perusino) *decem libras purissimi auri Lateranensi palatio componat.* Ita Concilium Toletanum XII. anno 681. *Quodsi nihil habuerit facultatis, unde prædictam compositionem persolvere possit, absque alio infamio sui quinquaginta eum oportebit ictibus verberari.* II. ad anathema, quod *Excommunicationem* vocamus. Sic lex Alemannorum tempore Clotharii Regis ait: *Dei judicium incurrat, & excommunicationem sanctæ Dei Ecclesiæ. . . .* Odo Rex in diplomate pro Ecclesia S. Hilarii Pictaviensis: *Sub anathemate perpetuo sciat se esse damnandum. . .* Richardus I. pro Monasterio Anglicano: *Nos vero, quantum potest Rex, excommunicamus & concedimus, quod incurrat indignationem Dei Omnipotentis, quicunque contra hoc facinus venerit.* III. ad diras & imprecationem judicii divini, sortis Judæ, Da-

than

than & Abiron &c. Gregorius Nazianzenus in literis testamenti sui *qui vero* inquit *ipsum evertere tentaverit, rationem reddet in die Judicii, & poenam sustinebit.* . . Aredius Abbas in tabulis ultimæ voluntatis suæ: *Et veniet illi maledictio, quam psalmus continet in Judam Iscariotis centesimus octavus.* . . . Chindasuintus Rex illi, qui diploma Complutensi Monasterio concessum violaret, comminatur anathema Marantha, id est, *ut duplici perditione damnatus sit: ut etiam de hoc seculo, sicut Datham & Abiron vivus terræ continuo absorbeatur lacu.* . . Ludovicus Pius in diplomate Cœnobii Fossatensis violanti præceptum imprecatur, ut *cum Caipha, & Pilato, Juda quoque traditore Domini pœnas sustineat atque cum Principe dæmoniorum sedem gehennalem.* Quod spectat ad subscriptiones, & sigilli impressi mentionem, ceu alteram clausulæ partem, hæc in omnibus genuinis diplomatis observatur, sed diversis pro varietate ætatum formulis constat, eg; *manu nostra subtus illud firmavimus, annulique nostri impressione insigniri fecimus.* . . *manu nostra subtus firmavimus, & sigilli nostri impressione jussimus roborari* . . . *manu nostra subterfirmavimus,*

vimus, *& bullarum nostrarum impressionibus insigniri jussimus*. E quibus formulis adparet, modo *annuli*, modo *sigilli*, quin & *bullarum* voce ad eandem rem significandam usos fuisse diplomatum Conditores, ita tamen, ut annuli vocabulo antiquitus usurpato nomen sigilli serius fuerit substitutum. Praeterea tria sunt, quae in hac secunda parte clausulae solent exprimi, scilicet mentio scripturae, subscriptionis regia manu factae, & sigilli impressi; quaeque luculenter exprimuntur in diplomate Conradi I. Radobodono Episcopo Ultrajectensi dato: *Idemque scriptum nominis nostri signo, nostraeque imaginis sigillo, cum manus nostrae scriptione firmaremus* &c.

Subscriptio ipsa, additumque signum seu Monogramma, & Sigillum. Ritus subscribendi hic erat: propria manu adponebatur nomen Regis, Imperatoris, Principis &c. addito signo figuram crucis praeseferente, vel simplicis, ut ✝ *in Christi nomine Theudericus Rex subscripsi*: *signum* ✚ *Pippini gloriosissimi Regis*: vel ex literis compositae, quemadmodum exhibet Tabula XIV. Quippe Imperatores, Reges, & Principes in signandis diplomatum monumentis, aliisque scripturis inde a Caroli M.

temporibus ſcriptionis compendium adhibuerunt, ac nominis literas per ſingularem quandam notam & characterem expreſſerunt, qui Monogramma adpellatur. Eſt enim Monogramma nomen compendio deſcriptum, & ex literis ejusdem nominis inter ſe ope crucis vel aliarum linearum junctis concinnatum. Originem hujus rei Mabillonius (a) petit a cruce ſeu ſigno Conſtantini M. qui ut refert Lactantius (b) *commonitus eſt in quiete, ut cœleſte ſignum Dei notaret in ſcutis, atque ita prælium committeret. Fecit ut juſſus eſt, & transverſa X litera ſummo capite circumflexo Chriſtum in ſcutis notat.* Hoc poſtea ſignum characteriſticum fuiſſe depictum ait ex Rabano, in imaginibus parietum, velis, aliisque rebus ſacris, e quibus ad chartas & diplomata translatus fuit hic uſus. At melius originem Monogrammatis deducit Popebrochius (c) a primo Chriſtianorum ævo. Conſtat enim, inquit, morem apud Chriſtianos antiquiſſimum fuiſſe in ſignandis pactis, aliisque inſtrumentis formare crucem ✠, cui is qui ſubſignabat, ſua vel aliena manu,

(a) *De re Diplom.* c. 10. (b) *De Mort. Perſecut.* c. 44. (c) *In Propyl. antiquit. parte* I. c. 4.

manu, prout literarum erat peritus aut rudis, proprium adſcribebat nomen: Quin Cæſarum æque ac Conciliorum legibus ſtatutum fuit, ut ſi quis ducere lineas, nomenque ſuum nequiret, id quidem per alium fieret, ita tamen, ut ipſe, cujus intereſſet, crucis ſignum ſuapte manu præponeret. Tum vero hujusmodi ſimplici cruce Reges ac Principes non contenti eandem inſtruxerunt, ornaveruntque nominis ſui literis ipſi cruci adnexis. Porro exiſtimat Mabillonius, omnes & ſingulas nominis literas in Monogrammate contineri debere. Sed ex adductis a Papebrochio exemplis rurſus conſtat, hoc adeo neceſſe non eſſe, ut quo antiquiora ſunt Monogrammata, eo fuerint ſimpliciora, & crucis figuræ ſimiliora. Illud certius, primum fuiſſe Carolum M. qui monogrammatis uſum in diplomata invexit, qui uſque ad Fridericum III. Imperatorem continuatus fuit. Verum alia facies Monogrammatum fuit apud Pontifices. Quippe in eorum bullis nullum adparet ante Leonis IX. tempora. Hic non crucis ſed circuli figuram elegit, cui nomen ſuum inſcripſit, cum epigraphe geminas intra cruces expreſſa: *Bene valete*, quibus alii Pontifices Petri & Pauli nomina

mina quoque addiderunt auctore, ut creditur, Urbano II. Subſcriptioni Regiæ vel Imperatoriæ mox ſubjecta fuit *Cancellarii*, vel *Archicapellani*, vel *Referendarii*, vel *Notarii* ſubſcriptio. (Tab. XV.) Nomina hæc a diverſis muneribus orta fuerunt. *Referendarius* dicebatur, qui cauſas & Judicum ſententias, vel ſupplicum vota exponebat Principi, ejusque reſponſa referebat. *Cancellarius* dictus eſt a cancellis, quibus munita erant publica tribunalia, cujusque munus fuit invigilare, ne cuivis promiſcue ad ſacratiora judicii loca pateret aditus: idem quoque ſcribæ officio fungebatur. *Notarius* primum ab epiſtolis & ſecretis erat; poſtmodum etiam Cancellarii munus obibat. *Archicapellanus* ſummo Concellario, qui & Archicancellarius & Pronotarius fuit nuncupatus, adſiſtebat in rebus ad officium ſuum pertinentibus. In antiquioribus Regum ac Imperatorum diplomatibus reperitur ut plurimum ſubſcriptio Notarii *ad vicem* Referendarii aut Cancellarii: in recentioribus vero Cancellarii *ad vicem* Archicapellani. Formulæ ſubſcribendi fuerunt, prioris quidem generis: *Dado obtulit*, *Aghilbertus recognovit*, *Wefolaicus juſſus ſubſcripſit*: poſterioris vero *Widolai-*

cus

cus Notarius ad vicem Cancellarii Radonis, *Salomon Cancellarius ad vicem Pilgrimi Archicapellani recognovit*. Paullo aliter ſe res habuit in Bullis Pontificum, in quibus ſubſcripſere nomina ſua tum Notarius ſeu *Scriniarius*, tum Cancellarius. Et Notarii quidem nomen e veſtigio poſt contextum bullæ ſequebatur hoc modo: *ſcriptum per manum ſeu manus N. Notarii*, *Regionarii*, *Scriniarii S. R. E.* additis menſe, & *indictione*. Tum majoribus literis ad latus inter cruces adparuerunt verba illa *Bene valete* vel nudis, vel monogrammatis inſtar diductis characteribus; ac demum *Datum* ſeu Data X. Kal. Novemb. per manum ſeu manus eg. Anaſtaſii Bibliothecarii S. R. E. quippe Bibliothecarius plerumque Cancellarii munere fungebatur: in hujus vero vel abſentis vel impediti vicem adſcribebat nomen ſuum *Secundicerius* Notariorum, ac ſi dicas, ſecundus Notariorum: in brevibus vero Reſcriptis ſolus Primicerius, quaſi Princeps Notariorum ſubſcripſit. (Tab. XVII.)

Sigillum. Poſt ſubſcriptiones haſce velut per ambages ad ſignanda inſtrumenta & diplomata perventum eſt, qua re demum plena fides ipſis conciliabatur, quum ſic non vagam aliquam Notarii

manum, sed ipsam Principis sacram imaginem, tanquam omni exceptione majorem auctoritatis & antiquitatis suæ testem, & omni tempore exhibere possent. Mos autem obsignandi ex annulis, queis effigies fuerunt insculptæ, ad sigilla transiit. Primo quidem adhibebantur annuli ad ornamentum digitorum: unde Plautus salse invehitur in eos, qui e digitis hoc ornamentum ad aures transtulerunt, dum ait (d): *atque ut opinor digitos in manibus non habent. Quid jam? quia incedunt cum annulatis auribus.* Dein ad signum libertatis: ita apud Romanos libertus annulo donatus habebatur pro ingenuo, sic ut omnes magistratus & honores consequi posset non minus quam ingenuus, uti refert Alexander ab Alex (e). Tum ad natalium ac officii dignitatem demonstrandam: non enim erat initio nisi Senatoribus & Equitibus permissum gestare annulos; postea vero viris primi ordinis aureis, inferioris vero argenteis, servis autem ferreis uti licuit. Certe Mago Cannensis victoriæ nuncius in Curiæ Carthaginensis vestibulo ingentem aureorum annulorum acervum effundi jussit, ut fidem faceret, quanta Romanorum Equitum No-

(d) *In Poen.* (e) *Lib.* 2. *c.* 29.

Nobilium ſtrages ea in pugna accidiſſet, teſte Livio (f). Legatis quoque ſuis ad exteras gentes miſſis Romani aureum annulum velut muneris inſigne tradiderunt. Præterea ad fidem conjugalem ſignificandam: nam annulus pronubus apud veteres Romanos ſponſæ dono mittebatur a viro e ferro duriſſimo, & ſine gemma ad fidelitatem omni ferro duriorem indicandam, quemadmodum ſcribit memoratus Alexander (g): Similiter noſtris etiam temporibus in Eccleſia nuptialis annulus benedicitur a Paſtore dicente: *Accipe annulum fidei nuptialis.* Denique ad ſignandas epiſtolas chirographa, aliasque chartas, etiam publicas, ut iis plenior fides haberetur. Ita legimus (h) Aſſuerum Regem Amano in crucem acto annulum ab eo receptum dediſſe Mardochæo ad ſignandas publicas literas, quibus decretum Judæis ab eodem Amano excidium revocaretur. Macrobius quoque teſtatur (i), veteres ſignandi cauſſa annulum circumtuliſſe: unde nec plures habere quam unum licuiſſe, nec cuiquam alteri niſi liberto, quos ſolos fides deceret, quæ ſignaculo continetur.

(f) *Lib.* 3. *de bello Punico.* (g) *Lib.* 2. *c.* 19. (h) *Eſther. c.* 8. (i) *Lib.* 7. *Saturn. c.* 13.

tinebatur. His insculpi curabant imaginem suam, vel nominis monogramma, quod postmodum ceræ nunc albæ, nunc viridi, nunc rubræ impresserunt, sicque impressum dicebatur *sigillum*. Omnia hæc, materiem formam & instrumentum, paucis verbis complectitur Tullius (k) dicens: *Quid si ejusmodi ceræ centum sigilla hoc annulo impressero?* Verum succedentibus temporibus, maxime medio ævo, annulis substituta fuerunt sigilla, magnitudine illis longe superiora, pleraque pensilia, in quibus initio sola Regum & Principum capita: post dimidiatæ effigies, aliquando etiam integræ figuræ comparebant vel sedentium in solio cum corona & sceptro, aliisque insignibus, vel equo sublimium cum hasta, clypeo, & lorica. Neque in cera duntaxat, sed etiam in plumbo, argento & auro imagines ejusmodi expressas cernere licet. Porro his sigillis nomina fuerunt inscripta literis Romanis aurei seculi, quæ tamen in Antiquioribus permixtæ visuntur sæpius cum barbaricis. At Pontificum sigilla primum ceræ, deinde etiam plumbo fuerunt immissa, nulla certa effigie adhibita, usque dum Urbanus II. aliique post ipsum Papæ

(k) 4. *Academ.*

pæ ex una Bullæ parte nomen ſuum v. g. Urbanus II. P. P. ex altera vero nomina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli interjecta cruce, ac inſcriptione in orbem ducta adpoſuerint. *Bullæ* ſigillo plumbeo, *Brevia* vero ut vocant, a quadringentis retro annis obſignari ſolent annulo Piſcatoris, in quo ſola Divi Petri adeſt imago, eo habitu, quo e navicula in mari piſcatus eſt. Ex his ſigillis tum ſacri tum profani ordinis aliqua fuerunt affixa ipſis membranis Bullarum & Diplomatum, alia faſciis e membrana eadem vel corio in crucis modum decuſſatis adpenſa, perforatis chartis, ut eſſent fidei publicæ munimentum adverſus fraudes, uti pridem animadvertit Suetonius (l): *adverſus falſarios tum primum repertum, ne tabulæ, niſi pertuſæ, ac ter lino per foramen trajecto obſignarentur.*

Chronologia denique, quæ quantum ad Diplomata pertinet, tres partes complectitur, nimirum *annum & diem, Indictionem, tempus regiminis.* Vetuſta erat Alemannorum lex, *ut ſcriptura non valeat, niſi in qua annus & dies evidenter oſtenditur.* Varia tamen fuit annos com-

(l) *In Nerone c.* 17.

computandi methodus. Romani ante Numam Regem decem duntaxat mensibus annum definiebant, eumque a Februario ordiebantur. Verum additis a Numa duobus mensibus Januario & Februario deinceps initium anni a Januario duxere. Atque hic mos posterior etiam ab Ecclesia Romana fuit observatus teste Gervasio Dorobernensi: *annus solaris*, inquit, *secundum Romanam traditionem & Ecclesiæ Dei consuetudinem a Kalendis Januarii sumit initium; in diebus Natalis Domini, hoc est, in fine Decembris sortitur finem.* Alii vero populi, nominatim Galli & Alemanni vel a mense Martio vel a Paschate illud inchoarunt. Communissimus tamen annos numerandi modus est, ac in diplomatibus civitate donatus, ut a Nativitate Christi initium fiat, id quod Dionysio Exiguo, qui Justiniani Imperatoris temporibus Seculo VI. vixit, scriptores tribuunt, *æramque Christianam* vocant; octavo autem seculo primus inter historicos Ven. Beda annos *Incarnationis* adhibuit, qui mos subin a codicibus & chronicis in diplomata quoque ac instrumenta publica translatus fuit, Longobardicorum ut creditur Regum voluntate usuque, qui Consulum Romanorum nomina fastidien-

dientes, & Græcorum Imperatorum æram ſequi dedignantes annorum Chriſti uſum in publicas ſuas tabulas introduxerunt. Cætera licet aliqui annos, uti dictum eſt, computaverint a Februarii fine, alii a Januarii exordio, ſeu quod fere idem eſt, quidam ab *Incarnatione*, aliqui a *Nativitate* Chriſti (iſtam enim novem circiter menſibus illa præceſſit) ſatis tamen conſtat, utriusque annos pro iisdem habitos fuiſſe. Alteram Chronologiæ diplomaticæ partem diximus eſſe *Indictionem*, quæ quindecim annorum periodum complectitur, eſtque triplex, ſcilicet Conſtantinopolitana ſeu græcorum orientis Imperatorum, quæ a Kalendis Septembris: Conſtantiniana ſeu Cæſarea, quæ ab VIII. Kal. Octobris: & Pontificia ſeu Romana, quæ a Kalendis Januarii initium ſortitur. Ex his Conſtantiniana Indictio potiſſimam partem ab Imperatoribus, præſertim Germanicis, in uſum deducta fuit. Demum nota annorum regiminis adjectorum, quæ tertiam chronologiæ partem conſtituit, & diplomatibus veluti colophonem addit, Græcis Imperatoribus jam dudum familiaris fuit, uti eorum numismata paſſim oſtendunt, de qua re aliquid in libro de re Numaria dixi. Francica diplomata Regum ſuorum, ac regiminum annos pleraque commemo-

rant, a quibus etiam chronologicæ hæ notæ ad Germanicos Imperatores derivatæ fuerunt. Formulæ consuetæ erant: anno regni nostri &c. anno Christo propitio Imperii vel Regni nostri &c. anno ab incarnatione Christi N. regnante vel imperante gloriosissimo, vel piissimo N. &c. (Tab. XV. & XVII.) Non minus Pontifices a Leone IX. (qui primus videtur annos Christi Domini adhibuisse) etiam Pontificatus sui tempus prodiderunt eg. *Anno Domini Leonis IX. Papæ. I. Indict. II. anno vero Dominicæ Incarnationis MXLVIII.*

Atque hæc est Diplomatum Oeconomia, ex optimis Auctoribus, qui vastos & omnis generis exemplaribus atque scripturis bene fartos de iis Tomos scripserunt, studiose collecta, quibus coronidis loco addendas censui paucas tabellas, præcipua alphabeta, characterum formas, scripturarum diversis seculis usitatarum fragmenta quædam, & aliquorum diplomatum initia & finem continentes, quum sine his lector, librorum plerumque pretiosorum auxilio destitutus, fere nullam animo ideam de re Diplomatica concipere possit. Plura vero his adjungere prohibet & instituti mei ratio, quæ brevitatem exigit, & vastissima hujus negotii moles, quæ si accuratius tractanda sit, limites vix admittit.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI VII.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

Archi-

Char-

D.

Diplo-

Diplo-

F.

G.

Ger-

I.

Inter-

Interpuncta Veteribus vix ulla; postmodum singuli versus puncto terminari solebant. L. 7. N. 11.

Interpuncta ab Aristophane inventa. L. 7. N. 11.

Ea in sacros Codices primus invexit D. Hieronymus. L. 7. N. 11. & 15.

Interpuncta per coma, colon, semicolon, & punctum. L. 7. N. 11. & 15.

In antiquissimis scripturis Romanorum nulla interpuncta: postea addita puncta singulis vocibus. L. 7. N. 15.

Invocationes in diplomatibus. L. 7. N. 26.

Jus Latinum ex Italia in Germaniam penetravit circa finem seculi XV. L. 7. N. 5.

Juramento fidem datam firmabant Abimelech & Abrahamus; Esau & Jacob. L. 7. N. 3.

L.

Lexicon diplomaticum abbreviationibus plenum Waltheri. L. 7. N. 12.

Mate-

N.

O.

P.

S.

Scri-

T.

Vidi-

LIBER VIII.

LIBER VIII.

DE

HILOSOPHIA NATURALI ET MORALI.

EPITOME
LIBRI VIII.
DE
PHILOSOPHIA NATURALI AC MORALI

CAPUT I.
PHILOSOPHIÆ PRETIUM, NECESSITAS ET UTILITAS.

§. I.
Ejusdem pretium.

I.

Mundum in gratiam Philosophorum condidisse videtur Numen, dum illum eorum disputationibus tradidit. Discrimen inter Philosopos & Plebeios in mundi contemplatione. Philosophia Ma-

ter artium teste Tullio. Philosophorum auctoritas apud veteres.

§. II.

Necessitas.

II.

Philosophia necessaria est homini, tum ut homo est, tum ut membrum Reipublicæ, tum ut Christianus; quæ tria testimoniis late probantur.

§. III.

Utilitas Philosophiæ.

III.

Ostenditur hæc e testimonio Salomonis, & ex grandi dono ratiocinationis, quod Deus hominibus concessit. Perstringitur vile pretium, in quo apud aliquos est Philosophia.

CAPUT II.

PHILOSOPHIÆ ORTUS ET PROGRESSIO.

§. I.

Origo.

IV.

Prima semina Philosophiæ sunt in ipsa hominis natura & indole a Deo indita. Describitur œconomia facultatum, quæ humanæ menti insunt ad philosophandum.

V.

Ægyptiorum philosophia signis arcanis & hieroglyphicis plena erat. Græci veritates latentes explicarunt apertius. Tres sectæ Philosophorum: Jonica, Italica, & Eleatica. Post has aliæ tres: Academica Socratis, Platonica, Aristotelica seu Peripatetica.

VI.

Ægyptios & Græcos antecessit Moses, qui veram Philosophiam tradidit, ejusque compendium in descriptione mundi, seu operum sex dierum exhibuit.

VII.

Post Platonem & Aristotelem Philosophia cœpit degenerare in varias alias sectas: Academicam, Cynicam, Stoicam, Scepticam, Eclecticam seu Electivam.

VIII.

Romanorum præstantissimi, ut Lælius, Scipio, Julius Cæsar, Cicero Athenas ad Philosophiam addiscendam profecti sunt. Floruit aliquamdiu Romæ, sed post Augustum Cæsarem nil fere nisi nomen Philosophorum remansit.

§. II.

§. II.

Philosophiæ progressio.

IX.

Christi in terras adventu & doctrina multæ veteris Philosophiæ superstitiones & errores detecti & emendati fuerunt. Patres primitivæ Ecclesiæ se multum philosophico studio impenderunt tum ad gentilium Sophorum, tum ad hæreticorum fraudes & falsas doctrinas debellandas.

X.

Arabes in Hispania seculo XIII. Aristotelis Philosophiam instaurarunt; sed nimium subtilitatibus tribuerunt. Novæ sectæ Philosophicæ: Thomistica, Scotistica, Nominalis: Item Chymica, Cabalistica, & Mechanica.

XI.

Novam recentemque Philosophiam circa medium seculi XVI. condiderunt Verulamius & Boyleus in Anglia, & Galilæus in Hetruria; hos secuti sunt alii in Italia & Belgio: in Gallia Gassendus & Cartesius. Descriptio Hypothesis Cartesianæ: post hos Isaacus Newton.

XII.

Seculo XVII. & XVIII. aucta est & exculta Philosophia plurimis, pulcherrimisque experimentis. Methodum Mathematicam seu Geometricam inducere tentavit Wolfius.

CAPUT III.

OECONOMIA PHILOSOPHIÆ.

§. I.

Partitio vetus.

XIII.

Divisa est ab antiquis in Naturalem, Moralem, & Dialecticam. Explicatur cujuslibet harum proprium officium. Recentiores diviserunt in Logicam, Physicam, Metaphysicam, & Ethicam. Ratio hujus divisionis.

§. II.

Partitio nova.

XIV.

Hæc reipsa convenit cum veteri, ac solum nomine tenus differt ab illa, dum novis & speciosis nominibus res antiquas complectitur.

CAPUT IV.

LOGICA.

§. I.

Logica docens.

XV.

Logica est Organum seu instrumentum ad omnes alias scientias. De ea sensus D. Augustini, & Ciceronis. Dividitur in Logicam Majorem & Minorem. Tres mentis operationes explicantur.

§. II.

Logica utens.

XVI.

Ostenditur magna vis Logicæ ad hominis intellectum in suis operationibus vel emendandum, vel perficiendum.

Varie-

Epitome Libri VIII.

Varietas ingeniorum in studio Philosophico. Commendatur methodus syllogistica.

CAPUT V.

PHYSICA.

§. I.

Ejus prolegomena.

XVII.

Commendatur studium Physices amœnissimum, ac dividitur in universalem & particularem. Senecæ de Physica judicium.

XVIII.

Partitio mundi in subterraneum, sublunarem, & cœlestem. Describitur mundus subterraneus secundum systema Kircheri: ejus pyrophylacia, & atmophylacia.

XIX.

XIX.

Describitur mundus sublunaris: ejus centrum, & structura: figura rotunda, & stabilitas; Maria & flumina; evaporationes & exhalationes; atmosphæra, & regiones aeris.

XX.

Describitur mundus cœlestis: stellæ fixæ, errantes: numerus stellarum secundum diversos auctores; constellationes seu asterismi: sol cum maculis, & luna cum phasibus; motus siderum: Saturnus, Jupiter, Mars, Venus, & Mercurius cum suis phænomenis.

§. II.

Physica universalis.

XXI.

Agitur de principiis corporis naturalis, atque de ejus adfectionibus: divisibilita-

bilitate, porositate, rarefactione & condensatione, motu, gravitate, elasticitate, æquilibrio solidorum & fluidorum, electricitate. Errores veterum circa principia corporis naturalis, & variæ recentiorum opiniones. Epicrysis de accidentibus.

§. III.

Physica particularis.

XXII.

Genesis & systema mundi. Opinio recentiorum de figura mundi sphæroidica. Hypotheses Ptolomæi, Copernici, & Tychonis. Fabula de Lunicolis. Motus siderum & influxus.

XXIII.

Elementum aeris.

Hujus officium est, ut sit emporium inter terram & cælum: ejus dotes gra-

vitas

vitas & elasticitas. Meteora aeris: Iris, parhelium, paraselene, halo, aura Borealis &c.

XXIV.

Elementum ignis.

Natales ignis: ejus extinctio: tres classes ignium. Meteora, ubi de fulmine: Dracones volantes, capræ saltantes, stellæ cadentes &c.

XXV.

Elementum aquæ.

Ejus natura, color, & varia experimenta physica. Gravitas aquarum & liquorum. Fluminum origo & cyclosis aquarum. Æstus marinus, diversæque circa illum opiniones Galilæi, Cartesii, Nevvtoni, Kircheri, de Chales.

XXVI.

Elementum terræ.

Ejus natura: tres regiones: thesauri triplicis generis: mineralia, lapides, metalla. Magnetis indoles, & virtutes. Terræ meteora, venti & terræ motus: horum origo & vis.

XXVII.

Plantæ.

Earum anatomia & partes. Plantarum divisio: diversa illarum patria & vires: origo, incrementum, & propagatio. Pretiosæ excretiones plantarum, ut sunt resina, myrrha, thus, balsamum, mel, saccharum &c.

XXVIII.

Animalia.

Horum ortus & genesis. Divisio in perfecta & imperfecta, in ovipara & vivipera. Animalium vita, ubi ostenditur, non esse mera automata: diversæ species animalium; volatilium, terrestrium & aquatilium: Insectorum diversissima genera: omnium horum indoles.

XXIX.

Homo.

Oeconomia corporis humani, & divisio in tres regiones, in animalem, vitalem, & naturalem. Ad primam pertinent: cerebrum, oculus, auris, lingua, nares. Ad secundam: cor, pulmones venæ, arteriæ. Ad tertiam: hepar, ventriculus, lien, renes, intestina. Agitur de partibus exterioribus

corpo-

poris humani similaribus & dissimu-ibus: de sanguinis circulatione: de pirationis historia. Item de quinque sibus exterioribus visus, auditus, gu-s, tactus, & odoratus: rursus de bus sensibus interioribus: de sensu mmuni, phantasia, & memoria, qua nia pluribus explicantur.

CAPUT VI.

METAPHYSICA.

§. I.

Entis natura, & proprietates.

XXX.

Metaphysica Entis cognitionem & doctrinam complectitur; ejusque prietates explicat, quæ sunt: ve-

rum, bonum, unum. Item relatio, oppositio, & ordo, ad quam ultimam temporis & loci ratio refertur. Quinque Universalia Porphyrii. Quatuor caussarum genera.

§. II.

Anima rationalis.

XXXI.

Quatuor animæ hujus dotes: spiritualitas, libertas, indivisibilitas ac immortalitas demonstrantur. Animæ rationalis origo, & variæ de ea sententiæ. Commercium inter mentem humanam & corpus. Præcipuæ facultates animæ, scilicet intellectus & voluntas.

§. III.

Spiritus, eorumque dotes.

XXXII.

Angeli a veteribus nuncupati sunt genii, & intelligentiæ. Ostenditur dari Angelos seu meros Spiritus. Novem ordines, & officia Angelorum: eorum loquela, & motus.

§. IV.

Deus Auctor naturæ.

XXXIII.

Demonstratur existentia Dei: attributa divina; unitas & spiritualitas: omnipotentia & omniscientia: immensitas & æternitas: infinitas, bonitas,

justitia & misericordia, ac providentia &c. haec omnia ex Dei essentia deducuntur.

CAPUT VII.

ETHICA SEU PHILOSOPHIA MORALIS.

§. I.

Ejus origo & Partitio.

XXXIV.

Discrimen inter Dialecticam & Ethicam. Socrates primus excoluit Ethicam: ejus elogium apud Ciceronem. Socratem secutus est Plato. Hic posuit pro fundamento Ethicae immortalitatem animae, quam doctrinam accepit a Socrate, hic a Pythagora iste ab Aegy-

Ægyptiis, hi ab Abrahamo. Doctrinam moralem corruperunt postea Stoici & Epicurei. Variæ veterum Philosophorum sententiæ circa summum bonum. Aristoteles Philosophiam moralem in ordinem redegit, & in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam divisit.

XXXV.

Apud Paganos Ethica multis erroribus & superstitionibus involuta fuit, sed expurgata per doctrinam Christi vera Ethica & sincera inter Christianos florere cœpit, stupentibus sophis. Munus Magistri, qui Philosophiam moralem profitetur. In Anglia, Gallia, & Germania modo ab aliquibus suscitatur Philosophia moralis Pagana.

§. II.

Ethica seu Monastica.

XXXVI.

De bono seu fine ultimo plurimum disputarunt Pagani, sed omnes erra- runt. Ostenditur verum & summum bonum: ac verum & summum ma- lum. Quatuor virtutes Cardinales, quas considerat Monastica, nimirum Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo, cum oppositis vitiis.

XXXVII.

Agitur de animi affectionibus seu passionibus. Harum undecim recen- set D. Thomas. Earum dominium, quod docuerunt Gentiles Philosophi, sed

non observarunt. Agitur de voluntario, & libero, ac monstratur prima & proxima regula humanarum actionum.

§. III.

Oeconomica.

XXXVIII.

Expenduntur mutua officia inter conjuges, inter servos & heros. Explicantur singula, praecipue ex doctrina D. Pauli.

§. IV.

Politica.

XXXIX.

De communitatibus hominum & Rebuspublicis, earumque potestate. De

triplici forma regiminis, Monarchica, Aristocratica, & Democratica. In omni regimine spectari debet tranquillitas, securitas, & ordo: ostenditur, in quibus ista consistant.

CAPUT VIII.

CRITICE PHILOSOHPICA.

§. I.

Temperies Philosophica.

XL.

Geminus error in Philosophia vitandus, scilicet eorum, qui nimium tribuunt auctoritati veterum, & illorum, qui parum vel nihil eidem indulgent. Aristotelem non pauci male suis partibus & opinionibus servire cogunt. Enumerantur Philosophi, qui varios secta-

sectatores habuerunt. Inde nata sunt gravissima litigia. Perperam hoc aevo contemnitur Aristoteles. Comparatio antiquae Philosophiae cum Neoterica. Modus & temperies inter utramque quaerenda & tenenda est.

§. II.

Ratio disceptandi, & Norma tradendi hanc disciplinam.

XLI.

Effatum Cardinalis Cajetani : circulus & calamus me doctum fecerunt. *Utilitas disputationis in Philosophia, ac necessitas illius contra osores defenditur. In Colloquio Ratisbonensi Principes, disputationi in negotio religionis praesentes, legem tulerunt, ut omnia per Syllogismos vel alias argu-*

mentationes proponerentur. Nonnulla vitia, quæ disputando committi solent, perstringuntur. Pici Mirandulani judicium de disputationibus. Recta norma disputandi.

XLII.

Agitatur quæstio, an expediat Philosophiam tradere scripto, an vero Auctorem certum prælegendo. Gravia in utramque partem argumenta adducuntur ex Possevino, & Pallavicino, celeberrimis Auctoribus: Moderatio utriusque sententiæ.

XLIII.

Differitur de stili ratione in Philosophicis adhibenda. Fugienda barbaries vocum & distinctionum. Unde barbara latinitas in scholas sit invecta.

Non

Epitome Libri VIII.
Non sunt rejiciendi termini technici, seu artis hujus proprii.

CAPUT IX.

METHODUS DISCENDI ET DOCENDI PHILOSOPHIAM.

§. I.

Methodus Analytica & Synthetica.

XLIV.

Methodus Analytica & Synthetica quid sit. Comparantur cum arbore genealogica. Methodi dotes sunt perspicuitas, brevitas, & soliditas: singulæ explicantur.

§. II.

§. II.

Methodus Mathematica & Scholastica.

XLV.

Differitur de methodo Scholastica, & Mathematica seu Geometrica. Hæc posterior in rebus, quæ demonstrari possunt, recte adhibetur: non item in probabilibus, in quibus Scholastica est adhibenda.

XLVI.

Rejicitur methodus Wolffii in Philosophicis multas & graves ob causas. Ostenditur esse inutilem, immo noxiam studiosis. Judicium Crusæ Scriptoris Acatholici, & Lipsiensis Societatis de methodo Wolfii. Card. Ptolomæi sensus

sus de methodo geometrica. Commendatur methodus Scholastica tanquam clara, brevis, ordinata, & solida.

CAPUT X.

EPICRISIS SUPER PHILOSOPHIAM UNIVERSAM.

§. I.

Philosophia vetus.

XLVII.

Quatuor periodi Philosophiæ: prima sub Thalete, Pythagora, Socrate, Platone, Aristotele: eorum characteres. Diversæ Sectæ, in quas degeneravit Philosophia, & rixis plena esse cœpit.

§. II.

Varia sors Philosophiæ veteris.

XLVIII.

Secunda periodus, in qua primo doctrina Peripatetica, paullo post primis Christianæ religionis temporibus Platonica, post hanc rursus Aristotelica dominatum obtinuit: Hæc se divisit in Thomisticam, Scotisticam, Nominalem, & Recentiorem. Insigne elogium Scipionis Maffei, quod Philosophiæ Aristotelicæ præbet contra Jansenii asseclas.

§. III.

Philosophia Neoterica.

XLIX.

Tertia periodus, in qua surrexit nova secta Philosophica, maxime arca-

nis

nis naturæ per physica experimenta detegendis intenta, in Anglia, Italia, Gallia, Germania. Enumerantur nova hæc experimenta, & cum suis Auctoribus celebrantur. Producuntur nova systemata Gassendi, Cartesii, Nevvtoni.

§. IV.

Philosophia Eclectica.

I.

Quarta periodus, in qua e variis systematibus, experimentis, & doctrinis optima quæque selecta fuerunt: unde Philosophia Eclectica seu Electiva nata fuit. Recensentur præcipui, qui eam excoluerunt.

LI.

Ignominiosæ ac noxiæ Philosophorum discordiæ. Quatuor dotes, quibus Eclectica Philosophia gaudere debet.

LIBER

LIBER VIII.

DE PHILOSOPHIA.

CAPUT I.

PHILOSOPHIÆ PRETIUM, NECESSITAS ET UTILITAS.

§. I.

Ejusdem pretium.

I.

Nihil arbitror ad ſcientiæ hujus nobilitatem, æſtimationemque commendandam convenientius dicere me poſſe, quam ſi mundum hunc univerſum cum omni apparatu ſuo, qui oculis noſtris ac ſenſibus quotidie obverſatur, a ſupremo Numine in Philoſophiæ gratiam conditum fuiſſe dixero. Quem

enim finem Sapientissimum Architectum Deum præfixisse sibi credimus, quando ædificium adeo magnificum, lateque patens e grandi nihilo sua nixum mole struxit, tantaque rerum varietate splendoreque exornavit, nisi ut essent semper, qui illud contemplarentur, nec solo aspectu, quod vulgus, atque etiam bruta faciunt, satiati in rerum creatarum naturam, caussas, effectus, occultas vias, symmetriam, ordinem & arcana ratione magistra & duce indagarent, quod præcipuum Philosophiæ munus est; quamvis neque intra hos limites steterit divinæ consilium Sapientiæ, sed ulterius ex agnitione perfectionum suarum ad gloriam suam quæ inde in se tanquam summum Opificem redundat, propagandam in admirabili, quod molitum est, opere progressum fuerit. Profecto hoc ipsum est, quod per os Ecclesiastis locutus est, & cunctis palam esse voluit Altissimus, dum ait: *Mundum tradidit disputationi eorum* (a): non aspectui duntaxat, nec vanæ oblectationi, aut nudæ contemplationi, sed *disputationi eorum*; quorum? certe Philosophorum, qui hanc rationis armaturam ejusque auctore homini uni liberaliter concessæ particulam, hocque humani intellectus perficien-

(a) *Eccles.* 3.

ciendi negotium tanquam proprium sibi vendicant: & quidem *tradidit mundum*, ac si eo fine condidisset, non tam ut sibi, operis hujus neutiquam indigo (quum intra se solum satis beatus esset) quam aliis serviret, qui se totos rerum in mundo contentarum profundæ indagini consecrarent, & velut e specula tam admirabilem machinam diu noctuque contemplarentur, quod strenue faciunt Sophi. Magnum enim hac in re inter ipsos homines discrimen est invenire; siquidem mundus visui quidem sapientum & rudium patet singulis diebus; sed aliis eum oculis intuetur Philosophus, aliis vulgus. Hoc videt, quod non intelligit; ille intelligit etiam, quæ non videt, ac ingenio penetrat in arcana naturæ, ad quæ oculis non patet aditus. Atque res ista pictoribus ansam præbuisse videtur, ut passim Philosophum geminos inter globos, cœlum terramque referentes, quasi medium depingere soleant, sicque palam demonstrent, his a Deo præ aliis, horumque disputationi ac doctis curis, & laboribus domesticis traditum esse mundum, ut sapientiam inde discerent, docerentque alios. Quare non male divinavit Tullius (b), quando inquit: *Philosophia omnium mater artium, quid est aliud,*

(b) *Lib. 1. Tuscul. Quæst.*

aliud, niſi ut Plato ait, donum Dei, & *ego, inventum deorum? . . . eadem ab* *animo, tanquam ab oculis, caliginem diſpulit, ut omnia ſupera, infera, prima, ultima, media videremus. Prorſus hæc divina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, & tantas.* Neque ſolum Philoſophia, ſed vel Philoſophi nomen ſummo erat olim in pretio, & quam ſimplex eſt ac modeſtum primo ſui aſpectu, tam grande ac glorioſum videbatur præcipuis ſapientiæ proceribus, ut ſuperbiſſimis Regum ac Imperatorum titulis longe anteferrent. Comitabatur illud auctoritas maxima, & par nominis exiſtimationi, tantaque, ut eorum exempla populo eſſent velut norma vivendi agendique, & publica morum eruditio: dicta vero inſtar oraculi exciperentur. Optimates illorum in rebus ſummi momenti exquirebant conſilia, & ex ore ipſorum quaſi e tripode Delphico fuſa adorarunt reſponſa: urbes integræ atque provinciæ horum diſciplinæ ſe ſubmiſerant, & legibus gubernandas præbuerant: quin Reges ipſi tantorum ſe diſcipulos fuiſſe magiſtrorum gloriabantur, e qua re natum illud nobile commercium Philoſophos inter & Reges, ut vel *Philoſophi regnare*, vel *Reges philoſophari* paſſim dicerentur. Nec eſt, quod

hono-

honorem istum sane maximum iis duntaxat Sophis, qui mores informandi, ac leges reipublicæ ordinandæ accommodatas condendi curam in se susceperunt, ut Soloni, Socrati, Platoni, habitum esse contendant illi, qui ævo nostro Philosophiam ex antiquis primisque fontibus haustam tam indignis proscindunt modis, veluti *pedanticam* nulliusque frugis: intueantur Philippum Macedonum Regem patrem, filiumque Alexandrum M. Viros summi ingenii, simulque Reges, quorum prior Aristoteli (ei ipsi, quem adeo isti una cum Philosophia sua vilipendunt, & probris insectantur) quorum prior inquam Aristoteli regium natum suum a teneris informandum tradidit, alter Aristoteli plusquam Patri suo debere se professus est.

§. II.
Necessitas.

II.

Non equidem omnia, quæ pretiosa, etiam necessaria sunt, nisi dicere velimus, sine gemmis, monilibus, gazis, dapsilibus, pigmentis &c. humanæ vitæ societatem consistere non posse. At de Philosophia ausim pronunciare, tantam quoque illius esse

necessitatem, ut ea penitus carere nequeat homo, seu illum ut hominem privatum, seu ut membrum reipublicæ, sive demum ut Christi sacra professum intueamur. Quid enim? qui absque mente est, homo non est; oportet igitur mentem excolere, id quod proprium Philosophiæ munus est: mens autem duplici facultate gaudet, intellectu & voluntate; illum Philosophia, quæ in rerum contemplatione & arte factis versatur, istam ea, quæ de moribus est, excolit ac perficit. Unde Cicero Philosoohiam compellare non dubitavit: *animi culturam, vivendi artem, mentis medicinam, omnium bene factorum dictorumque matrem.* Certe eum in finem homo genitus est, ut opera Dei ejusque potentiam ac pulchritudinem in rebus creatis, quamdiu in terris degit, contempletur, quemadmodum testatur Sapiens (c) *a magnitudine speciei cognoscibiliter poterit Creator videri:* & Propheta (d) *Videbo cælos opera digitorum tuorum lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Hanc autem contemplationem tanquam sibi propriam Philosophia vendicat: ut nihil dicam, homines esse cives mundi; quapropter Socrates rogatus, cujas esset? scite respondit: *Mundanus sum.* Igitur oportet cognoscere homi-

mi-

(c) *Sapient.* 13. (d) *Psalm.* 8.

mines, quæ sunt in mundo, quid rerum agatur in amplissima civitate sua, quod consequi non possunt absque ministerio Philosophiæ. Quodsi autem ut reipublicæ membrum consideremus hominem, certum est, omnes fere respublicas a Philosophis seu sapientibus fuisse conditas, constitutis optimis legibus & morum præceptis. Ita Hebræorum reipublicæ Auctor & Princeps fuit Moses, Ægyptiorum Trismegistus, Græcorum Orpheus, Solon Atheniensium, Lycurgus Lacedæmoniorum, Romanorum Numa Pompilius, omnes Philosophicæ scientiæ fama & laude summe conspicui. Præter hæc jacerent in republica omnes propemodum artes atque scientiæ, si Philosophia manum non porrigeret, ac sustentaret. Absque *Dialectica*, quæ docet res latentes explicare diffiniendo, rem universam in partes tribuere dividendo, obscura explanare interpretando, distinguendo ambigua, a falsis vera discernendi regulam statuere, ad ratiocinationis stateram controversias expendere, absque inquam Dialectica nec umbram Jurisprudentiæ, Medicinæ ac Theologiæ nosceremus: sine Philosophia *naturali*, seu quæ naturam rerum scrutatur, & quæ de terra, cœlo, elementis, sideribus, fossilibus, plantis, homine, horumque omnium

indole, caussis, virtute ac vi efficiendi, de corporum motibus, eorumque legibus, aliisque naturæ phænomenis late disserit, nullæ forent artes mechanicæ, nulla temporum notitia, nullus frugum & agrorum cultus, interirent commercia, & pecudum potius quam hominum rempublicam quandam aspiceremus. Absque Philosophia *morali*, seu quæ de moribus agit, & in Ethicam, Oeconomicam atque Politicam dividitur, docetque moderari affectiones animi, justitiæ & amicitiæ leges præscribit, veramque virtutis ideam præbet, quidque in familia ad virum, uxorem, liberos, servos, universamque domus gubernationem pertinet, palam facit, instruitque tam eos, qui reipublicæ præsunt, quam qui subsunt, ad finem boni publici consequendum; absque hac inquam scientia migrarent vitia in virtutes, pax & tranquillitas seu publica seu privata, in summum adduceretur discrimen, & humanæ societatis vinculum omnino dissolveretur. Demum si hominem contemplemur Christianum, Philosophiam eidem esse necessariam ad fidei & religionis præsidium, in dubium vocari nequit. Cumprimis enim sine hac duce instar cæci palpitabit, neque per res creatas Creatorem ipsum invenire poterit, uti tamen veteres quidam sophi ope hujus

scien-

scientiæ in mediis errorum ac superstitionum tenebris invenerunt. Profecto Socrates turbam Deorum risu excepit, propterea tanquam contemptæ religionis avitæ reus ab Areopago ad cicutam damnatus: Plato ejusdem mentis fuit, inquiens: *his vanitatibus adhærendum non esse ut veris, sed ut patriæ consuetudinibus* (e). Non minus Aristoteles, Cicero, Plinius inter deliramenta plebis numerarunt irreligiosum plurium Numinum cultum: omnium maxime Cato apud Ciceronem (f) *se mirari* dictitans, *quomodo ministri harum vanitatum sibi obvii mutuum risum continerent:* quamvis hi omnes mortis metu correpti aliter in concionibus ad vulgus loquerentur, aliter sentirent in libris, & libero sapientum consessu. Non minor Philosophiæ necessitas est ad hæreticorum sophismata & fallacias detegendas, quibus ignorantes decipere solent. Hoc certe armorum genere adversus errorum magistros usi sunt SS. Patres, tum ad eos confutandos, tum ad simplices in vera fide confirmandos, præsertim D. Augustinus in libris suis contra Manichæos, Donatistas, Pelagianos &c. quorum exemplo factum est, ut Ecclesia laudabilissimum morem in scholas intro-

du-

(e) *Lib. de republ.* (f) *Lib. de Divin.*

duxerit existentiam Dei, omnipotentiam, providentiam, animæ immortalitatem &c. philosophicis quoque rationibus demonstrandi.

§. III.

Utilitas Philosophiæ.

III.

Inutilem esse hanc scientiam qui sibi persuadet, vel aliis persuadere cupit, ad sapientissimum. Regem Salomonem mittendus est, ut sapere discat. Hic, quum secundum quietem Deum spectabilem habuisset (g), fieretque sibi optio petendi, quæcunque desideraret, non divitias regum, non gloriam & magnificentiam, non potentiam & triumphos postulavit, sed sapientiam. Qualem autem? ausim dicere, Philosophiam; quemadmodum fatetur in libro Sapientiæ (h). *Ipse enim*, scilicet Deus, *dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum. Initium, consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes & commutationes temporum, anni cursus & stellarum dispositiones, naturas animalium & iras bestiarum, vim ventorum & cogita-*

(g) 2. *Paralip.* 1. (h) *Cap.* 7. & 8.

tationes hominum, differentias virgultorum & virtutes radicum, versutias sermonum & dissolutiones argumentorum, & quæcunque sunt absconsa & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia. Nempe Philosophiam auro, gemmis & armis longe utiliorem sibi & regno suo judicavit. Uti enim pietas, ita & Philosophia *ad omnia utilis:* ad animum oblectandum, ad arcana naturæ detegenda, ad temporum rationem ineundam, ad danda sapienter responsa, ad lites dirimendas, ad regendum, ad recte vivendum. Quapropter causam malam pessime defendit Joannes Angelius Werdenhagen Acatholicus (i), dum ait: Gustavum Adolphum Suecorum Regem recte publico edicto omne Metaphysicæ studium cum Logicali vanitate ita e regno suo eliminasse, ut nulli Bibliopolarum liceret tales libros impune advehere, nec subditis eos legere, statuta ingenti mulcta illis, qui hanc legem transgrederentur. Sed non quidquid Augustus facit, augustum est. Ita Licinius & Julianus, Imperatores tam sacro nomine indigni, severe prohibuerunt, ne Logicam aliasque disciplinas apud Christianos quisquam profiteretur, nimirum ut cum scientiis vera quoque religio exularet.

(i) *In Psycholog.*

ret. Opponere juvat Angelio tanquam versipelli Ulyssi Achillem multo fortiorem, & quod mirere, ejusdem sectæ Doctorem Jacobum Martinium, qui (k) hac in thrasones ejuscemodi Philippica invehitur: „ Longe igitur æquius est Augu„ stini judicium, atque hodie nonnullo„ rum male feriatorum, qui ex scholis „ Christianis Logicam, & quidem hanc „ Aristotelicam una cum universa Phi„ losophia NB. Peripatetica proscribere „ discupiunt. - - - quomodo hi impieta„ tis & injustitiæ crimen effugient? im„ pietatis quidem, dum tantum Dei do„ num tantis afficere contumeliis non „ verentur? - - injustitiæ vero, dum Ec„ clesiam ejusmodi spoliant bono, cujus „ ad recte & vere docendum, ac falsas „ erroneasque doctrinas redarguendas & „ evertendas usus maxime est necessa„ rius, & in hac parte Philistæos imi„ tantur, qui Israelitarum ex finibus om„ nes, qui tractarent artes fabriles, re„ legabant, ut ita armis destitutis Israe„ litis nulla imposterum esset sui defen„ dendi facultas. „ Verum ut magis pateat scientiæ hujus utilitas, nosse oportet, nullum ex omnibus donis quæ a Numinis liberalitate accepit homo, illustrius

(k) *In Præf. Inst. Log.*

arius esse, quam facultatem ratiocinationis. Per hanc enim tum ab animantibus reliquis distinguitur, tum ad Angelorum naturam, ipsiusque Dei similitudinem propius accedit. Unde Seneca interrogatus, quid in homine optimum esset, respondit (1) : *Ratio, qua antecedit animalia: Ratio perfecta proprium hominis bonum est : cætera illi cum animalibus, satisque communia.* Et re ipsa Ratio boni, magni, justi, veri ideam homini subministrat, cujus magisterio de rerum omnium natura & dotibus, quas Philosophi *qualitates* & *proprietates* vocant, recte judicat & secure pronunciat: plura, quæ ipsi intellectui se coram sistunt, sedulo inter se comparat, extrahitque feliciter ipsa prima principia & fundamenta, quibus totam ratiocinationis molem superstruit, & ab una veritate cognita ad aliam investigandam promovetur: demum Ratio suppeditat rectum ordinem, quo homo in suis cognitionibus & ratiocinationibus inoffenso pede progreditur; & seriem, quæ omnem gratiam, omneque lumen in illas diffundit: quo intellectus res cunctas sibi occurrentes longe nobilius intelligit, omnemque virtutem, vim & veritatem il-
le-

(1) *Epist.* 76.

lorum apprehendit. Nemo igitur jure inficiabitur utilitatem hanc maximam scientiæ illius, nimirum Philosophicæ, quæ tam grande bonum donumque Dei perficit, & mentem regit in omnibus intellectus humani pretiosissimis operibus: potius eam suavissimis & humanitate plenis Tullii verbis salutemus (m): *O vitæ Philosophia dux, o virtutis indagatrix, vitiorumque expultrix! quid non modo nos, sed & vita hominum sine te esse potuisset?*

CAPUT II.

PHILOSOPHIÆ ORTUS ET PROGRESSIO.

§. I.

Origo.

IV.

Omnium prima scientiæ hujus semina si quærere velimus, facili negotio ea invenire licebit in ipsa hominis natura, indole & œconomia mentis, quæ cuncta Deus non modo bonorum sed & scien-

(m) *Tuscul.* 5.

scientiarum omnium auctor mirabili consilio ita condidit, eoque struxit ordine, ut homo ad philosophandum natus factusque videatur. Quippe nativum *sciendi desiderium* indidit Deus homini & tale, quale in nobis ipsis atque intimis penetralibus nostris sentimus universi. Cum hoc desiderio *rerum ideæ ac species* innumeræ primo statim parenti fuerunt consignatæ, quandoquidem earum naturam, varietatem, facultatemque posteris suis clare ac distincte novit explicare, quin & nominibus maxime propriis insignire. Adjecit Deus præterea *quinque sensus*, eorumque organa, scilicet oculum, nares, aures, palatum & linguam, membraque reliqua, quibus extra se posita experiri, & per quæ ad interiorem facultatem illam, quam *sensum communem* adpellant Philosophi, singula quæ sensibus his exploravit, quasi per canalem & totidem aquæ ductus transvehere posset. Addita est *Phantasia*, quæ patria est & officina, in qua nascuntur & excitantur imagines rerum sensu perceptarum: his adminiculantibus formatur genesis rerum, quas *intellectuales* vocant, seu quæ corporis expertes non habent corporum dimensiones, quibus simulacra perficiuntur. Phantasiam sequitur *æstimatio*, quæ Judicium inferius dicitur, in quo perce-

ptio-

ptiones illæ, de quibus dixi, judicantur quales sint, velut nudæ ac simplices citra ullam adhuc ratiocinationem. Atque ad hunc usque gradum duntaxat pertingit cognoscendi vis, quæ in brutis deprehenditur. At in homine altius ac sublimius ascendit: accedit nimirum *cogitatio*, quam Græci διάνοιαν, alii superius judicium nuncupant, ubi perceptæ imagines velut ad examen vocantur ope ratiocinationis; qua ratione fit, ut facta summatim inter se comparatione opiniones variæ oriantur. Cogitationem excipit *Ratio* seu consultatio seria, qua plura ad deliberandum de una re momenta ex utraque parte colliguntur. Demum Rationi succedit *Intellectus*, cujus ea vis est, ut præmissa ratiocinatione ultimam veluti ac decretoriam sententiam ferat, qua promulgata cogitatio mentis quiescit, indubitataque scientia magno cum gaudio potitur & fruitur. Hæc autem omnia, mirabile Dei opus! tam ordinata serie, tantaque celeritate in homine perficiuntur, ut si arcanos mentis suæ sinus oculis lustrare posset, attonitus se ipsum circumspiceret, agnosceretque, quam multis atque præclaris velut instrumentis & animi facultatibus ad philosophandum ab Auctore naturæ liberaliter

liter instructus esset. Quare sagacissimus vir, Ludovicus Vives praeclare ait (n): „ Ad verum consequendum (quod prima „ dos est Philosophiae) sic semina menti „ nostrae naturaliter indita fuisse, quem„ admodum oculo vis ad colorem aspi„ ciendum, sive aliis sensibus ad pro„ pria objecta discernenda. „ Hanc humanae mentis quasi anatomen praemittere placuit, ut ab ipso auctore naturae philosophandi facultatem eidem in sui exordio ingenitam fuisse cognosceremus. Verum nobilissimam hanc mentis aciem non parum hebetavit prima illa labes peccati, quam a protoparentibus nostris contraximus, quaeque universam humani generis massam infecit. Nihilominus fuere, qui licet damnum hoc ingens in omnes diffusum ignorarent, naturae quodam ductu & lumine varias ad indagandam veritatem vias, quamvis saepe admodum lubricas, inierunt, certamque sibi methodum praescripsere, qua tanquam compendiaria via eo se perventuros esse sperabant.

V.

Ægyptii omnium primi Philosophiam coluisse creduntur, quamvis eam tantis in-

(n) *Lib. de veri invent.*

involverent mysteriis, ut apud populum illum, superstitionibus alias obnoxium, pro parte religionis haberetur. Naturæ arcana, in quæ penetrarunt, & observationes tacitas, per quas in singularium æque ac communium operum atque effectuum cognitionem venerunt, nonnisi obscuris signis & hieroglyphis explicarunt sophi discipulis suis, iisque paucis, ut hac ratione scientiam hanc quasi furarentur plebi, sibique solis sapientiæ famam ac venerationem publicam vendicarent. Unde factum, ut de vera eorum doctrina nonnisi vestigia quædam exstent. Celebrantur tamen inter præcipuos Sotion, Hermippus, & Hermodorus, quorum meminit Laertius. Secuti sunt Græci, qui velamen, quod veritati obduxerant Ægyptii, detrahebant. Tanto autem ejus inquirendæ studio flagrabant, ut teste Lactantio (o) a Thalete usque ad Platonem plures physicæ veritates fuerint detectæ, quam multis sequentibus seculis. Nullos siderum motus & vias tam solicite cœlum abscondit, quos non longa indagine deprehenderunt: nulla tellus, aqua & aer phænomena protulit, quæ illorum in observando sagacitatem fefellerunt: lapidum quoque,

(o) *Lib. 4. Instit. cap. 1.*

que, herbarum, & animalium genesin, & proprias cujusque vires ac virtutes magnis sumtibus explorarunt: cuncta demum ephemeridibus suis diligentissime sunt complexi. Equidem fateri oportet, quod in multis quoque allucinati fuerint, & a veritatis tramite in errorum avia & invia subinde deflexerint, præcipue quum de mundo, anima immortali, & providentia dei &c. scripsere: eam tamen merito laudem sunt consecuti, quod fere primi per incognitas vias in abdita & secreta naturæ penetrarint, atque ex iis & sibi & posteris copiosissimam studii hujus & meditationis humanæ materiem collegerint. In tres autem præcipuas sectas divisi fuerunt, *Jonicam*, *Italicam*, & *Eleaticam*. Prima Mileti, quæ urbs Joniæ est, circa Annum M. 3321. instituta a Thalete, quem *Philosophiæ Principem* vocat Plutarchus, *Primum Physicum* Eusebius, *Philosophorum antiquissimum* Justinus, notumque est illud Ciceronis effatum in Tusculanis: *Quando Philosophi esse cœperunt? Thales opinor primus.* Enimvero primus erat, qui deducendo veritates ex principiis certis philosophari docuit: obliquam Zodiaci viam detexit, numerum iniit Tropicorum & Zonarum cœlestium, solis eclipsin ad cal-

culos vocatam prænunciavit, annuumque illius cursum 356. dierum spatio circumscripsit. Huic successerunt in secta propaganda Anaximander, Anaximenes, & Anaxagoras Clazomenius, qui scholam hanc Mileto Athenas transtulit, &c. Altera *Italica*, quam condidit Phythagoras sub annum M. circiter 3460. ex insula Samo oriundus. Post varias peregrinationes variis scientiis & doctrinis locuples ad eam oram, quæ olim magna Græcia, nunc Calabria dicitur, delatus primum sectæ suæ lapidem posuit. Religioso quinque annorum silentio, quod a discipulis suis exegit, magnam doctrinæ suæ reverentiam conciliavit, ita ut opinionem eidem contrariam tuentibus palam diceretur: *αὐτὸς ἔφα: ipse dixit*, quibus verbis acquiescere cogebantur. Tanta vero illius apud omnes fama erat, ut facile sexcenti ad eum audiendum noctu confluerent, beatos se rati, si vel aspectu Pythagoræ frui possent. Primus fuit, qui arti huic, quam profitebatur, *Philosophiæ* nomen imposuit, illosque, qui magistro sibi operam navabant, *Philosophos*, id est, sapientiam amantes nuncupavit. Horum præcipui fuere Empedocles, Ocellus, Lucanus, Timæus, Aristarchus, Alcmæon, Melissus Samius, Philo-

Iolaus &c. Tertia *Eleatica*, quæ Veliæ sive Eliæ, magnæ Græciæ urbe, surrexit Auctore Xenophane Colophonio, qui celebriores inter discipulos numeravit Zenonem, Parmenidem, Anaxarchum, Leucippum & Democritum Abderiten, quorum postremi Atomistarum parentes jure dici possunt, utpote qui effectuum omnium causam, ipsamque adeo mundi fabricam solis atomis, diversa ratione conjunctis adscripsere.

Quamvis autem e quavis harum trium sectarum viri in Philosophia præstantes prodierint, eminuit tamen facile Jonica, quæ Triumviros celebratissimos dedit scholis, nempe Socratem, Platonem, & Aristotelem. Socrates in Attica natus Anno M. 3536. in ordinem cœpit redigere dispersas præcedentium ideas & naturæ opera, e quibus velut membris in unum corpus collectis artem atque scientiam nobilissimam condidit teste Cicerone (p), qui Socratem primum Philosophiam devocasse de cælo, & philosophiæ parentem jure dici posse scribit. Sectæ Ionicæ superstruxit *Academicam*, sic appellatam ab Academia, quæ locus erat in Athenarum suburbio situs, & ab Academo,

(p) *Tuscul. & lib. 2. de Fin.*

ios Ægypti, quin & Græciæ sapientes scientiæ hujus fundamenta promsisse e Mosis libris, in quibus præcipue in Genesi, recondita est synopsis quædam & series rerum omnium, quæ in hoc mundo spectabili occurrunt, philosophicis considerationibus digna. Angustis quidem terminis, scilicet opera sex dierum, quibus mundum condidit deus, complectentibus omnem Philosophiam suam Moses conclusit, simul tamen sapientibus latissimum cogitandi ac disputandi campum aperuit. Nam in primæ dei opere explicavit prima rerum omnium mundanarum principia, seu maximum illum globum ac tantum, quantus est mundus, tenebris adhuc suis involutum, liquida solidaque mole compactum, quem cœli terræque nomine compellat ipse: veteres vero Chaos dixere, tanquam seminarium omnium rerum creatarum e quatuor elementis coagmentatum, e quibus cuncta reliquorum dierum opera quasi ex præparata materia divinus Artifex composuit. Præterea lucem describit, quæ solis vicem tribus primis diebus egit, & diem noctemque prima mundo attulit. Diei secundæ tribuit distributionem aquarum, quæ maxima mole incumbebant terræ globo, ita ut pars in supernas, pars

in

in oras infernas amandatæ fuerint poſito inter illas firmamento. Tertia die monſtrat, qua ratione Deus tellurem partim in montes & colles extulerit, partim in valles & cavernas depreſſerit: unde factum, ut aquæ inferiores terreſtri globo adhuc circumfuſæ velut dato ſigno eum occuparint, & ibi in maria & lacus, alibi in flumina & fontes ſe diffuderint, unaque cum terra globum, quem *terraqueum* vocamus, effecerint. Eadem die quum terra prius eſſet inanis & vacua, nunc Dei juſſu gravidam multiplicem herbarum, florum, arborum, fructuum ſobolem e ſinu ſuo genuiſſe commemorat. Diem quartam impendit aſtrorum regno conſtituendo, narratque Numinis manu ſuſpenſa fuiſſe duo *luminaria majus & minus*, nempe ſolem, qui diei, & lunam, quæ nocti præeſſet, ſignarentque tempora, dies & annos, cum errantium & fixorum ſiderum choro ſplendidiſſimo. In opere diei quintæ ac ſextæ docet, quomodo grandi huic ædificio de incolis proſpexerit omnipotentia Dei: nempe corpora partim ex aquis partim e vaporibus in aera ſublatis, admenſa reliquorum elementorum portione formata animavit, & undoſam piſcibus, aeream avibus regionem habitandam tradidit:

 ſimili

ſimili ratione terra Dei verbo fœcundata e ſinu ſuo profudit innumeras animalium gradientium & repentium ſpecies natura, magnitudine, forma, colore, indole diverſiſſimas, quæ tunc quidem per ſilvas & campos adhuc innoxia errabant. Subtiliter heic ratiocinatur Moſes de animalium natalibus: quamvis enim ſingula e quatuor elementis prima die creatis compoſita fuerint, aliqua tamen, uti piſces, ex aquis, alia uti volucres ex aere, reliqua e terra fuiſſe prognata docet, nimirum dominante præ reliquis portione illius elementi, quod ad habitationem ſingulis erat deſtinatum. Prodit denique Moſes ipſam primi hominis geneſin, quem Deus corpore e limo terræ formato, anima vero e nihilo creata condidit, cuique ſociam vitæ ac ſecuturi laboris dolorisque fœminam e coſta viri eductam adjunxit, & paradiſum ſeu regionem feliciſſimam omni genere frugum, plantarum, arborum & animalium copia abundantem utrique habitandam conceſſit. En! Philoſophiam Moſaicam, quam ſimplici quidem narratione abſolvit, absque dubio tamen plurimis ſcholiis & doctiſſimis inter ſuos diſputationibus expoſuit ac illuſtravit; unde ad Chaldæos, Ægyptios, Græcos, aliosque populos do-

ctrina

ctrina hæc dimanavit, uti pridem Patres cum omni veneranda antiquitate evicerunt.

VII.

Verum post primos illos, quorum memini superius, parentes ac conditores hujus scientiæ in Ægypto & Græcia, maxime post Platonem & Aristotelem, Philosophia cœpit degenerare ab originis suæ nobilitate, multisque sordibus fons ille limpidissimus infici, vitio non suo, sed sequentium quorundam Philosophorum, invidia, levitate animi, temeritate, pertinacia & superbia laborantium. Profecto Diogenes cum Cynicis impudentem ac sine fronte, Lycon maledicam, mordacem Cleanthes, impiam Diagoras fecit; Zeno falsis eam virtutibus, veris Epicurus ejusque discipuli vitiis repleverunt: Pyrrho cum scepticis ubique dubiam reddidit, & omnia negandi libidine omnino corrupit. Ita varias in formas migrare coacta est Philosophia, prout cujusque prava animi affectio atque ambitio jussit, quemadmodum questus est pridem Cicero *Nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum.* Et Lactantius (r) *unaquæque secta alias evertit,* *ut*

(r) *Lib.* 3. *cap.* 4.

ut se suaque confirmet. Quapropter nemini mirum videri debet, quod Philosophia in plures brevi sectas abierit. Præter tres jam memoratas, scilicet Jonicam, Italicam & Eleaticam alia fuit *Academica*, cujus dogmatum caput erat, nihil esse certo verum, sed quædam tantum probabilia. Quippe Socratis, cui solemne erat dicere, *se nihil scire*, bonum effatum male interpretabantur Academici: unde nonnisi vehementes in utramque partem disputationes fervebant modico veritatis detegendæ fructu. Alia *Cynica*, quam erexit Antisthenes Atheniensis, quamque Diogenes Cynicus & Crates Thebanus famosam fecere. Nomen autem sortita est a canibus, vel quod canum instar sine pudore quævis etiam fœda palam agerent, vel quod canino dente hominum mores passim arroderent. Alia *Stoica* Zenone Antesignano, qui solitus est *stans* sub porticu docere: quare *Stoam* adpellarunt. Qui huic successerunt Viri admodum clari fuere Chrysippus, Seneca, Epictetus & alii, qui quibusdam rejectis dogmata Stoæ magnam partem professi sunt. Præcipuum hujus scholæ dogma fuit Apathia seu animi indolentia, qua nefas erat ulla re ad affectiones amoris, tristitiæ, gaudii &c. moveri, sed im-

mobi-

mobilem oportebat esse in omnibus *Stoicum :* Fato etiam eversa hominis libertate cuncta fieri ac regi docuere non pauci hujus sectæ discipuli. Alia *Sceptica*, quæ parentem habuit Pyrrhonem Elidensem omniaque in dubium vocavit, nec assentiri cuiquam nec dissentire solita; unde pyrrhornismus, seu falsa tuendi & vera impugnandi libido ortum traxit. Denique *Eclectica*, quæ Potamon Alexandrinus instituit, quæque singulis e sectis dogmata sua collegit, quæ saniora credidit, in nullius jurans verba Magistri; hinc *Electiva* nuncupatur. Ita in partes distracta erat Philosophia, immo perdita Græciæ libertate Alexandriam a Ptolemæis migrare jussa est, & aliquamdiu sedem ibi fixit, donec ex Ægpto quoque in exilium pulsa Athenas rediit, non sine insigni lucro & gloria.

VIII.

Quippe maximi quique viri & flos adolescentum Roma eo profecti sunt, ut audirent Græciæ Sophos, & sapientiæ dogmata tanquam optimas merces in patriam secum asportarent. Tribus enim a constituta Republica seculis armorum bellorumque ad Italiam & finitimas regiones sub jugum mittendas gestorum cura Romano-

rum

rum animos obsedit, ut vix aliam ingenii culturam adhiberent, nisi quam poscebat militia : pacatis postea rebus & instituto cum Græcia commercio factum est, ut Romani fierent eorum discipuli, quorum erant Domini, id quod ingentes magistris in arte stimulos addebat ad Philosophiæ studium totis viribus perficiendum, quum tam potentis Reipublicæ, ut erat Romana, juventutem nobilissimam Athenis ad scholas suas advolare cernerent, ejusque probam institutionem maximam esse suam patriæque gloriam existimarent. Neque juvenes solum, sed & summi Viri in ætatis flore constituti eorum disciplinæ se commiserunt, uti Lœlius Scipio, Julius Cæsar, ipseque Tullius, qui postea omne fere tempus, quod eloquentiæ subtrahere potuit, Philosophiæ visus est impendisse. Nam plures scripsit libros, quos Academicos vocat, in quibus Platonis & aliorum Philosophorum doctrinam explanat : eam quæ de moribus agit, præsertim Stoicorum & Epicureorum, in libris de Finibus & QQ. Tusculanis late persequitur, & in Hortensio scientiæ huic amorem æstimationemque conciliare modis omnibus satagit. Certe turbulentis illis Reipublicæ temporibus in villam suam ruri se recepit, doctisque meditationibus

Philo-

Philosophicis ac disputationibus adeo intentus erat, ut teste Plutarcho minus curaret se esse Oratorem, quam esse Philophum. Verum sub Imperatoribus Augustum sequentibus, Tiberio, Caligula, Nerone, Domitiano &c. partim tyrannis & dominandi libido, qua Principes isti flagrabant, partim Philosophorum publica & turpis adulatio, quam certatim velut tributum Cæsaribus ut ut improbis & stolidis exhibebant, omnem fere artem istam protrivit; multi solo habitu externaque specie Sophos se profitebantur, de doctrina, veritate ac moribus parum solliciti: *non virtute & studiis*, inquit Fabius (s) *ut haberentur Philosophi laborabant. Sed vultum & dissentientem ab aliis habitum prætendebant.* Inde natum proverbium: *Barbam & pallium video, Philosophum non video.* Mitiora nonnihil tempora illuxere regnantibus Trajano, Adriano, Antonino & Commodo, qui non solum favores impendebant Philosophis, sed & ipsi audire Philosophi cupiebant.

§. II.

(s) *Lib. 1. Proœm.*

§. II.

Philosophiæ progressio.

IX.

Inter hæc nubila emicare cœpit lux Divinæ cujusdam Philosophiæ, quam ipsa æterna Veritas Christus Dei Filius in hunc mundum secum adtulit. Per hanc plurimi absurdique errores gentilis Philosophiæ subito fuerunt detecti, adparuitque quale sit supremum illud Bonum, de quo vanissimas tot seculis contentiones & innumeras quæstiones excitarunt Philosophi: asserta est animæ immortalis conditio, negata mundo æternitas, Providentia Dei expulso fato in pristinam sedem ac dominatum restituta, detracta vitiis virtutum larva; verbo, brevi promulgato per mundum Evangelio nauseam creare cœpit Philosophia de moribus seu Ethica pagana: ea vero, quæ Christi legem veramque Sapientiam complexa est, caput erigere ac plurimos sectatores numerare visa est. Ab eo tempore Christianorum multi, præcipue Patres veræ fidei vindices, omnem adhibuerunt conatum, ut sanæ Philosophiæ placita discerent docerentque alios, eo consilio, tum ut falsæ paganorum sapientiæ atque superbiæ

limites

limites ponerent, & præmunirent Christi asseclas, ne ethnicorum Sophorum argutiis deciperentur, tum ut semper in Ecclesia essent Viri eruditione præstantes, qui solidis ac subtilibus argumentis nascentes jam tunc hæreses in ipsis cunis opprimere nossent. Quippe non pauci, dum temere cum gentilibus Philosophis doctrinam Christianam impugnantibus congressi sunt, eorum irretiti sophismatis ad aliena a fide dogmata deflectebant, & male semel prolata postmodum adhuc pejus defendebant: alii etiam Philosophorum, gens sectæ suæ tenacissima, ut Stoici & Platonici, fidelium numero adgregati, placita sua cum regulis christianis conciliare volentes, infelici partu hæreses diffuderunt, aliosque incautos eodem infecerunt doctrinæ suæ veneno. Quapropter ad deprimendum philosophiæ paganæ fastum insurrexere Viri Sapientissimi, qui studio huic operam suam addixerunt, inter quos eminebant Justinus Martyr, Tatianus, Athenagoras, Apollinaris Episcopus Hierapoleos, Meliton Sardiæ, & S. Irenæus in omnibus scientiis versatissimus: ipse Tertullianus palam fatetur, necessitate quadam Religionis defendendæ adductum se fuisse, ut Philosophiæ studeret: Lactantius, qui om-

nes Philosophorum sectas probe callebat, Arnobius, Ammonius, qui primus Aristotelis doctrinam philosophicam Christianis explanavit: Basilius grandis Dialecticus, & Augustinus, qui tres libros adversus Platonicos scripsit, atque unum de Dialectica, qui in primo operum ipsius Tomo reperitur. Florebat igitur seculis illis Philosophia pura, casta, & a sordibus ac monstris opinionum ethnicarum a sacris Doctoribus expurgata, qui eam ancillari fidei dogmatibus coegerunt, neutiquam vero dominari patiebantur. Certe æmulatio Christianos inter & Gentiles regnans ejus studium ad sublimem gradum evexit, in quo tamen stare illi diu non licuit. Nam ubi seculo IV. & V. Vandali, Hunni, Gothi, & Longobardi Italiam inundarunt, sicut aliæ bonæ artes ac scientiæ, ita nobilissima hæc, de qua loquor, miserando naufragio periit, paucis in litus evadentibus.

X.

Postquam vero Arabes, maxime in Hispania circa seculum VIII. rerum potiti sunt, quemadmodum in Imperio, ita & in regno literario magna mutatio secuta est. Hominum genus hoc subtili admodum ac præcipiti ingenio præditum Aristo-

ſtotelem ejusque doctrinam e tenebris, in quibus diu ſepulta jacuit, in lucem protraxit: ſed quum Philoſophi hujus verbis atque contextui ſuperſtitioſe nimis inhærerent; parum ſoliciti de ſoliditate ac veritate indaganda in varios & ipſi errores philoſophando ſunt prolapſi. Inter hos fuerunt facile principes Avicenna & Averroes, de quibus Vives ait (t): *Iſti pro flosculis philoſophiæ & arboribus placidiſſimis crucem ingeniis fixerunt:* Item: *Averrois doctrina, & Metaphyſica Avicennæ, omnia denique illa Arabica mihi videntur reſipere deliramenta Alcorani: nihil fieri poteſt illis inſulſius frigidiusque.* Fateri nihilominus oportet, quod multum profuerint ſcholaſticis ſequentibus, qui Ariſtotelis doctrinæ publice ſacramentum dixere. Quippe ex Arabum ſedula lectione ſubtilem quemdam & accuratum docendi modum hauſerunt, qui tacite in ſcholas ſe ſe inſinuans ad noſtra usque tempora regnare videtur. Profecto Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Gilbertus Porretanus Epiſcopus Pictavienſis, Petrus Lombardus, grandes Dialectici, præ reliquis vero D. Thomas Aquinas, quando in Ariſtotelis libros incidit, interpreta-

(t) *Lib 5. de cauſis corrupt. art.*

pretatione ac translatione Averrois illustratos, methodum inde depromsit, sane solidissimam ordinatissimamque; qua ad eruendam veritatem, & stabilienda dogmata ac errores refellendos nihil utilius, nihil magis succinctum, nihil clarius simul ac fortius excogitari posse videtur. Atque hanc ipso usu comprobatam postmodum in plerisque Orbis Catholici Academiis palam secuti sunt præstantissimi quique nobilissimique Doctores, qui scientias sublimiores, maxime Philosophiam ac Theologiam e cathedris professi sunt. Verum neque huic, quæ ratione ac Veterum authoritate plurimum nitebatur, Philosophiæ licuit diu a sectis immuni esse. Prodiit enim Joannes Duns, cognomento Scotus, ingenio supra modum subtili præditus, & *Thomisticæ Scotisticam* opposuit scholam; Ochamus autem *Nominalium* caput & Antesignanum se constituit, naturas universas *vocibus* signare ac distinguere solitus, uti Scotistæ *realitatibus*. Quapropter ingens bellum inter scholæ Doctores exortum est, & prout quisque præstabat intellectus acie, usque oris, cum adversa parte debellatum esse credebat: ad refellendos tamen errores & veterum figmentorum nænias magno consensu conspirabant omnes, & veritatis ac

fidei

il hostibus formidabile se reddidit ipsum, losophandi genus. His ipsis tempori- novam Philosophiæ faciem inducere co- i sunt Raymundus Lullus, Cardanus, Paracelsus, ingenia heteroclita & com- nium opinionum osores perpetui. Hi e tribus scientiis, Medicina, Physi- & Astronomia quartam veluti speciem losophiæ conflare nitebantur, unus micam, alter cabalisticam, ultimus chanicam. Lullus e commercio cum ibus doctus quidem prodiit, sed chy- fumis plenus, quam scientiam esse si dictatoria potestate voluit. Carda- mixtum quemdam e Mercurio & Sa- no deprædicavit spiritum, qui nonnisi somnium se communicaret, & arca- quævis doceret per cabalam e sideri- haustam. Paracelsus novam cudere losophiam tentavit, advocata in auxi- arte mechanica, sed præter ænigma- & mysteria vix ulli pervia nihil solidi ucem protulit, & præceptorum mul- dine, ac insolentia terminorum cun- bonis artibus bellum indixit. Istorum nium trium obscura & tristis ratioci- di methodus ætatem non tulit, brevi pore ubique gentium explosa. Inter- um omnem fere Europam philosophiæ & studium corripuit; singulæ natio-

nes pro suo quæque genio illi se indulgebant. Hispani profundæ & cuncta rimari adsueta indole præditi plurimum metaphysicis & dialecticis ratiocinationibus tribuebant: Itali mobilis promtique ingenii, speciosis ideis & curiosis quæstionibus delectabantur, Galli excitatæ ac politicæ mentis, quidquid boni in aliis Philosophis deprehenderunt, sibi ad exornandum, & clare distincteque proponendum vendicarunt: Angli severo & acri studio in ipsa naturæ viscera & secretos caussarum & effectuum recessus per physicas observationes penetrabant: Germani non ita subtiles, summe tamen industrii, mechanicis chymicisque experimentis laboriosum quoddam philosophandi genus sunt amplexi.

XI.

Dum itaque suo quisque genio viveret in republica Philosophica, nemini præterquam sibi, suisque opinionibus obnoxius, novæ philosophiæ fundamenta posuerunt circa seculum XVII. Franciscus Baconus de Verulamio in Anglia, & Galilæus de Galilæis in Hetruria, quibus accensendus quoque Robertus Boyleus. Hi rerum naturam diu & profunde rimati eam ad Staticæ ac Mechanicæ leges

ges compositam orbi literato proposuerunt, multisque illustrarunt experimentis. Duces istos magno numero secuti sunt in Italia quoque, Germania, Belgio &c. viri doctissimi expertissimique Otto Guerickius, Tschirnhusius, Toricellus, Drebellius, Schottus, Scheinerus, de Lanis, Raius, Malpighius &c. qui ingenti machinarum adparatu ipsius naturæ viscera explorasse visi sunt, de Physica, quam experimentalem vocant, immortaliter meriti. Non minus in Gallia, novandi studiosissima, duo prodierunt, Gassendus & Cartesius, qui Peripateticam eversuri philosophiam longa meditatione aliam fabricarunt, e veterum quorumdam sophorum placitis conquisitam, & imaginationibus suis conformatam, non tam ut veritati servirent, quam ut ab orbe literato plausum ferrent. Petrus quidem Gassendus Ecclesiæ Diniensis in Gallia Præpositus, & Mathesis in Academia Parisiensi Professor Regius, circa annum 1645. Epicuri, Democriti & Leucippi systema de atomis æternis & infinitis, ex quibus mundum & omnia coaluisse volebant, emendavit docuitque, ex iis numero finitis, sed ubique diffusis ac magnitudine figura & motu diversissimis, rite tamen inter se combi-

natis omnia generari corpora, & beneficio decentis nexus atque *texturæ* ut vocant, mira efficiendi, immo & vivendi, vegetandi ac sentiendi vires aquirere. Emendavit inquam, sed simul novos errores & insolita quædam figmenta immiscuit: Renatus vero des Cartes seu Cartesius Hagæ Turonum natus, qui post lustratas varias regiones diu sedem in Hollandia fixit, tandem Holmiæ, ubi Christinam Sueciæ Reginam philosophicis disciplinis imbuit, anno 1650. vita functus, aliud systema, quod mox referam, in lucem protulit. In Societatis nostræ scholis Flexiæ primum humanioribus & philosophicis excultus studiis, militiæ postmodum animum adjecit, etiam inter arma mathematicis ac physicis meditationibus intentus, quas Lutetiam e castris redux perfecit, & inde in Hollandiam profectus, ne quis philosophandi libertati obsisteret, ibidem typis dedit. Effugere tamen non potuit graves censuras tum virorum doctissimorum Huetii, Voetii, Maresii, Danielis &c. tum ipsius Galliarum Regis, Philosophiam Cartesianam publica interdictione perstringentis. Neque etiam in Italia & Germania, in Hollandia & Anglia firmas radices agere potuit. Fuerunt tamen, qui Cartesii do-

ctrinam nimium lascivientem moderati sunt, quos propterea Semi-Cartesianos adpellant, quique saniora ejus dogmata in Philosophiam suam Eclecticam transtulere. Cætera vir hic ingenio singulari multa scripsit eleganter ac subtiliter, sed toti naturæ quasi vim intulit, ejusque œconomiam vix non penitus evertit. Docuit enim Philosophus iste, in ipso mundi exordio particulas quadratas & cubicas per universum a Deo disseminatas impresso ipsis motu in se mutuo ita impegisse, ut attritis angulis tria diversæ sortis elementa prodierint: ex his primum minutissimas partes continet tanquam scobem subtilissimam: secundum globulos comprehendit, in quos cubicæ atomi resectis angulis tornatæ sunt: tertium in ramentis consistit figuram habentibus hispidam & villosam. Materia sic divisa in triplicem elementorum classem, rapidissimo quem Deus hisce particulis impressit circa voticem suum impetu partes crassiores, minusque ad motum aptæ, a centro fuerunt expulsæ, ac in tertii generis elementum, & ex hoc in globos majores, ut est terra, aqua, aer, deinde in planetas cæteros, si solem excipias, denique in cometas coaluere. At globosa secundi elementi materia, utpote ad

motum priore aptior, non ita longe a centro vorticis abrepta est, sed velut in medio constituta potissima parte cœlos soli & stellis fixis circumfusos, ætheremque hoc aere nostro multo subtiliorem composuit: primi demum elementi particulæ ad vorticis sui centrum confluxerunt, ubi corpus efformant purissimum lucidissimumque, puta solem & stellas fixas, quæ totidem soles minores sunt Cartesio. Constituta sic pro lubidine sua, & in cerebro fabricata mundi machina quasdam heteroclitas opiniones adjecit. Vult enim præterea, motum a deo inditum materiæ semper perseverare, ita tamen, ut quantum de motu una pars amittit, tuntundem alteri communicetur, adeoque nullum recens produci: bruta esse meras machinas & automata, qualia fere sunt horologia vel organa pneumatica: essentiam corporis positam esse in trina dimensione, scilicet longitudine, latitudine ac profunditate, adeoque fieri haud posse etiam per Dei potentiam, ut duo corpora penetrentur: repugnare vacuum, ut loquuntur Philosophi; plures condi mundos non posse &c. Atque hoc systema suum vocat hypothesin, quam ipsemet se finxisse fatetur; ex quo palam fit, quantum veri-

tatis

ris insit Cartesii doctrinæ, nimirum haud as, quam cuivis figmento. Infecit taen secta hæc Cartesii fere omnem Eupam: detectis autem demonstratisque n paucis, quibus hæc hypothesis scat, erroribus non defuere viri docti, i sanas quasdam opiniones, & physii rebus scite explicandis admodum idoas, ut dixi, in suam philosophiam n sine ingenio transtulerunt. Post Gasndum & Cartesium memorandus venit acus Newtonus, Eques Auratus, cui tria fuit Cantabrigia in Anglia, vir prondissimi ingenii, qui præclaris novisque ventis utrumque seculum illustravit, nas 1642. mortuus 1727. ætatis anno 85. ic aliam Philosophiæ œconomiam instiit: nam abjectis hypothesibus, quibus mium tribuebant qui antecesserant, ad sa naturæ phænomena profundius rianda animum & manum adjecit, atle ex illis intimæ perspectis certas leges uit, quibus mutuas corporum ad se incem affectiones determinavit, atque cosam illam priori seculo vim attrahenm, seu *attractivam*, corporibus insim Philosophiæ restituit.

XII.

XII.

Interea dum isti scientiam hanc in aliam redigere formam ingeniosius quam felicius conabantur, alii præsertim in Anglia, Batavia & Germania hoc & priori seculo fuerunt, qui omnem fere laborem & conatum in experimenta, seu physicam *experimentalem* prodegerunt, quibus arcana naturæ plura semper & plura in lucem protraherentur: detecta est aeris gravitas & vis elastica, ejus siccitas & humor, frigus & calor ope Barometri, Thermometri Hygrometri; maxime vero illius vires stupendæ, ac mirabiles effectus sese prodiderunt in nobilissima machina, quam Antliam pnevmaticam adpellamus, & in hemisphæriis Magdeburgicis: ignis latens virtus explorata fuit per vitra & specula caustica & parabolica, novissimisque temporibus copiosa naturæ prodigia palam fecit Machina Electrica. Non minus prospero eventu tentata est indoles aquæ, quod testantur fontes salientes, aquæductus ad maximam altitudinem evecti, detecta elementi hujus cum aere æquilibratio, campana cujus ope Urinatores sub aquas innoxii descendunt, aliæque plures machinæ hydraulicæ, ut nihil dicam de iis, quæ in summum navigatio-

commodum inventa fuerunt. Terra
oque immunis non fuit ab indagine
acium ingeniorum: mira magnetis
tus magnis aucta incrementis, expsi-
a ejus vis attrahens & repellens fer-
n, ac dirigens ad mundi polos, fossi-
m, terræ ac plantarum cognita natura
vires, lustrata terræ motuum ac ven-
um patria. Meteoris etiam ac phæ-
menis, iridis, fulminum & cometarum
nesi, caussæ marini æstus &c. dete-
ndis ac explanandis opera non inutilis
impensa: verbo, nihil ita reconditum
naturæ sinubus, quod non indefesso
ore ac studio, quantum fieri potuit,
Philosophis magni nominis ac ingenii
erit in lucem publicam protractum.
ec facies Philosophiæ, quæ hodie in
risque regionibus viget, & in qua plu-
ium experimentis, parum ratiocinatio-
datur, & tantum doctrinæ soliditati
alias quoque scientias plane necessa-
: detrahitur, quantum curiositati libe-
cursu per omnia vaganti adiicitur. Ne
ro quidquam deesset veteri Philoso-
iæ nimio speculandi studio deditæ seu
iendandæ seu evertendæ, methodum
oque novam invexere quidam anti-
æ pertæsi, inter quos Wolfius in Ger-
nia notissimus, qui Scholasticæ ac Ari-
sto-

stotelicæ Mathematicam seu Geometricam substituit, innumeris scholiis distinctam. Hæc pro iis solum ingeniis condita esse videtur, quæ in insulis fortunatis nata sunt; & quamvis per plures annos magno, ut in rebus novis fieri solet, plausu excepta sit methodus ista, validis tamen argumentis ostensum est, eam ad crucianda potius ingenia, & per innumeros flexus viarum in labyrinthum quemdam vel chaos impervium perducenda, quam ad claras cognitiones rerum & genuinæ veritatis doctrinam provendam excogitatam fuisse, ut pluribus suo loco demonstrabitur. Quare sanior Philosophorum pars Eclecticam hodie Philosophiam profitetur, meliora ubique dogmata seligentem, & utrique suum tum experimentis tum rationi tribuentem, servata methodo Aristotelica, qua ad veritatem indagandam stabiliendamque sane melior hucusque inventa non est.

CAPUT

CAPUT III.

OECONOMIA PHILOSOPHIÆ.

§. I.

Partitio Vetus.

XIII.

Emenso historiæ Philosophicæ spatio ad ipsam scientiæ hujus œconomiam & structuram pergo, tam antiquam, quam novam, si tamen nova dici potest, quæ permutatis solummodo nominibus, ordine ac phrasibus quidquid boni doctique habet, venerandæ antiquitati acceptum referre debet. Vetustissimis temporibus Philosophiæ ratio ea fuit, ut circa unam solum physicæ speciem versaretur, angustis omnino terminis conclusa, uti maximis etiam fluminibus contingere solet, qui tenuem habent originem, & primum rivi sunt, quos utroque pede transilire licet. Amplior facta est, & fines suos dilatavit ævo Socratis, qui Ethicen addidit, seu quæ de moribus est:. Plato autem Dialecticen adjecit, atque ita consummato Philosophiæ operi manum extre-

tremam imposuit. De hoc Apuleius (u) testatur: „ Quapropter inventa Parme„ nidis ac Zenonis studiosius executus, „ ita omnibus, quæ admirationi sunt sin„ gula, suos libros explevit, ut primus „ tripartitam Philosophiam copularet, „ sibique invicem necessarias partes ne„ que pugnare inter se tantummodo, sed „ etiam mutuis adjuvari auxiliis ostende„ rit. „ Hanc partitionem secuti sunt fere omnes post Platonem, totamque quà late patet Philosophiam distribuerunt in *Naturalem*, *Moralem*, *Dialecticam*. Prima omnem naturam, & arcanorum caussas scrutatur, nec solum universis, sed etiam singularibus est intenta: præterea complectitur Physiologiam, Metaphysicam & Mathematicas quasdam disciplinas. Altera prudentem virum & bonum per morum præcepta format, seu Stoica illa sit, seu Academica. Tertia bene disserendi rationem docet, dum ratiocinando ex cognitis incognita deducit curatque, ne in dogmatum naturæque examine declinet intellectus a veritatis tramite fallacis cujusdam argumenti specie deceptus. Nec sine consilio facta esse videtur hæc in tres partes distributio. Quippe Philosophia tota quanta est, ad

(u) *In dogmate Platon.*

d felicitatem humanam ordinatur teste Augustino (x) qui ex Platone demonstrat, nullam homini esse philosophandi caussam, nisi ut beatus sit: felicitas autem humana duabus basibus insistit, scilicet actioni virtutis ac contemplationi veritatis. quare opus est geminis quibusdam scientiis, quarum una ad virtutem morumque honestatem erudiat; estque haud alia, quam *Moralis* Philosophia: altera vero, quæ solius veritatis cognoscendæ studio occupetur, diciturque Physica seu *Naturalis*: e quibus tertia denum oritur, nempe *Dialectica* seu ars disserendi, quæ certas leges præscribit, quibus exclusa falsitate intra veritatis limites mens contineatur, neve errore decepta allucinetur. Hoc ipsum apta similitudine declarat S. Augustinus (y) dum ait: „ Quemadmodum tria „ sunt, quæ in quolibet artifice, ut ali„ quid efficiat, spectantur, *Natura*, *do*„ *ctrina*, *usus*, quorum primum ingenio, „ secundum scientia, tertium fructu di„ judicatur, sic triplex a Philosophis in„ veniri debuit disciplina: *Naturalis* „ propter naturam, *Rationalis* propter „ do-

(x) *Lib.* 19. *de Civit. Dei. cap.* 1. (y) *Lib.* 8 *de Civit. Dei cap.* 4.

„ doctrinam, *Moralis* propter usum. „ Hæc partitio erat veteris Philosophiæ. Fuerunt tamen, qui ævo illo, quo Aristotelis doctrina diu sepulta rursum caput erigere cœpit, ac latius dominari, eundem ducem secuti integram scientiam hanc majoris claritatis ac ordinis melioris gratia in quatuor partes diviserunt, scilicet in *Logicam*, *Physicam*, *Metaphysicam* & in *Ethicam* seu *Moralem*: Atque hæc divisio magno Doctorum consensu, longissimoque usu in præcipuis Academiis in hanc usque diem recepta & civitate donata fuit; nec absque prudenti consilio ac maturo judicio. Est enim Philosophia cognitio earum rerum, quæ nosse ad hominis perfectionem pertinet: primo quidem, ut sciat ratione uti, quod officium Logicæ proprium est, quæ regulas tradit omnino certas, & veluti limites ponit, quibus si recte utatur, in orbita continetur ratio, ne ultra veritatis viam regiam evagetur. Deinde ut hunc mundum aspectabilem, cui contemplando natus factusque est, non ignoret, quod Physica docet, cujus munus est, mortuum & naturæ tum universæ tum singularis origines ac primos fontes, caussas & effectus scrutari. Rursus ut ex mundi cognitione ad Dei & rerum di-

vi-

vinarum cognitionem, quantum ipsi fas est, adsurgat; & hoc Metaphysica benevole præstat, quæ tum circa communissimas entis rationes ab omni materia abstractas, tum circa res altissimas, Deum, Angelos &c. occupatur. Demum ut recte vivere sciat, quod est opus Ethices seu Moralis, ultimum hominis finem, honestatem in agendo, vitiorum ut fugiat, & virtutum ut sectetetur, indolem contemplantis.

§. II.

Partitio nova.

XIV.

Verum postremis hisce temporibus, ut novam & meliorem, si superis placet, faciem inducerent Philosophiæ Neoterici, præcipue Wolfius, de quo prius memini, & scholam suam usque ad Peripati contemptum plausibiliorem redderent, aliis uti nominibus, aliamque totius fabricæ divisionem machinari cœperunt. Quas Peripatetici *primas mentis operationes* ac *simplices apprehensiones*, illi *notiones* ac rerum *ideas* vocant, ita ut ipsa in mente existens imago rei, quæ repræsentatur, *idea objectiva*, cognitio repræsentans *idea formalis* audiat. Co-

gnitionem autem ex notionibus ortam triplici ordine ponunt, atque *historicam*, *philosophicam* & *mathematicam* adpellant, quarum prima est nuda rerum naturalium cognitio, altera ratione firmata, tertia vero *quantitate claritatis*, *intensionis*, *motus*, *velocitatis* &c. vestita. Præter hæc eam Philosophiæ partem, quæ de Deo agit, *Theologiæ naturalis* quæ de anima *Psychologiæ*, quæ de corporibus, *Physicæ*, Metaphysicæ autem *Onthologiæ* nomen imponunt. Non minus ipsa Physica, ejusque partes novis abundant vocibus: illam quæ prima tradit rerum principia *Dogmaticam*, quæ experimentis operam novat *Experimentalem*, quæ mundi fabricam considerat *Cosmologiam*, quæ meteora explicat *Meteorologiam*, quæ de fossilibus agit *Oryctologiam*, quæ de aquis, plantis & vivis corporibus anima præditis tractat *Hydrologiam*, *Phytologiam*, *Physiologiam* salutant. Philosophiam demum, quæ circa morum institutionem versatur, & ipsi *Practicam* vocant, in *Ethicam Politicam*, *Oeconomicam* & *Technologiam* partiuntur. En! latentes sub novis & speciosis nominibus res antiquas. Quis enim est adeo in hac scientia peregrinus, qui non videat, hæc omnia, quæ Neoterici voca-

bu-

bulis istis designant, pridem in Peripato non docte minus, quam utiliter ac splendide pertractata fuisse, & hodie adhuc pertractari, licet retenta veteri, id est, solidiore methodo, qua non solum experimentis ad scrutanda naturæ arcana servientibus, sed etiam ratiocinationibus ad intellectum acuendum & ad omnes alias scientias sublimiores rite percipiendas adeo necessariis locus conceditur; ne Philosophia in merum mechanismum (ut modo passim fit, sed perperam) degenerare videatur. Ista de partitione: nunc ad ipsas partes; & primum quidem ad Logicam.

CAPUT IV.

LOGICA.

§. I.

Logica docens.

XV.

Hæc si Ciceroni credimus, est *ars vera & falsa dijudicandi* (z) & Dialectica *veri & falsi, disceptatrix*

(z) *Lib. 2. de Orat.*

trix & judex (a). Utroque nomine complectimur eam Philosophiæ partem, quæ mentem & rationem in veritatis cognitionem dirigit, hæc disputando, illa ratiocinando. Aristoteles, qui primus operi huic stabiliendo ac perficiendo manum admovit, perquam honorifica adpellatione eam insignit, dum *Organum* seu instrumentum vocat, quo ad alias scientias omnes acquirendas utimur. Primum autem in discendo docendoque locum Logica merito sibi vendicat, quum priusquam in rebus ipsis veritatem inquirimus, modum inquirendi scire oporteat. Quanta sit artis hujus dignitas atque utilitas, facile patet ex fine, quem sibi præfixum habet; quemadmodum enim nihil est mente dignius, nihil menti magis necessarium quam veritatis cognitio, ita nihil præstantius atque utilius ea facultate, quæ mentem in veritatis cognitionem velut manu ducit. Nec minor est necessitas illius ad scientias in gradu quodam perfecto acquirendas, utpote quam aperte profitetur. D. Augustinus (b) dum ait: *Disciplina disciplinarum, quam Logicam vocant, hæc docet discere, hæc sola scientes facit.* Nolim per omnes longio-

(a) *Libr. 4. Academ.* (b) *Libr. 2. de Ordin. cap. 13.*

giore circuitu scientias vagari: sufficere poterit Ciceronis judicium de Jure Civili (c). „ Sic enim Brute, inquit, existimo, Juris Civilis magnum usum esse & apud Scævolam, & apud multos fuisse: artem in hoc uno: (nempe Servio Sulpitio) quod nunquam effecisset ipsius Juris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ docet rem universam tribuere in partes, latentem explicare diffiniendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa dijudicarentur, & quæ quibus propositis essent, quæ non essent consequentia. Dialecticam mihi videris dicere. ita plane. &c. „ Profecto & Gratianus Juris Sacri, & Ulpianus Profani conditores peritissimos, ut alios quamplurimos silentio prætercam, in palæstra Dialectica diligenter & gnaviter desudasse omnibus palam est, Platonis forte judicio excitatos, cujus illud fuit hac in re decretum: Accessum ad civiles artes intercludendum esse iis omnibus, qui de arte Dialectica nihil ante prælibassent. Merito igitur de illis expostulandum, qui-

(c) *In Bruto.*

quibus insalutata Logica, vel non probe cognita ad jurisprudentiam, aliasque scientias transiliendi venia conceditur cum gravi reipublicæ damno. Jam vero Logica, quemadmodum hucusque in scholis bene moratis tradita fuit, partim quæstiones, partim præcepta complectitur; Si enim utraque hæc miscerentur, periculum foret, ne quæstionibus præcepta obruerentur, ac confunderentur. Inde nata est divisio in *Logicam Minorem* & *Logicam Majorem*. Minor tres mentis operationes, *Apprehensionem*, *Judicium* & *Argumentationem* explanat: *in prima* de terminis in schola usitatis, eorumque proprietatibus scitu necessariis, de suppositione, definitione ac divisione agit, harumque rectam constructionem regulis quibusdam concludit. *Secunda* propositionum naturam, varietatem, oppositionem, contradictionem, & contrarietatem ac conversionem indagat, certasque pro his omnibus leges statuit. *Tertia* de argumentatione tractat, de natura & multiplici specie syllogismorum, quibus principiis dirigatur, quot figuris & modis constet; tum regulas præscribit, vitia detegit, modumque inveniendi argumenta suppeditat. Hoc Logicæ minoris opus est. At Major tota est in quæstionibus circa tres

me-

memoritas mentis, operationes & proponendis & solvendis: & quidem de quinque universalibus, genere, specie, differentia, proprio & accidente (Isagogen adpellant, quam conscripsisse fertur quidam Judæus, Malchus nomine, qui deinde Porphyrium se dixit, & de quo incertum, magisne doctus an impius fuerit, quippe Apostata & Christiani nominis hostis accerrimus) de prædicamentis substantiæ, quantitatis, relationis, qualitatis &c. Demum propositionis & syllogismi vim & dotes examinat. Hæc omnia Aristoteles, quem Tullius merito utriusque partis Dialecticæ principem vocat, tum libris περὶ ἑρμηνείας seu interpretationis, & Categoriarum, tum Analyticis & Topicis, atque Elenchi, ubi omnes sophismatum fallacias in lucem protrahit, consignata reliquit. In his primus novam detexit viam perveniendi velut geometricis passibus ope syllogismi per evidentiam demonstrationis ad veram plenamque scientiam. Certe methodus demonstrandi, quam excogitavit viri hujus ingenium tam profundum quam excelsum, semper visa est sapientibus esse opus numeris omnibus absolutum, & ipsa syllogismi constructio tam perfecta, ut nihil addi, nihil demi possit sine manifesto demonstrationis & totius

D 5 qua

quia late patet scientiæ evertendæ periculo. Fuere quidem, qui alias aliasve ratiocinandi vias diversis temporibus quasi vadum tentarunt, uti Raymundus Lullus, Ludovicus Vives, Cardanus, Cartesius, Wolfius &c. Sed eventu parum prospero, & fructu sane nullo, nec cujusquam methodus ætatem ferre potuit, quemadmodum Aristotelis.

§. II.

Logica utens.

XVI.

Non est mei instituti, singula Logicæ huc usque descriptæ præcepta, leges & dogmata excutere ac pluribus persequi: illud solum paucis palam facere decrevi, quam vim qualesque vires habeat Logica ad intellectum hominis sive rationem vel emendandam vel perficiendam. Nihil homini facilius est, quam ratione uti, quum hoc sit illi ingenitum: sed nihil difficilius, quam veritatem ab errore distinguere, ad quod opus est Judicio exacto, & Ratione ideis rerum optimis & sanissimis imbuta, quæ si desint, non solum in Philosophia & reliquis scientiis, sed etiam in rebus sacerrimis ad fidem pertinentibus frequenter

ter allucinabitur. Sunt enim ingenia quædam, quæ ſponte ſua amant decipi & decipere, quæ obviis quibusque ratiunculis temere abripi ſe patiuntur, emunt ſine ſtatera ſine pondere malas ratiocinationes & vendunt aliis, audacter decidunt ea, quæ ignorant & non intelligunt. Sunt alia, quæ proprio indulgent ſenſui non ſine pertinacia, & præjudicatis tenaciſſime inhærent opinionibus, nec aures præbent iis, a quibus errores ſuos dedoceri poſſent; malumus enim errare, quam ignorantiam fateri, qua tamen re nihil juſtius, nihil humanæ conditioni conformius foret. Sunt demum, quæ licet optime perſpectum habeant, eſſe innumeras res obſcuras, dubias, & implexas, nihilominus aura vanitatis ſe ſinunt abſtrahi, & ne populari credulitati addicta videantur, propugnant mordicus ea, quæ nulla ratione certa ſunt: contra vero non multum ſolicita de penetrando rerum fundo in dubium trahunt veritates a majoribus & ævi ſui ſapientibus viris receptas, etiam in negotio Religionis, quod Pyrrhonismi ſpecies quædam eſt. His intellectus humani imbecillitatibus & morbis optime medetur Logica, cujus princeps finis eſt perficere rationem; & quamvis hæc donum quoddam naturæ ſit, non artis & laboris, tamen

tamen ars & labor plurimum adjuvant, culturam adhibent, & ad sublimem perfectionis gradum eandem in veritate detegenda elevant, cujus rei monumenta innumera exstant in veteribus etiam sophis, ingenio & ratione a natura liberalissime instructis. Nam cultorem suum docet non acquiescere, donec principium quoddam naturæ lumine notum, & veritatem adeo claram, quæ sit extra omne dubium posita, inveniat. Hac inventa audacter eruit veritates alias, quæ vel necessario quodam nexu, vel certe absque falsitatis periculo consequuntur. Unde in doctrina sua atque judicio firmus est, inflexibilis ac perturbari nescius. Atque hoc fit regularum Logicarum ope, quas rite perceptas omnibus aliarum quoque scientiarum quæstionibus & ratiocinationibus circa res quaslibet versantibus tuto adplicare potest: præsertim vero methodus Syllogistica, quæ nonnullis plusquam oportet sapere volentibus longa nimis ac invidiosa videtur, omnino necessaria est juvenibus, qui operam dant Philosophiæ, quorum ingenium necdum firmum, & judicium necdum est apertum, tum ne mentem erroribus & falsis ideis obnoxiam faciant, tum ut intra veritatis limites discant se suasque cogitationes continere.

Amplius

Amplius quid dicam; si sedulæ huic primæque institutioni quotidianum accedat exercitium, ususque practicus regularum, intellectus juvenum mire acuitur, illustratur, & magis magisque e suis se tenebris evolvit: simul etiam facilitatem acquirit sese explicandi, sentit illico sophisticas pedicas, novitque extricare illis mentem suam, quin difficillimas quoque & abstrusissimas quæstiones inoffenso pede ingreditur, ita ut admiratione digna res sit, juvenes ab uberibus amœniorum literarum avulsos intra modicum tempus, quod Dialecticæ indefesso studio impenderunt, intellectum ad reliquas Philosophiæ partes cum dignitate ac laude maxima perdiscendas promtum ac perspicacem instar patrimonii secum afferre.

CAPUT

CAPUT V.

PHYSICA.

§. I.

Ejus Prolegomena.

XVII.

Emenso Logicæ pelago plurimis naufragiis famoso, utpote in quo tot Adolescentum ingenia, cæteroquin Philosophiæ cæterisque scientiis aptissima, laboris ac remigii impatientia merguntur, ad Fortunatas Physicæ Insulas accedimus, in quibus etiam agere hyberna deliciis plena res est. In hac naturam, ejusque opes ac prodigia nullis aliis quam ingenii sumtibus spectare licet ac contemplari. Per terras, maria, cœlum, & quidquid his continetur, libero velut oculo prospectus patet amœnissimus, voluptati simul honestissimæ, ac multiplici percipiendo fructui serviturus. Siquidem *curiosum nobis natura ingenium*, ut ait Seneca (d) *dedit, & artis sibi, ac pulchritudinis suæ conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam*

(d) *De vita beata cap. 32.*

tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, non uno genere formosa solitudini ostenderet. A cœlo duxisse originem suam ipsa S. Scriptura testatur dicens (e) *creavit illis* (nempe primis parentibus) *scientiam spiritus; sensu implevit cor illorum; & mala & bona ostendit illis. Posuit oculum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent; gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.* Hoc ipsum Tullius sensisse videtur, dum de arte ista nullum aut melius a Diis datum esse munus homini asseverat. Dicitur autem Physica ἀπὸ τῆς φύσεως, id est, a natura, quoniam est disciplina explicans rerum naturalium scientiam, quæ quum universe considerari possit, & singillatim, scite in Physicam *Universalem* & *Particularem* dividitur: prima corpus naturale generatim sumtum, ejus principia, & quas vocant proprietates contemplatur, & ad examen vocat: in altera singula corporum genera expenduntur, eorumque vires, affectiones, & effecta demonstantur. Ordo enim optimus scientiarum arbiter, & parens claritatis postulat ut prius, quæ omnibus conveniunt, probe perspiciantur,

tum

(e) *Ecclesiast. cap. 17.*

tum vero ad ea, quæ singulis insunt propria, gradus promoveatur. Nolim autem, ut quisquam sibi persuadeat, me heic Physicam docere; sed summa duntaxat ejus capita persequi animus est, ac opes quas in sinu reconditas habet, conspectui exponere brevi quadam synopsi rerum illarum, quæ in utraque illius parte pertractari solent in scholis. Et primo quidem velut procemii loco præmittere juvat historicam totius mundi, ejusque structuræ veluti enarrationem.

XVIII.

Partiuntur illum Philosophi in mundum *subterraneum*, *sublunarem* & *cælestem*. Primi schema exhibet nobis ingeniosissimus ac celeberrimus Kircherus S. J. (f) nempe globum orbis terraquei quasi dissectum, ita ut ipsa terræ viscera adpareant, & licet oculis subjici non possit ipsa res, rei tamen imago magnam meretur fidem, quum rectæ rationi ac experimentis respondeat. Medio circa centrum terræ loco Patrum & fidelium consensu infernum ponit, e quo varii meatus *subterranei* velut totidem camini & stygii fornacis spiracula versus terræ superficiem usque ad extimum ejus limbum excurrunt, atque

(f) *In Itinere Exstatico.*

que in montes ignivomos seu Vulcanos desinunt. Minores quoque hinc & inde offerunt se fornaces sive ignis receptacula, quæ *pyrophylacia* vocantur, e quibus sulphure, bitumine, pice aliaque concipiendæ fovendæque flammæ apta materia refertis per alveos intra terram latentes copiosus ignis dispensatur. Præter hæc dispositæ quoque sunt variis in locis voragines vastæ (*Hydrophylacia* dicuntur) in quibus ingens stagnat moles aquarum, quæ per occultas cum Oceano vias junguntur, & diversis in locis vortices faciunt, ubi fluctus maris modo cum strepitu infra terram absorbentur, modo per vices iterum evomuntur. His addi possunt *Atmophylacia* seu prægrandes fossæ ac cryptæ sub terra latentes, in quibus sæpe aer conclusus, & per eos, quos dixi, ignes subterraneos rarefactus, jamque carceris impatiens vi viam sibi facit, & terram ingenti cum fragore concutit, unde terræ motus oriuntur.

XIX.

Mundi *Sublunaris* nomine globum terraqueum & atmosphæram huic incumbentem, seque versus Lunæ concavum ut vocant, explicantem complectuntur Philosophi. Terraqueum autem dicunt, quia

terræ, quam incolimus, superficiem passim flumina secant, & lacus ac maria distinguunt, solida fluidis & fluida solidis provida miscente natura, ut humano melius consuleret commercio. Fundamentum amplissimi hujus ædificii non est nisi unicum punctum, quod terræ mundique centrum adpellamus. Atque hoc punctum minimum Architectonicæ Divinæ maximum est miraculum: ea enim est illius indoles, ut omnia corpora *Sublunaria* unanimi velut consensu affectuque, & quam proxime possunt, eidem adpropinquent; qua ratione fit, ut dum elementa quasi pro loco certant, gravioribus leviora superantibus terra centro, aqua terris, aer aquis superincumbat, omniaque, dum ex congenita gravitate ad hoc centrum totis viribus ex omni parte contendunt, mutuo in se nisu & impetu globum solidum, suaque stantem mole componant. Grandis hæc moles non minus requirebat materiæ. Hanc in momento invenit Architecti Divini potentia: primo elementa quatuor terram, aquam, aerem, ignem, deinde ex his certa sibique cognita mensura permixtis reliqua omnia, quæ *mixta* vocamus, condidit. Non minore autem cura machinam hanc, ne ab elementis in se continuo pugnantibus dis-

sol-

solvatur, conservat Deus, quam qua eam fabricavit. Quippe non solum eas elementis eorumque viribus leges posuit, ut quod unum destruit, alterum reparet, sicque unius corruptionem alterius generatio excipiat: sed supernos quoque Gubernatores constituit potissimum planetas, qui subjectum sibi mundum *sublunarem* perpetuo circumeant, suoque *influxu* alterno laboranti suppetitas ferant. Inde perpetuum terrestria inter ac cœlestia corpora interveniente atmosphæra commercium. Ad figuram hujus fabricæ seu Terræ quod attinet, divinus Opifex induxit perfectissimam, nempe rotundam. Hanc enim præferunt Architecti omnibus aliis. Hinc procul Anaximander cum columna sua, Leucippus cum cylindro, Empedocles cum mensa, Cleantes cum cono, Neoterici quidam cum figura ovum imitante, de qua multa novissimis temporibus speciose dicta scriptaque fuerunt, sed nullo stabili experimento firmata. Quamvis autem ingentes montium pyramides passim exurgant, & valles profundas post se relinquant, nihilominus quum celsissimi montes, si cum tota vastissima terræ mole comparentur, nonnisi grana esse videantur, globo alicui adhærentia, terram *physice* rotundam esse asserere non du-

bitant Philosophi, qui nodum in scirpo quærere nolunt. Cætera quietæ in statione sua terræ licuit esse, donec Philolaus Pythagoricæ sectæ discipulus quadringentis circiter annis ante Christum natum terram circa solem immotum annua periodo ambulare docuit. Opinionem hanc diu sepultam excitavit longissimo annorum intervallo Nicolaus Cusanus, vir doctus & purpura insignis: Nicolaus vero alius, nempe Copernicus Torunensis, ultimam manum admovit, dum proscriptam e mundi centro terram, substituto in ejus locum sole, planetarum per cœlos vagantium choro accensuit. Multi systema hoc tanquam hypothesin ingeniosam defendunt: plures ut sacræ Scripturæ testimoniis sane luculentis & communi hominum persuasioni adhuc firmæ contrariam rejiciunt. A terra ad oceanum accessus patet, aquarum omnium patrem, in quo natales suos simul & sepulchrum habent fontes & flumina. Nam ut Ecclesiastes ait *ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Flumina quidem & fontes, quæ in locis non admodum editis oriuntur, a vastissimis oceani aquis tota vi per canales sub terra latentes extruduntur, & supra *libellam* elevantur: quæ vero in altissimis montium jugis na-

scun-

scuntur & perennia sunt, ex aquis gignuntur per ignes *subterraneos* in vaporem solutis, caloris que ope intra montium cavernas instar nubium in altum sublatis, ubi aquarum guttæ in hydrophylaciis collectæ per montium latera exitum inveniunt, & in fontes ac demum flumina transeunt. Tellurem aquis permistam ambit Atmosphæra seu aer continuis effluviis & exhalationibus infectus. Certum enim est, vastissimum globi *terraquei* corpus vel ex alto ab astris, vel a caussis intra terræ viscera latentibus continuo solicitari, & in perenni generationum ac corruptionum motu versari. Vapores autem dicuntur halitus illi, qui ex aqua calore solis in subtilissimas quasi membranas extenuata, inque bullulas aere rarissimo plenas abeunte constant: exhalationes vero ex minimis particulis sulphureis, nitrosis, salinis ac viscosis vel solis vel ignium sub terra dominantium calore liquatis, & a reliquo corpore solutis componuntur, agunturque sursum magna vi ab igneis spiritibus inclusis. Ex his nix, grando, pluviæ, fulgura & fulmina diversis temporibus oriuntur, & sunt Jovis ningentis & tonantis instrumenta. Atmosphæram sic constitutam dividunt Philosophi in tres aeris regiones, quibus

certos vix non pro lubidine sua fines ponunt. *Infimam* regionem terræ superficiei proximam atque animantium respirationi volucrumque habitationi destinatam ad montium mediocrium altitudinem fere per dimidiæ horæ spatium extendunt, ita ut altissimi summo vertice suo supra illam emineant. In *Media*, cui unum milliare germanicum seu duas horas passim tribuunt, ut plurimum vapores & exhalationes eo sublatæ dominantur; hinc nivium, grandinis & pluviarum patria est: in hac velut officina Jovis arma cuduntur, emicant fulgura, excutiuntur fulmina, accenduntur stellæ desultoriæ, & quæ alia sunt meteororum igneorum genera pleraque. Exurgit hæc contignatio ad altissimorum montium cacumina, ut sunt Caucasus, Teneriffa, juga Carpathica, Olympus &c. *Suprema* denique statio duabus subjectis purior, subtilior & altior est: a supremis ferme montium jugis initium ducit, & ad lunarem usque orbitam excurrit. In hanc regionem, uti ajunt, vaporibus vix ullus, sed tenuissimis duntaxat exhalationibus aditus patet, atque inde cometas *sublunares* generari multorum suspicio est.

XX.

Lustrato *Sublunari* mundo ad *Cælestem* eluctari juvat. Dividitur autem cœlum, quod conspectui nostro patet in *sidereum* & *planetarium*. In primo vigilias agunt stellæ *fixæ*, quas ita vocamus, non quod eodem semper loco consistant, sed quod eandem ut plurimum inter se distantiam observent, & velut gemmæ orbi maximo, cum quo volvuntur, affixæ mortalium oculos fulgore suo eminus perstringant. Alterum occupant stellæ *Errantes*, quæ tum a se ipsis, tum a fixis varie distare solent, & velut legibus solutæ per cœlestes plagas vagari videntur. Numerum stellarum qui desiderat, audiat ipsum Opificem summum dicentem (g) *numera stellas si potes*. Ptolomæus mille & viginti duas, Kepplerus mille trecentas & nonaginta, Pardies mille quadringentas & octoginta, Hevelius mille octingentas octoginta octo inermi oculo observasse se scribunt: armatis vero oculis ope Telescopiorum numerus sine numero deprehenditur. Solam *viam*, quam *Lacteam* vocant, quæ obliquo tractu Æquatorem inter & Tropicos intercedit, & a fabulosa antiquitate Deorum cœlos obambulantium

(g) *Genes.* 15.

tium iter credebatur, innumerabilium stellularum acervum esse Galilæus contendit. Ne vero indigesta moles videretur tanta stellarum multitudo, eas in *Constellationes* seu *Asterismos* dividere placuit, quæ scilicet situ suo imaginem aliquam præseferunt, ut Libræ, Arietis, Virginis, Tauri, Ursæ, Leonis &c. Moventur autem *fixæ* alieno quidem motu ab ortu in occasum giganteis quasi passibus, proprio ab occasu in ortum tam testudineo gressu, ut ad unicam periodum absolvendam triginta sex annorum millibus, si Ptolomæo credimus, secundum opinionem vero aliorum temporis paullo minoris itinere indigeant; unde merito hic siderum circuitus *Magnus Annus* a Platone fuit nuncupatus. Alterum cœlum nempe *Planetarium* occupant Errantia sidera, inter quæ eminet sol, magnus ille mundi oculus & astrorum Princeps, cui naturam igneam passim tribuunt. Nam corpus ejusdem helioscopiis exploratum maris cujusdam ardentis imaginem refert, ebullientibus flammarum fluctibus agitati, & emergentibus hinc inde fumosis nubibus distincti. Facies quidem soli perquam amœna & lucidissima, non tamen maculis caret, quas Christophorus Scheinerus S. J. anno 1611. detexit: harum

im magnitudo & numerus varius esse
let: motus vero solis motum æmula-
ir. Plerumque per medium ut ajunt
iscum prope illius eclipticam incedunt:
tra illum nunquam oculis patent etiam
matis. Interdum maculæ in faculas
eunt, & quæ prius umbra, nunc luce
distinguuntur. Quid sint, adhuc sub ju-
ice lis est; quidam stellulas esse credunt
unc congregatas, nunc dissipatas; alii
apores, fuligines & nebulas esse volunt
solari oceano egressas. Non raro ecli-
sin patitur grande hoc sidus, nempe
unc, quando sol & luna in eadem ecli-
ticæ parte velut in itinere sibi occur-
unt, atque illum inter & oculum no-
rum luna interponitur, impeditque cor-
oris sui objectu, quo minus benefici hujus
deris radii ad nos perveniant. Cætera
iagnitudine sua globum terrestrem su-
erat, si Tychonis calculum sequi placeat
40., si Riccioli 38600. vicibus, si Coper-
icanos, vix non uno millione. Motus
riplex adparet, *diurnus* seu communis
b ortu ad occasum, *annuus*, ab occasu
d ortum, *semestralis* seu *librationis*, quo
eclinat a septentrione in austrum, & ab
ustro in septentrionem; re ipsa unicus
st, qui spiram imitatur.

Post solem luna se maxime conspicuam præbet mortalibus, quam Antiqui teste Plutarcho *cælestem terram* nuncuparunt, quæ res forsan temerariæ Neotericorum quorundam opinioni ansam dedit, ut eam (idem asserunt de aliis planetis) non solum agris, silvis & oppidis plenam, sed etiam animalibus & hominibus habitatam fingere ausi fuerint sine testibus, sine tabulis, nescio quam lunarem rempublicam in cerebro suo fabricantes. Melius alii lunam e terra & aqua compositam arbitrantur. Nam solidas partes esse in hoc corpore convincunt facile prominentia quædam instar montium fastigia, & depressa in valles loca, quum per telescopia lunæ superficiem sensim illuminari videamus, non secus ac in globo nostro terrestri a phœbo oriente prima luce pinguntur alta montium, dein etiam profunda vallium: fluidas quoque partes reperiri suadent maculæ grandiores, quæ lunam distunguunt, velut terram flumina, lacus & maria. Has Hevelius 550, Grimaldus vero 600. numerant, quorum posterior Aronomorum celebrium nomina ipsis imposuit: prior urbium, montium, marium ac regionum, quæ magis in terris nostris celebrantur. Pro diverso autem solis aspectu diversa

est

est lunæ facies, nunc *plena*, quando nimirum a sole opposito dimidia pars illa globi lunaris, qua nos respicit, tota illuminatur, diciturque tunc esse *plenilunium:* nunc *gibbosa* quatuor ante & post lunam plenam diebus: modo *dimidiata*, quod si contingat post lunam novam, dicitur esse *prima quadratura*, si post plenam, *quadratura ultima:* modo *falçata* seu *cornuta*, quando majorem faciei radiantis partem ab oculis nostris avertit. Denique *Nova*, ubi vultum suum tenebris involutum nobis obvertit, vocaturque *novilunium*. Hæ lucis & umbræ vicissitudines *phases* seu *ætates* lunæ adpellantur. Non minus luna frequentes eclipses patitur, scilicet quum tempore *plenilunii* terra lunam inter & solem media consistit, solisque radios illi destinatos sui corporis objectu intercipit; tum enim oppositum terræ semispherium umbram spargit *conicam*, eaque lunam transeuntem vel totam vel ejusdem partem aliquam involvit.

Inter reliquos planetas Saturnus eminet, quinque stellis minoribus tanquam satellitibus perpetuo ejus latus stipantibus, quæ ab Hugenio & Cassino detectæ circa illum gyrantur: pallida illi facies, lucidus tamen annulus modo plus

modo

modo minus explicatus medium ambit corpus. Triginta fere annorum lapſu periodum ſuam abſolvit. infeſtum hominibus ſidus hoc creditur: benignius vero Jupiter. Ternæ iſtius globum zonæ ſeu faſciæ diſtinguunt, reliquis partibus obſcuriores: quatuor vero ſtellæ Jovem velut Regem ſuum comitantur, a Galilæo in honorem Magni ducis Florentini *ſidera Medicea* nuncupatæ: duodecim circiter annorum ſpatio cœleſte iter ſuum abſolvit. Martem a reliquis planetis diſtinguit tum macula in medio ejus corpore ſpectandam ſe præbens, quam *Martis umbonem* vocant, tum color rubeus, ardenti carboni non abſimilis, annisque ferre duobus orbitam ſuam percurrit. Venus modo ſupra modo infra ſolem emicat, quum mane ſequentem præcedit, Phosphorus ſeu Lucifer, quum vero veſpere præeuntem ſequitur, Hesperus vocatur. Varias non minus ac luna phaſes pro ſolis, cui famulatur, arbitrio patitur, jam falcata, jam gibboſa, jam vacua inſtar maculæ adparet, ſemitamque circa ſolem ſibi præfixam ſecundum Riccioli calculum diebus 583. Keppleri autem 224. abſolvit. Demum qui proximus circa ſolem movetur, Mercurius eſt, de quo Ricciolus teſtatur, obſervatum a ſe

ſidus

ſidus iſtud, quando ſub ſolem ſe demiſit, *cornutum*, dum vero aſcendit, *gibboſum*, tandem *rotundum*. Tota ejus per orbitam via ab eodem Ricciolo 115. a Kepplero 87. dierum ſpatio definitur. Felices Aſtronomi ſe credunt, quibus ſuam quandoque faciem indulget hic planeta; nam maximo anni tempore ſoli vicinior ſub ejus radiis abſconditus latet, quin etiam æſtatis tempore hybernari videtur.

Atque iſta quæ de triplici mundo *ſubterraneo*, *ſublunari* ac *cæleſti* hucusque commemoravi, operæ pretium eſſe cenſeo, ut poſt Logicam ſtatim inſtar Proœmii cujusdam Phyſicæ Candidatis brevi calamo explanentur, & per adjectas imagines ante oculos ponantur: nec absque magno emolumento id fiet, tum ut a Logicæ ſpinis avulſi in amœnos Phyſicæ campos velut Elyſios quamprimum deducantur, ac tædium, ſi quod auſterior diſciplina adtulit, ipſo in limine abſtergatur; tum ut rerum quæ in Phyſica deinceps tractantur, pulcherrimarum promulſide quadam deliniti alacriore animo ad arcana naturæ veſtiganda accedant, tum ut cunctis in ſynopſi prius perſpectis planior ac ordinatior via pateat doctrinæ, per ſingula poſtmodum curatius ac prolixius ituræ.

§. II.

§. II.

Physica universalis.

XXI.

Physica, quam *universalem* dicunt, complectitur eas quæstiones, in quibus principia corporis *naturalis* omnibus communia, tum eorundem qualitates seu affectiones: *divisibilitas*, *porositas*, *rarefactio & condensatio*, *motus*, *gravitas*, *elasticitas*, *æquilibrium solidorum & liquidorum*, ac *electricitas* ad trutinam & rationis & experimentorum examinantur. Ad prima quod adtinet principia, res est omnium difficillima certi quidquam statuere, quum tot sint opiniones Philosophorum, quot capita & ingenia, *quorum opiniones*, ut ait Cicero, *cum tam variæ sint*, *tamque inter se diffidentes*, *alterum fieri non potest*, *ut plus una vera sit*. Certe nullum fuit elementum, quod non ex antiquis Philosophis patronum habuit, ut ad officium materiæ primæ promoveretur. Thales Milesius aquam elegit, forte quia facilis est ad quamvis figuram & formam admittendam: Anaximeni standum potius pro aere videbatur, utpote adhuc faciliore ad formas quasque recipiendas. Heraclitus Ephesinus igni hunc ho-

honorem vendicabat, utpote ſubtiliori ac fluidiori, quam ſit terra, aqua & aër. Neque terræ patroni defuerunt, inter quos Democritus & Epicurus, qui cuncta ex minimis atomis componi aſſerebant. Empedocles liberalior fuit, & omnia quatuor elementa in materiæ primæ conſortium adſcivit. Non minor erat circa formam lis & pugna ſophorum, aliquibus eam a materia aliud quid eſſe diſtinctum contendentibus, aliis vero eandem eſſe rem ac virtutem materiæ congenitam aſſerentibus. Ariſtoteles vero naturæ veſtigator acerrimus, primus tria corporum principia diſtinxit, ſcilicet *materiam*, *formam* & *privationem*: nulla enim res in alteram transmutari poteſt, ſi non abeunti uni formæ in materia remanente ſuccedat alia, id quod exigit neceſſario *privationem*, ſeu abſentiam formæ illius, quæ primum adventat; & hac ratione magnus ille Philoſophus nobiliſſimam quandam & generalem ideam nobis ſuppeditavit rei, quæ in omnibus mutationibus per totum naturæ ambitum contingentibus accidere ſolet. Ita in principiis conſtituendis pridem Veteres Philoſophi in diverſas abivere partes. Poſtremis autem temporibus quidam ſepultas diu Antiquiorum doctrinas inter ſe tan-

topere pugnantes velut postliminio revocarunt, & crassis erroribus expunctis elegantiori veste indutas in Philosophiam suam invexerunt, magnoque plausu orbi literato vendiderunt. Præ reliquis enim Democriti & Epicuri atomis veluti vagis, nunc meliorem in formam redactis, tanquam ex materia primigenia cuncta componi juncta opera docuerunt Gassendus & Cartesius, quamvis in aliis non paucis inter se dissideant: formæ autem munus diversissimæ illarum secundum figuram, subtilitatem & magnitudinem ac motum conjunctioni, quam *combinationem* vocant, imposuerunt. At Honoratus Fabri S. J. & Emmanuel Magnanus Ordin. Minim. duo magna Philosophiæ lumina Empedochis systema a vitiis, quibus scatebat, expurgatum resuscitarunt, docentes omnia corpora in sensu physico accepta (in hoc enim sunt *objectum Physicæ*) primo e minimis *elementaribus* componi, quum in omni *generatione* ac *corruptione* adsint elementa, cunctaque corpora ultimo in ea physice resolvantur: nec propterea Aristotelis doctrinam repudiare, sed potius illustrare se credebant, quum hic ipse elementum finierit, *quod sit id, in quod cætera corpora dividuntur, ipsum autem est indivisibile in*

diver-

diversa secundum speciem. Autumant igitur, Philosophum in sensu quodam metaphysico, non physico, locutum fuisse ad res ac rerum proprietates distincte explicandas, ac mere per intellectum inter materiam & formam, tanquam *substantias incompletas* distinxisse, concipiendo ista minima *elementaria* per modum materiæ, earundem vero virtutem & *activitatem*, quam produnt per diversos effectus in mixtis corporibus, ipsis *identificatam* per modum formæ. Hæc opinio non paucos viros doctos etiam hodie patronos numerat, dum contra Peripatetici mordicus inhærent suæ, quam ex Aristotele de primis corporum principiis hauserunt, sententiæ. Atque ex his facile patet, in ipso statim Physices limine aquam hærere nobis, dum prima ignoramus naturæ fœcundissimæ rerum parentis principia. Quare fallunt ii, qui vendere volunt pro scientia id, quod non est nisi opinio, & pro veritate, quod duntaxat verosimile est : neque amplius quid ipsi Authores primi hac in re salebrosa sibi arrogarunt. Præclare ait Seneca (h): *Naturæ arcana non promiscue nec omnibus patent, in interiore sacrario*

(h) *Quæst. nat. lib.* 7.

rio clausa sunt, ex quibus aliud haec aetas, aliud quae post nos subit, aspiciet. Et Aristoteles ipse (i): *Difficillima profecto hominibus cognita sunt ea, quae maxime universalia sunt, siquidem remotissima a sensibus.*

His itaque intra opinionis sphaeram relictis Physicus ad corporum qualitates & affectiones pergit eo fidentius, quo magis patent sensibus nostris. Quamvis enim remotissima illa rerum primordia vel nondum cognita sint, vel accurate finita non fuerint, res tamen ipsae *naturales*, ac plurima quae in ipsis observantur, optime intelligi ac explicari possunt, quoniam per effectus suos sese produnt, quamvis quid rei sint, in utramque partem multis disceptetur, ut videbimus. *Divisibilitas* quam certa dos est corporis, tam mysterio plena, & litibus obnoxia: Thales, Pythagoras & Aristoteles corpus aliquod extensum ita dividi semper posse existimabant, ut nunquam reperire sit partem adeo minutam, quae ultra dividi nequeat: contra Zeno, Democritus & Epicurus censebant divisionem corporis certos habere terminos, quos egredi nefas foret, atque ita in atomis seu punctis quibusdam *indivisibilibus*

(i) *Metaph.* 3. *cap.* 1.

tibus tandem quiescendum esse: unde famosa *puncta Zenonis.* *Porositatis* ingens est in naturæ regno utilitas, immo necessitas, innumeris comprobata experimentis, ita ut e Recentioribus vix ullus, sit, qui non asserat corpora omnia, quantumvis densa & solida, poris seu meatibus esse instructa, per quos effluvia sua emittant, vel aliena in sinum suum recipiant. *Rarefactio* & *condensatio*, quæ continua & reciproca serie in hac rerum universitate velut per gyrum circuit, communis corporum affectio est, qua in re duplex inter Recentiores viget opinio, aliquibus cum Gassendo sentientibus in *rarefactione* partes corporis a se invicem nunc plus nunc minus recedere, vacuis quibusdam spatiis inter eas relictis, quæ vice versa in *condensatione* plus minusve ad se invicem coarctantur: aliis cum Cartesio docentibus *rarefactionem* fieri, dum dilatantur pori corporis, & materia subtilis intromittitur, *condensationem* vero, dum ea egreditur & pori constringuntur: prima caloris, altera frigoris ope contingit; alii vero rarefieri corpora volunt, quando inter poros latens aer, utpote qui elasticus est, & instar laminæ chalybeæ se expandendi virtute gaudet, eosdem poros ipsumque corpus

magis magisque dilatare incipit, quod fit, si ab aere exteriore minus forti ambiatur: quod si vero hic fortior evadat, interior constringitur, atque ita pori concidunt, & corpus ipsum condensari dicitur. Sequitur *Motus*, qui locum tenet inter præcipuas corporis physici affectiones. Hujus scientiam a Philosophis passim & diu neglectam excitavit potissimum Galilæus, tum quoque Gassendus, Cartesius, Newtonus, cæterique qui Physicam cum Matheseos studio non infelici fœdere conjunxerunt. Inquiritur heic in motus *quantitatem*, quæ desumitur tum ex mole corporis tum e velocitate, qua movetur: *determinatio* motus seu *directio* corporis mobilis in unam potius quam in aliam partem: explicatur motus *compositus*, quando scilicet duæ vel plures caussæ unum idemque corpus mobile in diversas partes nituntur impellere: *directus*, quo corpus mobile via non interrupta tendit ad terminum, in quem a potentia impellente dirigitur: *reflexus*, quo occurrente alio corpore, quod penetrare non valet, iter suum interumpit, & vel ad eam partem, a qua primo recessit, vel oblique in alias partes regreditur: *refractus*, si in aliud corpus inæqualis resistentiæ vel densitatis,

quod

quod penetrare quidem potest, incurrens aliam motus determinationem acquirit, perque aliam viam cursum suum prosequitur. Porro expenduntur caussæ diversorum motuum, præcipue in corporibus projectis: *acceleratio* motus in descensu gravium, & motus *pendulorum*. Denique statuuntur diversæ leges pro variis corporum motibus, & experimentis plurimis illustrantur. De qualitate, quam vocant Philosophi *Gravitatem* corporum, ac *gravitationem*, sedulo investigant originem & principium, an scilicet intra ipsum corpus vel extra illud inveniatur: Gassendus existimat, gravium decensum oriri ab atomis quibusdam *hamatis* & *uncinatis*, quibus e centro terræ jugiter emissis corpora in aere pensilia abripiantur, veluti vi qudam magnetica: Cartesius subtilis materiæ ab occidente in orientem *vorticoso* quodam motu celerrime circa terram actæ impetu velut turbine ad terræ centrum impelli, urgerique autumat. Newtonus ut gravium descensum explicet, vim quandam *attractivam* telluri inditam esse credit, quam ipsa in omnia corpora terrestria magno cum dominatu exerceat: aliqui ad auræ ætheres, a peripheria mundi ad terræ centrum rapidissime agitatæ, motum con-

fugiunt, quo gravia ad illud secundum lineam rectam deferri existimant. alii denique in ipsa corporum natura hujusmodi principium residere credunt. Non minor affectio corporis est *Elasticitas*, cujus vis in eo sita est, ut corpora postquam compressa fuerint, & ad minus spatium redacta, si suo relinquantur genio, in pristinam figuram & situm restituat. Elaterii caussæ quam veteribus absconditæ, tam Recentioribus dignæ fuerunt visæ ut in lucem protraherentur. Quidam in ipsa natura & sinu corporum primam radicem virtutis hujus contineri volunt; verum alii censent elaterium oriri a motu, impulsu & pressione subtilissimæ ac fluidissimæ materiæ poros corporum replentis, quæ illa quaquaversum distendit, & vi quadam permeat. Effectus vero elasticæ virtutis sane stupendi in laminis chalybeis, in pulvere pyrio, in aere inveniuntur, explicanturque, ac simul leges motui in corporibus elasticis sibi occurrentibus atque inter se collisis statuuntur. Ab hac qualitate ad *Æquilibrium solidorum & liquidorum* transire juvat. Materia hæc experimentorum feracissima est, quæ cum ingenti Philosophiæ naturalis emolumento nostris potissimum temporibus inventa fuerunt ope

scien-

scientiæ staticæ & artis mechanicæ. Describuntur heic magna cum utilitate primo machinæ tum geostaticæ, uti *libra & statera*, *vectis*, *axis in peritrochio*, *trochlea*, *rota dentata*, *planum inclinatum*, *cochlea & cuneus*: tum hydrostaticæ, quemadmodum tubi vitrei *communicantes* ad liquidorum gravitatem explorandam, aliaque vasa ad corporum solidorum, quæ fluidis immerguntur, librationem deprehendendam facta: Tum ad principia Staticæ ac Hydrostacticæ, legesque *æquilibrii* descenditur, quæ variis experimentis stabiliri solent: denique deteguntur caussæ ac effectus plane mirabiles, quibus tota de *Æquilibrio* doctrina illustratur. Verum his corporum dotibus hucusque recensitis præstare videtur *Electricitas* seu *vis electrica*, qua rite excitata alia etiam corpora remota adtrahuntur & repelluntur, simulque lumen ac flammulæ sparguntur; quæ res hodie omnium ore circumfertur, & non sine stupore pariter ac voluptate maxima spectanda exhibetur. Doctrinæ autem ordo esse solet, ut initio machina electrica, & instrumenta ad eam pertinentia, atque usus explicetur: postmodum ut effectus *adtractionis* & *repulsionis*, item experimenta lucis & ignis electrici,

ac communicationis diffussionisque in longissima spatia explanentur: demum ut in caussam effectuum istorum nondum satis perspectam inquiratur, quam alii subtilissimo ætheri nunc affluenti nunc refluenti, alii vero fluidissimæ cuidam materiæ electricæ per frictionem excitatæ gravibus utrinque rationum momentis in medium adductis tribuunt. Grande autem inter utramque sententiam est discrimen: in prima enim dispensaretur vis electrica a corpore electrico, seu vitro agitato per alia corpora in partem anteriorem maximo etiam spatio: in altera vero versus corpus electricum latens in corporibus vicinis materies retrorsum propelleretur, ita ut prioris sententiæ patroni velut ab ortu in occasum, posterioris vero ab occasu ad ortum progrediantur.

Cæterum aliæ corporum affectiones sunt, quas Peripatetici *Accidentia* & *Qualitates* vocant, de quarum natura & indole ingens bellum a multo tempore inter ipsos & Atomistas exarsit, vix aliquando finiendum. Distinguunt enim Peripatetici inter accidens *absolutum* & *modale*. Illud esse dicunt, quod *subjecto* quidem inhæret, ita tamen, ut sine eo existere altiore saltem virtute possit: hoc autem, quod ita a subjecto quod afficit,

depen-

dependet, ut ne quidem absque ipso concipi queat, aut existere quacunque demum ratione ac potentia. Contra Atomistæ omne accidens absolutum e mundo proscriptum volunt, omniaque nil nisi meras rerum *modificationes* esse contendunt. Peripatetici causam suam defendunt argumentis ex Evcharistiæ mysterio secundum Patrum & Conciliorum placita explicato depromtis: an solide satis ac luculenter, spondere non ausim. Atomistæ metientes cuncta ad physicarum & naturalium rationum regulam figmentis accensent hujusmodi accidentia. Verum audiant hi Cartesium, quem tantopere depereunt, in Medit. p. 88. Amstelodam. edit. ita loquentem: *Sunt diversi gradus realitatis sive entitatis. Nam substantia plus habet realitatis, quam accidens vel modus.* Qua in re sane concordat cum Aristotele, & velut ex ejus ore verba sua depromit. Quippe Aristoteles, uti ex græco textu demonstrat Illustr. Marchio Scipio Maffejus, scriptor tam ætate nostra inter Eruditos omnium ore celebris, quam minime de partium studio suspectus (in Disquisit. de doctr. Aristot.) neutiquam negavit accidens esse ens quoddam, sed distinxit inter ens *simpliciter* & *primario*, quod vocat substan-

tiam, & inter ens velut *secundario* & *quod accidit.* Audiant Wolfium, quem adeo extollunt. Hic in Ontologia sua: *Modus*, ait, *a nobis dicitur*, *scholastici accidens appellant.* Et alibi: *attributa & modi sunt accidentia.* Clarissime vero idem Wolfius mentem suam explicat in epistola, propria manu exarata ad P. D. Ulyssem Contium de Calpio Canonicum Lateranensem, curantem Veronæ editionem novam ejus Matheseos. Recitat verba epistolæ citatus Maffejus sequentia: *Virtutes & vitia cum sint habitus agendi, de iisdem valet, quod de habitu in genere. Importat is facilitatem, quæ cum sit aliquid animæ inhærens, ideoque aliquid, quod actu existit (puto enim accidentia quod existant, negare neminem) eccur entitates dici non possint?* Et paulo post: *Habent enim non minus accidentia quam substantiæ suam essentiam, quatenus actu inhærent substantiis.* En! subjungit Maffeius, quanto minus communi opinione absint ab Aristotele, qui maxime creduntur Neoterici. Porro ad illud nescio quid respondeant, si quæratur ex ipsis, quid sit vis illa, quam *impetum* & *motum* vocamus, an substantia, vel accidens, & quale illud? tacet heic Wolfius, nil audet decidere Muschenbroechius. Hic post-

postquam transire vim illam ex corpore in corpus, quum hoc incipit moveri, pluribus rationibus ostendit, ita demum concludit (k): *An igitur vis est ens Physicum? aut substantia sui generis? quomodo inhæret corporibus? quomodo operatur, ut ea moveat? quomodo transfunditur? an secundum alios est idea primum generata in mente intelligente, dein communicata corporibus, atque ex uno in aliud transiens? nihil horum omnino clare intelligi aut rite demonstrari potest. præstat igitur ignorantiam confiteri.* Illud satis mirari non possum, cur quidam dictatoria potestate silentium circa controversiam hanc Peripato imponere velint. Quærenda ubique veritas est, ex quocunque demum fonte hauriatur. Si ex Philosophicis placitis non possit, cur fontem Conciliorum & Patrum velut Corinthum adire non liceat? At æquis oculis utramque opinionem aspicit Ecclesia: bene. sententiam Atomistarum non damnat Ecclesia: eam quæ Peripateticorum est, multis retro seculis amplexata est, nec repudiat etiamnum: cur ergo hac posteriore cogatur supersedere Philosophus?

§. III.

(k) *Instit. Phys. cap.* 4.

§. III.

Physica Particularis.

XXII.

Mundi genesis & systemata, ac corpora cælestia.

Postquam circa corpus *naturale* universim, atque illius principia, proprietates & affectiones, quæ omnibus vel fere omnibus communes esse solent, Philosophia bene ordinata docendo disputandoque versata est, ad singulas corporum species considerandas ac examinandas faciliore amœnioreque methodo progreditur; inde pars ista Philosophiæ *Physica Particularis* nomen obtinuit. Quum vero quædam corpora sint vitæ expertia, quædam viventia, agitur primo loco de illis, & quidem præmissa mundi *genesi ac systemate*, de *cælestibus corporibus* seu stellis tum fixis tum errantibus, *Elementis & Meteoris*, deque aliis vel in globi *terraquei* superficie positis vel intus latentibus: Secundo autem *de plantis, de animantibus, de corpore humano* ejusque facultatibus, *vitali, naturali* & *animali.*

Ad mundi genesin quod attinet breviter ante oculos & animum ponuntur

tur opera sex dierum, intra quos Deum condidisse mundum universum docet S. Scriptura, quæ quid quovis die creatum productumque fuerit, satis clare commemorat. Præterea unicum esse mundum, & in genere suo perfectum, insuper habita elementorum discordia & rerum vicissitudine ostenditur: explicantur varia eruditionis plena circa tempus mundi tum quo conditus est, tum quo duraturus sit, & qua ratione innovandus erit: an sine angelis & hominibus produci potuisset. Adjiciuntur quædam de magnitudine telluris, mole ac figura, de qua postrema num sphærica sit, nec ne, hisce temporibus notissima est controversia post observationes ab Astronomis & Geometris Parisiensibus utroque Cassino, de la Hierio, Meraldo, Kupleto & Maupertuisio maximis laborum & itinerum impensis factas. Hi tellurem non omnino rotunda & sphærica præditam esse figura fidenter asserunt, sed sphæroidica. Quum vero sphæroidem hanc alii circa polos compressam, sub æquatore elatam ac turgentem ad modum cepæ: alii potius oblongam sive ad instar ovi ad polos productam, & sub æquatore depressam esse contendant, variantibus & observationibus & sententiis tellus e sphæ-

ricæ figuræ tam antiqua possessione deturbari haud debere videtur, donec luculentiora pro sphæroide argumenta in medium adferantur. Jam vero diversa *Mundi systemata* occurrunt a viris doctissimis excogitata; quorum celebriora in scholis seu Astronomicis seu Physicis sunt Ptolemaicum, Copernicanum & Tychonicum, a suo quodque inventore aut cultore ita nuncupatum. Primum seu *Ptolomaicum* in multis manifeste contrarium & physicis & astronomicis legibus nemo jam tueri potest. *Copernicanum* expeditum, & explicandis siderum motibus eorumque phœnomenis valde accomodatum ac naturæ simplicitati perquam conforme tanquam *hypothesis* defendi potest, non autem in *thesi*, quoniam S. Scripturæ sensui, quem Literalem vocamus, ac testimoniis de motu solis & telluris quiete, si accurate & sine partium studio res expendatur, non est consentiens, quemadmodum ipsi cordatiores Heterodoxi fatentur, qua de re plura docebit Mathesis. *Tychonicum* licet impeditum & motibus, orbitis planetarum, centris circumferendis, ac anomaliis difficulter explicandis obnoxium, quum tamen phænomenis & Physicæ legibus neutiquam repugnet, sacri vero

Codicis effatis plene concordet secundum mentem omnium Interpretum, statuentium *in sacris Literis exponendis non esse ab obvio proprioque sensu recedendum, nisi evidens ratio nos cogat*, Copernicano præhabendum ac omnino tuendum est.

Mox rejecta cœlorum soliditate, quam vetus systema perperam asseruit; & cœlestibus spatiis, per quæ sidera iter suum prosequuntur, tenuissimo fluidissimoque æthere repletis ad stellarum *Fixarum* naturam, numerum, magnitudinem, distantiam, motum & scintillationem asserta illis propria luce progreditur Physica, & *Errantium* contemplationi se impendit. Sed de his jam egimus in Capite quarto, §. I. de Prolegomenis Physicæ *Num. XX.* Superest, ut aliqua dicamus de Planetarum incolis, de Cometis, atque de causa motus, quo globi siderei circumaguntur, deque illorum in terram *influxu*, ut adpellant. Vetus fuit Platonicorum ac Pythagoreorum seu opinio seu fabula teste Plutarcho (l), suscitata postmodum a Purpurato Præsule Cusano (m) auctaque a Cartesio, Kepplero, Hugenio, Wilckins & Wolfio, aliis-

(l) *De placit. Phil. lib.* 2. *c.* 30. (m) *Lib.* 2. *de doct. ignor. c.* 11.

aliisque, planetas non solum montibus, vallibus, maribus & fluviis abundare, sed plantis etiam, brutis & hominibus habitari. Ad quid enim globi tam grandes, tam vasti, si careant incolis? cur terricolas solum civitate donemus, & locum Lunicolis, Jovicolis, Saturni colis non concedamus? Referunt quidam omnia, quæ ibi aguntur, tam distincte, ac si Mercurius aliquis delapsus cuncta illos docuisset, aut ipsi per novos illos mundos peregrinati fuissent. Verum scripturæ contraria hæc opinio esse videtur. Nam *ex uno* (nempe Adamo) *omne genus humanum inhabitare super universam faciem terræ* Apostolus testatur (n). Et quamvis potuisset Deus ex filiis Adami eo transferre aliquos (sicut transtulit Henoch & Eliam in regionem hactenus ignotam) qui speciem suam propagarent per Lunam, alios qui per Jovem &c. aptando ipsis indolem domicilio suo convenientem, temerarium tamen esse videtur contra omnium persuasionem asserere rem, nec ratione nec indicio fundatam. Certior est cometarum seu genesis seu circuitus, quorum aliqui barbam prætendunt, alii caudam post se trahunt, quidam crinibus conspicuos se

præ-

(n) *Actor.* 17.

præbent. De his tamen varia est & Veterum Philosophorum & Recentiorum opinio. Peripatatici cum Aristotele (o) Cometam nihil aliud esse contendebant, quam *terrestes exhalationes, quæ aut ingenito telluris calore aut solaribus radiis in supremam aeris regionem evectæ & ab iisdem accensa, sideris in morem effulgeant*. Anaxagoras & Metrodorus cum Stoicis docebant Cometas esse cœlestia corpora, supra lunam in æthereis plagis habitare solita, & e vaporibus & exhalationibus, quæ non e terræ globo, sed e sole cæterisque planetis jugiter affluunt, atque in unam veluti massam conglobantur: tum vero vel a sole vel ab igneis spiritibus in sinu contentis subito accenduntur, cui sententiæ multi hac etiam ætate cum Kepplero & Hevelio subscribunt. At cum Pythagoreis Seneca, & cum hoc Cassinus, Newthonus, Wisthonus & Bernoulius aliique permulti Cometas existimant esse corpora cœlestia mundo coæva, planetarum instar constanti periodo peculiares orbitas describentia, quæ cursu suo post certa lustra redeunte mortalium conspectui denuo se sistunt: quæ opinio splendida adsensum

sine

(o) *Lib. 1. Meteorol.*

ſine dubio mereretur, ſi auguria & calculi ſuffragium eidem tuliſſent. Æque ambigua eſt cauſa motus, quo ſidera ipſa vel circa terram vel circa ſolem feruntur. Quidam vim hanc illis ineſſe credunt; quum enim corpora gravia terreſtria principium in ſe contineant a Deo inditum, quo libere verſus centrum terræ moveantur (ut ipſi docent) quid mirum ſi cœleſtia corpora virtutem ſibi cognatam ab eodem Deo acceperint, per quam aut circa ſolem, aut circa centrum terræ rotentur? Alii vero cum Carteſio cenſent, planetas circa ſolem volvi & revolvi ab ejusdem vortice, cui ſunt immerſi & velut innatant in gyrum acti: multi tamen complectuntur Newthoni ſyſtema, voluntque duplicem ſingulis planetis vim ineſſe, unam *centripetam* ab ætheris circumfuſi impulſibus ad ſua centra deprimentibus ortam, alteram *centrifugam*, quæ per motum habetur, quem Deus recens conditis impreſſit; non ſecus ac lapis in funda circumactus, dum motu ſuo projectitio continuo a centro recedere conatur, funiculo autem iterum retractus, ne avolet, circulum deſcribit. Poſtremo loco de ſiderum virtute, quam influendo in terram exercent, agendum eſt. Multa nobis hoc

in

in negotio veteres velut ex tripode pronunciarunt, non pauca etiamnum occinunt Philoſophi & Aſtrologi: lunam eſſe humidam, ſaturnum frigidum, martem ſiccum & calidum, alia aſtra aliis affectionibus prædita eſſe, ſimilesque in corporibus infra ſe in terra poſitis excitare, quin & in plantis ac animalibus pro ſua quodque indole dominari. Crevit cum tempore licentia fingendi ac prædicendi res futuras, ut imbrem, ſerenitatem, ventos, procellas, ubertatem & penuriam, peſtem, famem & ſimilia: & quod abſurdius, hominum ſortes Deo ſoli cognitas, & a libero arbitrio unice pendentes, unde ars aſtrologiæ nata eſt; horoſcopi cœperunt erigi, inſpici manus, & nugæ nugarum credulis & rudibus liberaliſſime vendi. Verum hodierna cautior & caſtior eſt Philoſophia. Quæ olim ſtellarum fixarum ſitui, ac planetarum aſpectibus tribuebantur, modo præſentibus in aere phænomenis, vaporibus & exhalationibus terræ, ac latentibus intra viſcera cauſſis adſcribuntur. Soli tanquam ſideri omnium maxime benefico vires fovendi totam naturam, promovendi generationes, accretiones, tempeſtatum viciſſitudines &c. nemo eſt, qui negare auſit, & quidem lucis & caloris ope ve-

lut propriis inſtrumentis hæc effici arbitrantur. Lunæ modicam, ſi mare cui dominatur excipias, vim concedunt, quum precario vivat, & quidquid luminis vel caloris habet, a ſole mutuetur. Reliquis autem planetis & ſtellis vix quicquam poteſtatis & virtutis in terreſtria corpora adſtruunt vel ob lucis propriæ penuriam, vel ob altitudinem, diſtractionemque radiorum nimiam.

XXIII.

Elementum aeris.

Jam vero de *Elementis* & *Meteoris* plurimus Philoſophis ſermo eſt, nec minores inter ipſos lites vigent. Ex elementis in hoc, quem incolimus, terrarum orbe nullum humanis oculis patet ſimplex, purum ac ſincerum, ſed omnia ſub aliquo velut ſchemate & involucro delitescunt: aer quidem ſub exhalationibus & vaporibus; aqua ſub nitroſis, ſalinis ac viſcidis humoribus: ignis per lucem obſcuram aliasque materias ad comburendum aptas conſpicuum ſe præbet & purum ſe non eſſe probat relicto poſt ſe fumo: terra permixta eſt ſale, ſulphure ac metallis; ita ut provida mater natura rerum principia velut ſinu ſuo abſcondiſſe

isse videatur, nec palam prostare passa
iisse, vel ne sibi perirent, vel ut ad ea
daganda magis accenderetur humana
dustria. Est autem aer elementum flui-
um & spirabile, uti diffiniunt Philoso-
ni. Fluidum adpellatur, quia particu-
s, quacunque demum figura præditas,
ontinet admodum raras, solutas, & ad
nnem motum expeditas, quas mira fa-
iltas omnia permeandi comitatur. Quid
iim adeo solicite exacteque potest oc-
udi, quin aer subeat, seque insinuet?
erte in Antliis pnevmaticis recipientium
sorum colla, ora, limbis quantum-
inque limo ac glutine obturentur, ad-
ratus hic omnis prohibere non potest,
iin exiguo temporis intervallo aliquid
ris furtive irrepat: prodit hanc quoque
netrandi vim sonus, qui ab aere per
gustissimas rimas in intima conclavium
netralia celerrime diffuso, ac per te-
iissimos meatus acusticos in auris co-
leam delato efficitur. Spirabile vero
ementum dicitur aer, quoniam ab illius
spiratione alternis vicibus continuata
ndet animalis vita, & in officina cor-
s spiritus, quos vitales nuncupamus,
lut animantur, non secus ac ignis in
icina ferraria a follibus perputuo agi-
tis. Sunt enim pulmones, qui ex in-

numeris veſiculis per microſcopium dete-
ctis componuntur, quaſi folles quidam
vitales, quibus laxatis aer per aſperam
arteriam ſubit, & in cordis ſinus pene-
trans illius æſtum temperat, ſubtiliſſimis
ſpiritibus elaborandis inſervit, ac ſangui-
nis motum perennem promovet; quodſi
autem pulmones contrahantur, per ean-
dem qua ingreſſus eſt viam, reſiduus aer
remeare cogitur, ut alius denuo hauri
queat, & ſic recentes ſemper ſuppetiæ
ferantur animalis vitæ conſervandæ.
Quantumvis autem fluidum ſit & ſubtile
hoc elementum, alia tamen purior quæ-
dam & ſubtilior ipſo aere *ſubſtantia* eſt
admittenda, quam ætherem ſeu mate-
riam ſubtilem adpellamus, utpote ſine
qua motus, vis elaſtica, & gravitas tum
aeris ipſius tum aliorum corporum, lu-
minis propagatio, aliaque ſexcenta natu-
ræ phænomena & miri effectus explicari
ſatis non poſſunt. Hæc per immenſa
cœlorum ſpatia diffunditur, & usque
ad Univerſi hujus centrum expanſa per-
vadit quæque corpora ambit & pene-
trat, atque perpetuo in motu verſatur,
immo motuum fere omnium origo &
mundi anima eſt. Sed ad aerem redea-
mus. Inolevit opinio quorumdam, quo-
rum alii elementum iſtud calidum & ſic-
cum,

cum; contra alii frigidum & humidum esse contendunt; melius autem sentire illi videntur, qui spectata natura illius ad has affectiones indifferens esse judicant, neque temere. Nam e reliquis elementis hoc elegit sapientissimus mundi Artifex, ut esset medium commune, ac velut emporium, ubi commercium exerceret perpetuum terra & cœlum, illa per effluvia, istud per fluxus corporum suorum: ut autem tale medium commune foret, neutrarum quasi partium esse oportebat aerem, aptumque ut in se reciperet modo frigus, modo calorem &c. pro diversitate evaporationum & exhalationum, proque varia harum temperie nunc humore irrigaretur, modo siccitate arescceret. Certe in eadem regione, eodemque sub Jove diversis anni temporibus humana corpora his quatuor qualitatibus obnoxia sunt, sentiuntque se vel maxime affici. Num propterea omnes quatuor aeris naturæ tribuendas esse censebimus? Ad has autem qualitates explorandas serviunt duo potissimum instrumenta, nimirum Hygrometrum, quod e chorda vel filo cannabino cum indice componitur, notante humoris aut siccitatis gradus: calorem vero vel frigus aeris prodit Thermome-

trum ope liquoris in tubulo vitreo conclusi, modo ascendentis, modo descendentis. Præcipuæ vero dotes aeris sunt gravitas, & elasticitas, tot experimentis pulcherrimis priori ævo & nostro comprobatæ, qualia sunt, quæ ope Antliæ & Catapultæ pnevmaticæ, Æolipilæ, Barometri, Hæmisphæriorum Magdeburgicorum, syringum & siphonum &c. fiunt non minori cum delectatione, quam utilitate. Sed ne prætereamus elementi hujus meteora, quæ sunt secundum vocis suæ etymon *in sublimi adparentia*, eorum materia, unde nascuntur, sunt halitus seu effluvia, quæ si aquæ naturam participant, *vapores*, si vero terræ, *exhalationes* dicuntur. Hæ non adtrahuntur, ut veteres credebant, sed feruntur in sublime, dum in bullulas abeunt aere rarissimo aut spiritibus igneis plenas, & non secus ac ampullæ vitreæ vacuæ clausæque ab aquis superfusis in vase quodam elevantur, donec ad aerem puriorem & minus compressum evectæ cum illo consistant in *æquilibrio*, ut vocant. Ex his facile intelligitur genesis omnium meteororum, quæ in aeris regno spectanda se præbent, nubium, nivis, pluviæ, roris, grandinis, pruinæ, dum nempe bullulæ illæ vel calore solis liquescunt, & in guttas abeunt, vel a

ma-

materia calida intus latente rumpuntur, aut a frigida constringuntur ac decidunt in terram, e qua sunt egressæ. Inter alia vero meteora maxime spectabilis est Iris seu arcus multicolor in nube roscida, & opaca a radiis solaribus prius refractis, tum ad oculum reflexis depictus, quod fit, si oculus inter nubem illam & solem constitutus ita sit, ut solem a tergo habeat, ante se vero nubem illam guttulas jugiter manantem. Coloribus superbit quinque, puniceo silicet, flavo, viridi, cæruleo & purpureo. Atque hæc *Iris primaria* vocatur, *secundaria* vero, si prior imaginem sui vicinæ nubi eadem ratione communicat, hoc solo discrimine, quod colores ordine inverso positos exhibeat. Præterea e præcipuis meteoris aeris, quæ *emphatica* dicuntur, est quoque *Parhelium* & *Paraselene*, quando plures soles aut Lunæ in cœlo micare videntur, vero sole faciem suam in humida nube multiplicante; Zentivanius sex aliquando soles: sex lunas Lipsiæ conspiciendas se præbuisse testantur Eruditi Lipsienses in actis suis (p). Non minus *Halo*, quem coronam vocant, quandoque circa solem, sæpius vero circa lunam ad-

(p) *Ad mens. Febr.* 1684.

adparet, coloribus iridis, obſcurioribus tamen ſuperbiens, & fulgentia hæc ſidera coronans. Præterire heic nefas eſt aliud inſigne meteorum, quod *lucem* ſeu *Auroram Borealem* nuncupant, veteribus quidem jam notum, ut Ariſtoteli, Plinio & Senecæ, ſed hoc potiſſimum ſeculo accuratioribus præſtantiſſimorum Mathematicorum obſervationibus illuſtratum. Eſt nubes quædam transparens & luminoſa, quæ per longiorem cœli tractum nocturno tempore a plaga Boreali ſe extendit, & Auroræ fulgorem mentitur: aliquando etiam igneum colorem præſefert, radiosque admodum longos ſpargit. Varia eſt de illius origine & cauſſa opinio. Nonnulli ex ſulphureis exhalationibus in ſublimi aere accenſis nubem hanc componi exiſtimant: quidam autem a ſolis aut lunæ radiis, in atmoſphæra terræ in tenuiſſimos ejusdem halitus ſurſum evectos incidentibus, atque ad oculum noſtrum reflexis originem peti debere autumant: plerique tamen conſentiunt, meteorum hoc, uti cætera, in telluris atmoſphæra ſedem ſuam figere, ac in ea generari.

XXIV.

Elementum ignis.

Ignis elementorum facile princeps eſt, ut ſol aſtrorum. Naturam illius & geneſin inveſtigare tam arduum eſt, quam periculoſum admovere igni manum. Ex particulis minutiſſimis, fluidiſſimis, agiliſſimis, aptiſſimisque, ut in poros corporum ſeſe inſinuent, ſolvantque mixtorum partes, compoſitum paſſim docent Philoſophi. Num vero figuram habeant ſphæricam, ut exiſtimat Gaſſendus, vel inſtar pyramidis ſecundum Platonicos, aut filamentorum uti cenſet Fabri, divinare potius eſt, quam veritatis metam tangere. Multiplices vero ſunt elementi hujus natales. Nam primo ignis ab igne generatur, ſcilicet ex materia per calorem & ſiccitatem rite diſpoſita. Secundo oritur ignis e colliſis & attritis mutuo corporibus quibusdam, ut ſi chalybe ſilicem percutias, ubi velut carcerulis ſolutæ ſubtiliſſimæ ſcintillulæ qua data porta erumpunt & in vicina materia flammam excitant. Tertio producitur ignis, quando radii ſolares vitri cauſtici ope refracti, aut ſpeculi concavi auxilio reflexi in unum punctum, quod focum adpellant, colliguntur. Extinguitur autem ignis tri-

pli-

plici quoque ratione: primo deficiente pabulo. Secundo suffocatur, dum candela ad fundum emungitur. Tertio flatu, quo flamma a suo pabulo avulsa & dispersa per aerem evanescit. Veram generationem ignis corruptionemque quam plurimi Peripateticorum pro aris & focis defendunt; non pauci alii cum Atomistis nonnisi collectionem igniculorum ac dissipationem esse volunt, experimentorum praecipue electricorum copia freti. Sunt autem tres potissimum classes ignium, scilicet ignis, qui lucet, sed non urit; qualis est, quem Mercurius ut ajunt *Phosphorizans*, in barometro concluso in superiore vacua tubuli vitrei parte exhibet: ignis qui urit & non lucet, uti contingit in terrae salibus, calce viva, & diversis liquoribus, vino adusto, aqua forti, aqua stygia. Demum qui & urit & lucet, quemadmodum ille, quem *usualem* vocamus, quin & *solaris*: nam uterque caloris & lucis vestigia sane manifesta ubique post se relinquit. Si locum ignis quaeras, ostendent tibi digito Philosophi antiquiores concavum lunae seu spatium lunam inter & atmosphaeram nostram, cujus sententiae primus Author fuisse creditur Ocellus Pythagorae discipulus: sed merito Recen-

centiores hanc ignis in concavo Lunæ degentis fabulam explodunt, sine tabulis sine testibus experientiæ ac rationis assertam: potius si Krchero credimus (q) naturæ arcanorum peritissimo, infimus ab eo locus ut plurimum occupatur in ipsis terræ visceribus, quod tot montes ignivomi seu Vulcani (octoginta quidam numerant) per globum *terraqueum* dispositi, tot pyrophylacia, tot thermæ calidis aquis scaturientes probant. Illud certum, quod ignis sibi relictus reliqua elementa vincat levitate ac subtilitate sua, uti spectaculo non inamæno exhibet machina vitrea, quam mundum elementarem vocant, fragmentis vitri, oleo tartari, ac spicæ, vinique spiritu fortissimo impleta, quibus nomina terræ, aquæ, aeris & ignis imponunt. Cæterum meteora huic elemento familiaria non pauca sunt, nec obscura, quibus alimenta præbent exhalationes igneæ, sulphureis & nitrosis particulis bene fartæ, quæ si intra nubis ventrem mutua collisione accensæ exitum quærunt, & impetu summo, qua parte debilior est nubes, erumpunt, Tonitru efficiunt; si vero absque ingenti hoc impulsu nubem scindunt, fulgur prodit: si autem materia illa halitibus

(q) *In mundo subterr. l. 2. c. 19. §. 3.*

tibus plena & ſuccenſa ſit craſſior & magis compacta, parsque ſubtilior inde divulſa impetu maximo e nube dilacerata effunditur, atque ſumma celeritate per aerem circumlata deorſum ruit, fulmen adpellamus. Certe Seneca jam olim ſcite pronuntiavit: (r) *Fulgurationem eſſe ignem late explicatum, fulmen vero ignem coactum, & impetu jactum, & fulgur eſſe flamam, quæ futura erat fulmen, ſi plus virium habuiſſet.* Porro idem Seneca tres fulminum ſpecies diſtinguit: primam vocat fulmen *terebrans*, quod ob ſubtilitatem ſuam per minimos corporum poros penetrat, & in intimos receſſus animalis graſſatur, idque ſubito extinguit. Altera eſt fulmen *diſcutiens*, quod paullo craſſius, magisque conglobatum disrumpit omnia, quæ ſibi obſtant. Denique *urens* eſt, quod flammam voracem ſecum advehit, quæ inſtar picis corpori cuivis, in quod incidit, adhæret, illudque accendit. Materiem fulminis prodit odor, qualis eſſe ſolet ſulphuris, nitri, ac bituminis: vim & impetum oſtendit analogia nubis cum tormento bellico, quod pulvere pyrio intus accenſo fartum ſummo conatu flammas & globum ejaculatur. Ex his non adeo difficile eſt, multos ſaltem, qui

(r) *Lib. 2. quæſt. natur. cap. 16.*

qui non præter ordinem communem contingunt, effectus explorare. Sunt, qui credunt, non idem esse fulmen, quod diversis viis circumcurrere videtur, sed plura esse ab aere divisa, quæ eodem tempore in diversa loca simul impelluntur. Sunt quoque, qui non solum e nubibus, sed etiam quandoque prope telluris superficiem fulmina cudi, ac in altum ferri pro re comperta habent. Denique meteora & velut ludicra ignium in aeris regione apparentium spectacula, uti sunt *Dracones volantes, capræ saltantes, stellæ cadentes, trabes, pyramides & globi ardentes, ignes fatui, Castor, Pollux* & *Helena*, perspecta halituum igneorum, qui ex sulphureis, salinis, nitrosis & bituminatis particulis constant, in aera sublatorum natura, facile intelliguntur.

XXV.

Elementum aquæ.

Igni aquam subjungo, inter quæ duo elementa perpetuæ in hoc universo inimicitiæ intercedunt, uno in alterum per calorem & frigus pugnante: quod provido tamen naturæ consilio fit. Quippe ignis inquiete sua, & penetrandi urendique virtute summa corriperet, dissolve-

ret ac absumeret omnia: aqua vero perpetuo frigore torpescens cuncta constringeret ac congelaret, motumque omnem e mundo proscriberet, nisi ambo hæc elementa inter se commissa unum alterius vim hebetaret, atque ita mutuis tum cladibus tum victoriis in bonum universi conspirarent. Componitur autem elementum hoc potissimum ex particulis flexibilibus, reipsa divisis ac dissociatis, utpote sine quibus dotibus molle ac fluidum esse non posset; quod tamen non prohibet, quin modice quoque tenax sit, & corporibus quibusdam plus minusve adhærere soleat: cætera humidum, limpidum ac frigidum, vix tamen alicujus elasticitatis ac compressionis patiens post plura experimenta est. Dividunt autem Philosophi aquam primum quidem in *puram* & *non puram*: prior raro vel nunquam haberi potest, quum sit omnium fere elementorum commune vehiculum, minimis eorum particulis ab aqua solutis huc illuc fluctuantibus: neque pura si foret, plantas aut pisces nutrire posset. Nam vulgatum est axioma: *elementum purum non est alimentum*. Deinde in *salsam* & *dulcem*. Quamvis enim reipsa omnes aquæ ejusdem naturæ sint, diversum tamen saporem aliunde sortiun-

tur,

tur. Quippe maris aquæ salsedinem induunt a salinis particulis, quæ maxima copia in ejus fundo & montibus Oceano tectis lactitant, quibus facili ac perenni coitu miscentur: dum vero hæ ipsæ aquæ salsæ per canales & meatus subtus terram in remotiora partim, partim in altiora loca urgentur, salinas particulas vel ob meatuum angustias post se relinquunt, vel in latera canalium exonerant, quibus facile adhærent, vel calefactæ ab ignibus *subterraneis* evaporant & expirant antea, quam in fontes & flumina se conjungant, a quibus aqua dulcis subministratur. Neque color multiplex aquæ deest, non quidem proprius, quum spectata natura sua pellucida sit & diaphana, sed aliunde mutuo acceptus: Pontus Euxinus (vulgo Mare Nigrum) atro gaudet colore, qui ex profunditate oritur, quæ lucem absorbet, ac parum reflectit. Mare rubrum dicitur a colore rubro, quem vel transfundit rubra fundi arena, vel omnino adtrahunt undæ, lambendo copiosas arbores corallinas innibi contentas: Viridis quoque color, quo plerumque tectum incedit mare, vel a plantis denso ordine subtus crescentibus, vel ex mediocri profunditate originem ducit. Multa heic quoque in medium

adferunt Philosophi experimenta scitu digna de gravitate aquarum diversarum, uti & liquorum aliorum, quam explorant ope Hydrometri, quod in dulci profundius mergitur, quam in salsa: item in oleo, vino &c. quam in frigida. Statuunt etiam certas leges pro investigando corporum aquæ immersorum pondere: non minus artificio paratos aquarum saltus exhibent in cochlea Archimedis, in siphonibus & machinis ad extinguenda incendia inventis, in Antlia Pnevmatica &c. atque aliis ad Hydraulicæ regulas fabrefactis instrumentis. Sed quid de fontium ac fluviorum origine dicamus? Quum S. Scriptura nos doceat (s), *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant*, certum est primo, quod mare redundaret, si tantam aquarum molem singulis momentis per tot ostia infusam gremio suo reciperet, nec per alias vias in terræ globum dispensaret. Secundo, quod aquam acceptam per diversa itinera eum in locum devehat, ubi fontes ac flumina oriuntur, iterum in mare reversura, atque ita aquarum in hoc universo cyclosin dari necessum sit. At illud maxime du-

(s) *Eccles. cap. I.*

dubium, qua ratione quove modo id contingat. Sunt qui fontes ac fluvios e pluviarum niviumque solutarum aquis, in quas vapores a mari, lacubus, & ipsis fluminibus ascendentes coëunt, atque a ventis circumferuntur, oriri docent, dum in terras effusæ ac in receptaculis collectæ vel per hiatus & fissuras montium, vel per alveos, quos sibi formant, effluunt: hi sequuntur Mariottum, Sedileum & Halleium, qui tum pluviarum cadentium, tum aquarum e fluviis in mare se exonerantium molem ad calculum revocarunt, inventa majore aquæ pluvialis, quam fluvialis copia. Verum opinio hæc magnas patitur difficultates in explicanda fluminum, quæ paradisum irrigabant, origine, ubi necdum pluviæ ceciderant: item qua ratione Eliæ tempore, quando per annos tres & sex menses non pluit, vitam sustentare potuerint homines & pecora, si nulli fuissent fontes & flumina, quæ aquas subministrassent? Contra sunt alii, qui in locis editioribus fontes vaporibus adscribendos esse censent, qui ex aqua maris intra terræ viscera recepta, ac ignibus subtus latentibus in vapores soluta, in montium altissimorum cavernas sublevantur, & earum fornici adhærentes accedente tum

frigore condensantur in guttas, in praeparata hydrophylacia jugiter delabentes, unde postmodum perpetuis auctae incrementis per hiantia montium latera prorumpunt. Fidem huic opinioni facere videntur aquae & ignes *subterranei*, amplae in montibus cavernae, & aquae, vapores copiosissimi, ipsique montes saepius instar thuribuli fumantes. Non minore difficultate laborant Philosophi, in explicando maris aestu, & adsignanda certa illius caussa. Fit autem aestus hic, dum aqua per 6. horarum spatium sensim ad litus accedit, ibique, intumescit, deinde vero, dum per quartam circiter horae partem in eadem altitudine persistit, per aequalem temporis moram sensim decrescit a litore recedendo, ac detumescit. Atque hic reciprocus oceani fluentis ac refluentis motus in quibusdam locis bis intra 24. horas contingere solet. Pene omnes fatentur, motum hunc a luna mari dominante pendere, quum mira sit eum inter & oceanum conspiratio. Qua vero ratione? Galilaeus motui telluris diurno una cum annuo aestum hunc tribuit: Cartesius lunae per vorticem aethereum prementi, Newtonus virtuti suae *attractivae*; alii cum Kirchero & de Chales cuidam spirituum sulphureorum,

sali-

salinorum & nitrosorum mari commixtorum *fermentationi* a luna excitatæ, alii denique Recentiorum materiæ æthereæ pro vario lunæ se interponentis motu in Oceani aquas vim suam exercenti. Nemo rem acu tetigit. Unde Caussinus noster adpellat æstum marinum *humani ingenii & curiositatis sepulchrum.*

XXVI.

Elementum terræ.

Sed ad terræ elementum pergamus. Hoc a reliquis se distinguit, quod sit grave, aridum, densum, fixum ac firmum. Licet enim terra indole sua friabilis sit in minutissimos cineres, hi tamen humore velut glutine invicem cohærentes firmissimam molem constituunt, præcipue si quod humidum est, terrestri siccitate figatur, & si, quod superest, exhaletur. Unde etiam mixtis reliquis firmitatem conciliat, eo majorem, quo plus terræ ac salis admistum est; hæc enim duo arctissimo nexu conjuncta adeo firma reddunt corpora, ut vix queant dissolvi : in metallis sal, in lapidibus terra dominatur. Num vero terrenæ particulæ cubica gaudeant figura, ut Plato docuit, an sphærica, ut Fabri existimat; aut ex particulis tertii elementi

Carteſiani, vel hamatis Gaſſendi atomis componantur, ariolari non libet. Dividitur autem globus terreſtris, qua ſe a ſuperficie ad centrum usque extendit, in tres regiones, ſcilicet in *ſupremam*, quæ altior eſt maris ſuperficie, & velut extima cruſta, e qua herbæ, frutices, arboresque gignuntur, & alimentum ſuum trahunt: *infimam*, quæ humilior & depreſſior maris fundo quaſi nucleus eſt, & terra nobis incognita; & *mediam*, quæ inter maris ſuperficiem & fundum jacet, patria foſſilium ſive metallorum, & mineralium. In profundioribus locis terra perpetuo calet ob ignes *ſubterraneos*; norum ope in vapores ſolutus humor in ejus viſceribus late ſparſus, & verſus ſuperficiem aſcendens generationem foſſilium, herbarum, & animalculorum jugiter promovet. Hinc quoque tanta terrarum diverſitas ob diverſam halituum mineralium admiſtionem: hinc aliæ terræ ſunt macræ, aliæ pingues, aliæ fertiles, ſteriles aliæ; item quædam nigræ, quædam albæ, cineritiæ, rubræ: immo quædam etiam medicatæ ac pretioſæ, uti terra Lemnia, Melitenſis, Armena &c. Nec theſauris ſuis caret hæc fœcundiſſima mixtorum parens, qui varii generis ſunt; primi generis ſunt ſales, nitrum, vitriolum,

ſulphur

sulphur, bitumen, alumen, præcipue mercurius: secundi sunt lapides pretiosi, ut gemmæ, electrum, corallia, magnes &c. Tertii generis sunt metalla: aurum, argentum, cuprum, stannum, plumbum, ferrum &c. Horum omnium genesis, virtus & indoles a Medicis & Chymicis potius examinantur, quam a Philosophis, quorum tamen consideratione dignissimus est magnes, lapis ferruginei coloris, & chalybis instar durus. Magnetis nomen sortitur vel a *magna* qua pollet virtute, vel ab insula *Magnesia*, Macedoniæ vicina, in qua nascitur, vel ut Plinius scribit, a Pastore *Magnete*, qui quum in Ida monte armenta pasceret, ubi soleas suas ferro obductas & cuspidem pedi adhærescere sensit, effossa humo eum primus invenisse dicitur. In hoc lapide tres potissimum dotes admirari licet. Prima est virtus *adtrahens & repellens*: altera vis *convertens seu dirigens* ad polos mundi, tertia *vis se communicandi*. Per primam ferrum, chalybem, scobem ferri &c. ad se adtrahit, & arcte complectitur: per alteram se convertit ad polos terræ, ita ut ipsius poli duos terræ polos respiciant: per tertiam magnes chalybem vel ferrum, acum nauticam &c. eadem qua ipse pollet, virtute imbuit ea ratione, ut similiter

ter ad terræ polos sese componant, atque aliud ad se ferrum trahant. Testantur hanc vim plurima certaque experimenta. Sed modus & ratio, qua hæc phœnomena fiunt, summe dubia est, & hodie adhuc maxima ingenia mirum torquet. Antiquiorum multi e cœlo nimis longo intervallo, scilicet a stella polari, virtutem hanc repetebant: alii a terra, nempe montibus ferro gravidis, nec longe a polo Boreali remotis accersivere: at Recentiores autumant, terram magnum quemdam magnetem esse, aut quod verosimilius in terra grandem veluti nucleum magnetis ab uno ad alterum polum extendi, qui per quosdam quasi ramos alicubi se se porrigat, & in minores protuberet. Quare *vim dirigentem* adscribunt tenuissimis effluviis ex hoc grandi magnete circa telluris globum perpetuo manantibus, quæ per partes australes subeunt, & per septentrionales redeunt. Hæc si in ipsum magnetis lapidem offendunt, per ejus polos penetrantia in sui motus leges ac normam inflectunt: unde memorato lapidi geminos quoque polos *ingressus* & *egressus* assignant: attrahentem vero virtutem explicant, quod effluviis istis spatium inter ferrum & magnetem interjectum replentibus aer omnis expellatur, qui a

tergo

tergo ferri aut alterius magnetis mox subiens, ac primum compressus, tum elastica vi sua sese expandens, ferrum in magnetem impellit: demum communicantem accipit chalybs aut ferrum ab his ipsis effluviis magneticis in acum nauticam per ejusdem fibras tenuissimas sese insinuantibus, dum magnetis polo utrique, contrario tamen ductu, adfricatur: hac enim ratione gemini quoque ingressus & egressus poli formantur in chalybe aut ferro. Sunt, qui inter terræ meteora etiam numerant ventum & terræ motum. Venti natura & caussæ optime per æolopilam ante oculos ponuntur, seu globum ex ære vel cupro compositum, intus cavum, aqua ad quartam fere partem impletum, relicto foramine modicissimo. Hic si ardentibus imponatur carbonibus, caloris ope aqua ebullit, & aer vehementissime rarefit: inde vapores excitantur, & angusti carceris impatientes cum sonitu & sibilo per foramen erumpunt instar venti; neque cessat hic, donec universa e globo aqua hac ratione fuerit exhalata. Ex his patet ventum aliud non esse, quam aerem commotum & agitatum: caussas vero partim evaporationes partim exhalationes e globo terrestri erumpentes. Quodsi percutiatur & repercutiatur a lateribus mon-

tium aut densis nubibus &c. augmentum capiet, nec raro tantum, ut arbores turbine suo sternat, & tecta domorum dejiciat. Non tamen diffitemur, ex aliis quoque caussis oriri posse ventum. Terræ motus autem est violentus ejusdem in loco vel regione quadam concussus. Hujus originem aliqui ducunt a ventis, alii ab ignibus *subterraneis*, seu incensa bituminis ac sulphuris materie. Utraque caussa conjungi debere videtur pluribus, quibus hoc persuadet analogia cum artificioso terræ motu, quando in cuniculis congesta accensaque pulveris pyrii mole terram, muros & propugnacula non concuti solum, sed & in auras evibrari cernimus. Nam ingens hæc concussio non a solo pulvere pyrio accenso, sed vel maxime ab aere per ignem subito & nimium quantum rarefacto atque distento proveniens molem terræ superingestam summa vi attollit, & quandoque fractis claustris perrumpit.

XXVII.

Plantæ.

Postquam corporum vitæ expertium consideratio diu satis Physicam occupavit, hæc ad viventia oculos mentemque suam con-

convertit: & primo quidem ad plantas, quas vitam *vegetativam* vivere volunt Philosophi. His natale solum est terra, cui per radices suas eidem infixas adhærent, & accepto ab illa succo nutriuntur ac crescunt. Duabus constant partibus, fluidis nempe ac solidis: fluidæ sunt humor ille vel succus, qui sanguinem in corpore animalis imitatur, & per solidas partes jugi motu & gyro diffunditur, percolatur, atque ita nutrimentum plantæ subministrat. Prodit hic se facto vulnere, ut Lucanus canit:

Caudice desecto lacrymat sua gaudia palmes.

Solidæ sunt ipsa organa, quæ plantæ corpus componunt, scilicet radix, truncus, rami, folia, flores, fructus, semen. *Radix* est infima pars & quasi basis, immersa terræ, quæ succum nutriendo corpori aptum excipit, & caloris ac *fermentionis* ope sursum evectum per reliquas plantæ partes dispensat; ipsa radix constat pelle, cortice ac fibris minutissimis. Truncus, quem in arboribus caudicem vel stipitem, in herbis caulem vel scapum, in tritico calamum vel culmum adpellant, est quasi corpus plantæ, tresque alias partes complectitur; corticem, lignum, & medullam. *Rami* e

trun-

trunco instar artuum e corpore prodeunt: plerumque sine ordine, quandoque pulchra serie nascuntur. *Folia* sunt tum ad ornamentum plantæ, tum ad fructus adversum tempestatis iniquitatem, & solis æstum tuendos. In iis mira est fibrarum tenuissimarum textura & ingens copia, scilicet ad succum perpetuo promovendum & percolandum; quare viridi colore gaudent. *Flores & fructus* merito sunt conjungendi. Sunt enim flores veluti primus plantarum partus & luxurians voluptas spectantium oculis objecta: Fructus autem est ultimum opus; nam ut eleganter ait Stephanus Chavinus (t) *Parere dicuntur plantæ, dum florent, flosque ruptis exit utriculis: sed educatio in fructu est, cujus scilicet gratia vivit planta, quæ suorum fructuum mater est & nutrix.* In fructu autem spectandus est cortex, dein subtilis pellicula, quæ pulpam seu carnem fructus continet, plurimis distinctam fibris liquore dulci turgentibus. In plerisque addi potest *semen* seu granum, in quo provida natura ejusdem speciei plantam jam inchoatam, & primis organorum lineamentis instructam abscondit, fœcunditati, quæ maxima est, servituram. Atque hæc plantarum œconomia est interior,

(t) *In Lexico Philos.*

terior, per Medicorum præstantium observationes & adhibitam anatomen detecta. Facilis modo via patet ad reliquam de plantis doctrinam. Originem si petis, alia non est nisi semen, teste S. Scripturæ (u) : *Germinet terra herbam virentem & facientem semen & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum : cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita, & protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus.* Ex quibus verbis tria satis clare intelliguntur, primo quidem, plantas ab ipso Deo sub initium mundi e terra productas fuisse. Dein plantis indidisse Deum vim semen elaborandi, seque propagandi. Demum terram esse matrem plantarum, utpote in cujus utero ex semine formatur & nutritur planta, non secus ac foetus in utero matris crescit. *Propagatio* autem fit per germen, seu ut vocant rerum periti, per *gemmam* vel *oculum* : germen hoc plantæ rudimentum est, cujus una pars oblongior & rotunda *radicula* dicitur, exhibetque primordium radicis, altera *pluma*, quæ omnes futuræ plantæ partes surculum, ramos & folia in se convoluta complectitur, hæcque statis a natura temporibus rupto cortice, quo tanquam pretiosa

(u) *Genes.* 1.

tiosa cimelia conteguntur, in lucem emergunt; novæque plantæ progeniem monstrant. *Nutritionis* negotium mirabili sane artificio peragitur. Habent enim plantæ radices, quibus succum e terra excipiunt, habent glandulas, uti Malpighius microscopii ope deprehendit, & vocat utriculos: habent tracheas, fibras & canaliculos, in quibus succus ille *filtratur* & tamdiu percolatur, donec tenuissima pars in plantæ, ut ita dicam, carnem transeat, non secus ac sanguis in animali. Nam ut Cl. Chicognæus (x) ostendit, succus alimentarius in plantis haud aliter quam sanguis in venis animalium circumgyratur, ita ut a radicibus ad truncum, ramos & folia ascendat, & inde ad radices denuo refluat. Præterea sunt partes quædam instar glandulæ aere repletæ, quæ veluti pulmones ad spirandum serviunt: aliæ quæ systoles & diastoles motum supplent. Hæc omnia antiquiores virtuti cuidam *attractivæ* tribuunt, sed in quo hæc sita sit, non explicant: Recentiores vero partim a gravitate ac elaterio aeris, porulos nunc dilatante nunc constringente, partim a solis terræque calore succum a terra subministratum eliquante, partim a *fermentatio-*

(x) *L'histoire de scien. a Trevoux* 1707.

tatione ejusdem ſucci, aſcenſum atque deſcenſum illius provenire docent, dirigente ac diſpenſante anima, ſeu virtute innata plantæ. Non ſolum autem planta ſuccum ſeu alimentum, quo vivit ac creſcit, per radices & oſcula toto corpore ſparſa e terræ tanquam matris ſuæ uberibus, verum etiam e vicino aere humente excipit: videmus enim cadente rore aut pluvia modica, quæ ad arborum radices non penetrat, tamen languentes antea plantas refici ac vires colligere. Porro maxima eſt plantarum diverſitas. Quippe dividi ſolent univerſim in *arbores*, *frutices* & *herbas*. Arbor eſt planta lignoſa, uno caudice ſeu trunco ad inſignem ſæpe altitudinem excreſcens, ut quercus, olea, ficus &c. Frutex vero planta lignoſa, ſed multiplici caudice ac modice aſſurgens, ut rubus, avellana, roſetum &c. Herba denique eſt planta, caudice vel nullo vel molli; ſed ſtatim a radice in folia ſe expandit, ut lactuca &c. Ex his tribus plantarum ſpeciebus innumeræ aliæ pullulant: tamen omnibus eadem eſt patria. Nam ut canit Virgilius (y).

Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt:

Flumi-

(y) 2. *Georgic.*

Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur: steriles saxosis montibus orni,
Littora myrtetis lætissima; denique apertos
Bacchus amat colles: Aquilonum & frigora Taxi:
Divisæ arboribus patriæ.

Præterea mirabiles sunt plantarum virtutes ac vires. Atque imprimis utilitates maximas animalibus adferunt. Omnibus enim alimentum vel foliis, vel fructibus, vel radicibus suis subministrant, quin etiam pro diversis morbis præsens pharmacum, ita ut nutricum ac medicorum munere fungantur. Homini vero quid non emolumenti præstant? vestitum, cibum, potum, habitationem, antidotum adversus varia morborum genera subministrant, & ad delicias usque nos amant. Qui singulas nosse cupit, Botanicos, Pharmacopæos, Chymicos, & Medicos consulat; quamvis longe plures earum virtutes sint, quas ignoramus, quam quas scimus. Nullus enim sapientum prodiit post Salomonem: qui *disputavit super lignis, a cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete* (z). Quid de pretiosis planta-

(z) *Lib. 3. Reg. cap. 4.*

plantarum excretionibus dicam, gummi, resinæ, mastygis, myrrhæ, thuris, opobalsami, mellis, sacchari? quid de fructibus nobilissimis, colocyntho, Rhabarbaro, Cinnamomo, Cacuana, Zinzibere, nuce muscata, foliis Tabaci & Thée, fabis arabicis seu Caffée, Cacao & Vanilla? Quantumvis autem medicam opem suppeditent plantæ aliis, nec ipsæ tamen a morbis immunes sunt, quæ vel deficiente succo, aut fertilitate sua, vel aeris intemperie, vel incisione facta oriuntur: non quidem desunt remedia: sed tandem in longævis etiam arboribus vitæ finem facit senectus & vetustas.

XXVIII.

Animalia.

A Plantis via patet ad animalia: omnium primum, quod consideratione philosophica dignum est, occurrit ortus seu genesis illorum. De hac re variæ fuerunt opiniones Veterum, variæ sunt Recentiorum. Omnes requirunt ad formandum animalis fœtum vim quandam plasticam seu *formatricem*, quemadmodum in plantis, ita & in animalibus, qua soboles similis generetur. Sed quid ista sit, & qua ratione generationem perficiat, dubium nobis reliquerunt. Nunc

 ille

incredibili ſtudio ac ſagacitate Virorum in arte tum medica tum philoſophica periтiſſimorum Malpighii, Hervæi, Fabri, Rhedii, Moraſchii &c. qui vocata in partem laboris Anatomia & adhibitis melioris notæ microſcopiis rem omnem explorarunt, ſatis conſtat, ſingulis animalium generibus ſeu *oviparis* ut vocant, ſeu *viviparis* ineſſe *ovaria* & ovula; in quibus non ſecus ac de plantarum ſemine dixi, prima lineamenta, & ut ſic loquar, tota futuri animalis ichnographia miro naturæ ductu elaborata conſpiciuntur. Jam vero in his ovariis veſiculas ſive ovula eſt reperire, humore pellucido ac tenaci albumine, (vitellum dicunt) plena, in cujus medio velut natat germen, quod ob ſimilitudinem *cicatricem* vocant, totaque fœtus efformandi ſubſtantia reſidet, ac delineata organorum rudimenta continentur, præcipue cordis (punctum ſaliens adpellant) cerebri, oculorum & ſpinæ dorſi, quemadmodum ipſe aliquando microſcopii Veneti ope exploravi; ut adeo maris ſemen præter ſpiritus plaſticos ad generationem nihil conferat, præterquam quod vel fœcundet ovulum, vel partibus iſtis vitalibus alimentum aliquod præbeat: ita nutritur fœtus minuto albumine, ſenſim creſcit, partes corporis reliquas velut evolvit, juſtamque animalis

figu-

figuram induit, & perrupta ovuli testa in lucem prodit. Hæc de genesi animalium hucusque dicta non solum de iis, quæ *perfecta* sunt, sed etiam de illis, quæ *imperfecta* nuncupant Philosophi, uti vermes, cimices, muscæ, formicæ &c. intelligenda sunt. Quamvis enim multi Antiquiorum animalia imperfecta non ab aliis animalibus, non a semine vel ovo, sed e sola materia corrupta & putrefacta oriri contenderint, hodie tamen in confesso est, uti plantas omnes ex semine, ita omnia minima & vilissima animalcula ex proprio semine seu ovulis fœcundatis originem trahere. Nam hac ratione semper præsto est principium creatum, & caussa naturalis apta generationi: nec frustra in seminibus sive ovulis adest tantus organorum ac partium vitalium adparatus, licet adhuc rudis, nec iste, cujus structuram non satis mirari potest humanum ingenium, putri cuidam materiæ decenter adscribi potest. Gravior Philosophos quæstio in partes distrahit, nempe an vivant animalia, & quæ sit ratio formæ, per quam vivant. Cartesius vel potius asseclæ Cartesii bruta esse mera automata seu, machinas quasdam esse docent, omni cognitione, omnique sensu destitutas. Quapropter singulos eo-

rum motus, dum gradiuntur, currunt, vident, audiunt, gaudent, triſtantur, iraſcuntur &c. e ſolis legibus Mechanicæ metiuntur, & partim in organorum, partim in ſanguinis ac ſpirituum celeri motu ab externis objectis impellentibus producto conſtituunt, atque contendunt, bruta non re ipſa videre, olfacere, fugere, triſtari, iraſci &c. ſed ad motus illos, qui fugam, lætitiam, iracundiam comitantur, a foris excitari, quin ulla cognitio præcedat, aut perceptio interior conſequatur. Sed quis non videt, inane commentum hoc eſſe? ſunt profecto tam nobiles, & humanis vix non ſimiles actiones, immo quædam excellentiores, quas in brutis reperimus, quæ ſane a ſola machina absque principio vitali prodire nequeunt; quæ ratio fuit, ut veteres quidam Philoſophi rationem ac intellectum belluis ineſſe docuerint. Jam hanc, jam illam in partem, etiam ſurſum contra innatam gravitatem ſe movent: non ſolum præſentia ſed etiam abſentia cognoſcunt, futura præſentiunt, præterita recordantur: quanta avium cura in nido ſtruendo, in educanda ſobole? induſtria apum in ædificando alveari, prudentia formicarum in comportanda pro futura hyeme annona? dexteritas aranearum in

texen-

texendis telis, astutia felium in capiendis muribus? quis unquam conspexit machinam, quantumvis artificiosissimam, quæ audiret, videret, quæ præsentia & absentia cognosceret? doleret, amaret, irasceretur? Non tamen propterea adeo liberales sumus, ut rationem vel intellectum brutis indulgeamus, quum nimis magna sit inter cognitiones *spirituales* homini proprias, & *materiales* animalibus convenientes diversitas: nam hæ postremæ non excedunt vires materiæ, quum nonnisi in objecta corporea & singularia ferantur, quæ in organa sensuum exteriorum agunt, dum illæ priores sublimes & perfectæ cum *attentione*, *reflexione*, *ratiocinatione*, *judicio*, & deliberandi, volendi, seque determinandi facultate conjuncta sint. Verum jam altera & major difficultas se offert circa formam, qua vivere ac sentire dicuntur animalia. Quidam veterum duce Platone, qui cognitionem perfectam animalibus tribuebant, putarunt animam eorum esse tenuem quamdam divinæ substantiæ particulam, qua bruta vivere, moveri, res & objecta corporea percipere, aliasque operationes exercere possent. Recentiores quidam subtilissimo sanguinis flori, aut tenuissimis spiritibus in sanguinis offi-

cina elaboratis virtutem hanc adscribunt: alii agnoscunt in iis principium nobilioribus facultatibus præditum, seu animam sentientem, ab organicis corporis partibus, spirituumque vitalium motu omnino distinctam, quum actiones inde procedentes materiæ naturam conditionemque videantur excedere. Rursus alii vim sentiendi petunt a sola conjunctione diversissima & mirabili atomorum, quam *combinationem* dicunt, tanquam vero actionum animalium principio. Porro nonnulli, qui omnia corpora mixta ex elementis primum componi volunt, atque iisdem, ut cum Philosophis loquar, vitam in *actu primo* adstruunt, his virtutem ad miras ejusmodi operationes brutorum eliciendas congenitam esse docent, prodituram in *actum secundum*, si debita partium & organorum conformatio accesserit. Nam ajunt, ad quid tot myriades formarum, quæ continuo produci, & iterum in nihilum redigi deberent, ut patet in muscis, formicis &c? si enti materiali, qualis est forma, hæc virtus *identificari* potest, cur non etiam ipsi materiæ, seu atomis? Nec a communi sensu abhorret, si dicas aquam, terram, lapides &c. vivere, audire, videre, quando res rite explicatur, nimirum, quod in

in se contineant quidem hanc potentiam & vim, nunquam tamen in opus ipsum deducendam, si non organorum dispositio his facultatibus conformata præsens fuerit, uti est in brutis, quum plurima etiam sint in artibus, quæ ad innumeras formas nunc vilissimas nunc præstantissimas usui esse possunt, ut cera, lignum, ebur &c. prout artificis ingenium & manus disposuerit. Denique non pauci sunt, qui formam hanc in tertia quadam specie, seu substantia spiritualem inter & materialem media constituunt, ita ut aliquid de spiritu ejusque dotibus, aliquid vero etiam de materia ejusque proprietatibus participet: de spiritu quidem, quum gaudeat vi cognoscendi & volendi imperfecta, & penetretur cum corpore; de materia vero, quum perpetuo dependeat ab illa tum in existendo, tum in operando, & si ab ea separetur, penitus intereat. Verum hæc omnia, & quidquid denique in re tam arcana & vix ipsi naturæ nota dixeris, nonnisi intra sphæram opinionis sunt constituta.

Facilior est amœniorque animalium in species suas distributio plane multiplex. Princeps est in ea, quæ seu in aere, seu in terra, seu in aquis stabilem sedem figunt. Volatilia in tres rursus classes

dividuntur. Primam obtinent aves præstantiores: Aquila cæterarum regina, sublime volans, & visu, quem nec solis radii hebetant, reliquis acutior: Accipiter, Milvus, Vultur rapinis & pernicibus alis celebres: Grus, Ciconia; hæc in parentes senes pietate, illa volatu in modum phalangis instructo insignes: Pavo plumarum specioso adparatu superbus, Anser stridore vocis notus, Bubo ululatu nocturno formidandus. In altera classe mediocrium eminent: Columba fœcunda & felle carens, Turtur gemens, Psittacus humanæ vocis simia, Graculus loquax: Turdus & Perdix mensarum deliciæ: coturnix, sturnus, pica, merula &c. Tertiam minores seu aviculæ constituunt, uti Luscinia, Alauda, & Carduelis phonasci, Hirundo veris nuncia, Passer salax & prædator seminum, Fringilla, Parus &c. Consideratione vero præcipua dignus est avium volatus, qui aliud non est, quam motus in aere, qui alarum veluti remigio fit. His enim explicatis atque vibratis aerem comprimunt, quo se rursus restituente ac expandente impelluntur: & sursum urgentur: remissis contractisque deorsum feruntur pondere suo; ad dextram autem vel sinistram sese vertunt, si solam vel dextram vel sinistram

ſtram alam vibrantes aerem verberant, non ſecus ac in navigio remorum ope contingit: curſum vero per æthera regunt cauda tanquam clavo.

Terreſtria animalia vel ſunt, quæ quatuor incedunt pedibus, vel humi repunt, vel inſecta vocantur. E quadrupedibus alia denuo ſunt domeſticis uſibus vel commodis deſtinata, uti canes, feles, equi, aſini, boves, capræ, oves &c. alia in ſilvis nata & educata, quemadmodum Elephas proboſcide oblonga & flexili, ac dentium ebore ſpectabilis: Leo generoſitate ac robore, quod maxime in cauda reſidet, principatum in animalium regno ſibi vendicat: Pardus, e cujus cum leæna coitu leopardus gignitur: Rhinoceros unum in nare cornu prætendens & hoſtis elephantis juratus: Urſus veterno torpens, & binis ſæpe pedibus incedens: Linx viſu, aper auditu nos vincens: Cervus tam velox quam timidus &c. Mediocres ſunt; lupus vorax bellua, rapto vivere aſſueta, vulpes aſtuta, dama imbellis ac pavida: tigris crudelitate funeſta; ſimia hiſtrio & actionum humanarum imitatrix. Minoribus accenſentur lepus ſymbolum timiditatis, ſciurus molli cauda & ſaltu per arbores nota, cuniculus terræ foſſor; erinaceus aculeis undique armatus, muſtela

I 5 ſtela

ſtela ſerpentibus inimica, mus alpinus, cui tota hyems dormitur &c. At Reptilia, quæ modo corpus oblongum trahunt, modo in ſpiras ſe torquent, complectuntur inprimis omne genus ſerpentum; Aſpides, viperas, colubros, ceraſtas, veneno quod vel ore vomunt vel cauda fundunt, infames: dein limaces, lumbricos, & vermes, quæ ope fibrarum in orbem euntium corpus comprimunt, & comprimendo producunt. Demum erucas aliaque ſimilia, quæ pedibus quidem gaudent, ſed iis terræ infixis aliquam ſolummodo corporis partem promovent. De ſerpentibus illud notatu dignum, quod corpus validis muſculis in arcum flectant, tum vero poſteriore ſui parte ſolo adhærentes partem anteriorem velut ejaculentur, atque ita repetitis vicibus iter ſuum proſequantur. Inſectorum ſpecies ſunt diverſiſſimæ ac innumeræ, quæ in quatuor potiſſimum claſſes reponuntur. Prima eſt eorum, quæ ex ovulis excluduntur, ut araneæ, pediculi, pulices, acari, aliaque quæ plerumque in corporibus latent proximis putredini, tamque minuta ſunt, ut nonniſi microſcopiis detegantur. Ad ſecundam pertinent, quæ ex ovis quidem, ſed valde rudibus prodeunt inſtar vermiculorum; tum vero intus in maſſam quamdam

dam fluidam abeunt, arescente exterius pelle, donec depositis exuviis compareant alis instructa, uti locustæ, grylli, cicadæ, scarabæi &c. Ad tertiam illa, quæ ovulis perruptis nec membrorum nec motus indicium aliquamdiu præbent, donec intumescant, & rupta pelle crura, alæ cæteræque partes manifeste adpareant, quemadmodum contingit in apibus, formicis &c. quarum labores, ædificia, cellæ, substructiones, respublicæ, coloniæ tam artificiosæ sunt, ut si ipsorum hominum industriam non superent, saltem instruant & excitent. In quarta classe insectorum collocantur, quæcunque metamorphosin patiuntur, & in alias identidem formas migrant, veluti bombyces, quæ sericum subministrant non minus pretioso quam ingenioso labore, aliaque plurima animalcula, quæ ex ovo in vermem, in erucam, in aureliam & papilionem mutantur, non quidem ea ratione, ut naturam suam exuant, sed novam speciem ac formam exteriorem induant.

Jam ad Aquatilia: hæc vel sunt exanguia, vel sanguine prædita. Primi generis sunt Loligo, quæ atro instar atramenti liquore abundat, & Polypus, cujus pedibus tantum inest robur, ut iis quodvis animal tenere ac comprimere valeat;

Can-

Cáncer, retrogadus & crusta forti instructus: Conchylia varia, quæ sua se testudine tuentur. Secundi generis vero balena, & pistris mole sua & magnitudine celebres: Delphini, qui humana voce ac cantu delectantur. Atque hi pisces vel potius monstra piscium, quibus abundat Oceanus præsertim Indicus, vocantur *Cetacei*; communes sunt, & *branchiales* dicuntur, quorum alii maria incolunt, alii fluvios & lacus, ut lucius, carpio, tinea, perca, salmo &c. quidam porro Amphibii adpellantur, seu qui modo in aquis modo in terris habitare solent, media inter aquatilia & terrestria animalia species, quemadmodum crocodilus, testudo, castor &c. Omnibus autem piscibus communis est motus, quo in aqua librantur, seu natatio; nam quum pisces eandem habeant cum aqua gravitatem, quam *specificam* vocant, secundum leges hydrostaticæ, illi quidem omnino immerguntur, nunquam tamen nisi peculiari quadam vi, quam sibi inferunt, demerguntur. Ut autem susdeque pro lubitu ferri possent, solers natura vesiculis aere plenis eos instruxit, quibus ope musculorum seu contractis seu expansis majorem minoremve aeris copiam admittunt, atque ita gravitatem corporis sui augen-

tes

tes aut minuentes descendunt profundius, vel altius ascendunt: maxime tamen cauda motus suos in omnem partem perficiunt, utpote quæ illis est id ipsum, quod gubernaculum aut remus navigio.

XXIX.

Homo.

Explorata animalium genesi ac indole pergit Physica ad hominis naturam studiosius investigandam. Est autem hæc, triplici facultate instructa, nimirum *vitali & naturali*, *animali & sensitiva*, demum *rationali*. Primam atque secundam participat cum plantis & animantibus sublimiore quodam gradu, tertiam cum spiritibus inferiore. De hac postrema disserendi locus erit in Metaphysica: de primis duabus jam nunc agendum. Hoc ut rite fiat, humani corporis fabricam rudi calamo velut penicillo delineare oportet, eas solummodo partes enumerando, quarum cognitio ad illas, de quibus dixi, facultates explicandas necessaria est: accuratiorem pleniioremque descriptionem invenire licebit in libro, ubi agetur de arte Medica. Oeconomia igitur totius humani corporis in tres regiones distribuitur, nempe in supremam seu *animalem*, in mediam seu *vitalem* &

infimam seu *naturalem*. Suprema complectitur eas partes, quæ intra capitis, media quæ intra thoracis, infima quæ intra ventris limites continentur. In capite cerebrum, oculi, aures, lingua, nares & nervi conspicienda se præbent. Porro cerebrum, quod est spirituum emporium in majus, & minus seu *cerebellum* distinguitur. Majus *meninges* seu pia & dura mater, *falx*, *fornix*, *ventriculi*, *septum lucidum*, *thalami nervorum opticorum*, & *glandula pinealis* constituunt: cerebellum seu minus cerebrum ex innumeris gyris, circellis & laminis contexitur. Oculus præcipuum visus organum quinque tunicis vestitur: *cornea*, *sclerotica*, *uvea* cum pupilla, iride & processu ciliari, *choroide*, *retina*; tresque concludit humores *aqueum*, *crystallinum* cum arachnoide, & *vitreum*: in omnem autem partem gyratur ope sex *musculorum*. Auris est proprium auditionis organum, & incipit a *concha*, ac post meatum *acusticum*, quatuor ossicula *incudem*, *malleum*, *stapedem*, & *os orbiculare* stapedi adhærens in duas cavitates desinit *cochleam* & *labyrinthum*. Lingua gustus sedes & humanæ vocis instrumentum *carne spongiosa* & volubili, osse *Hyoide*, *fræno*, *laringe* ac *papillis nervosis* compo-

)nitur. Nares olfactus organum gemi-
) foramine, quod *cartilago* dividit, &
nis viis sursum ad *os cribriforme*, deor-
m ad *fauces* instructum est. Nervorum
:cem paria, quas *conjugationes* vocant,
ımerantur. Mediam regionem seu vita-
m occupant cor, pulmones venæ &
teriæ. Cor vitæ fons duplici *systoles*
ıo contrahitur, & *diastoles* quo disten-
tur, motu perpetuo agitatur; duobus
ındet ventriculis, totidem venis *cava*
pulmonaria, totidemque arteriis *pul-*
monaria & *aorta*. Pulmones sunt velu-
folles vitales, quibus animal spirat, &
duos *lobos* ceu alas distinguuntur: in-
ritur his *aspera arteria*, cujus caput
rynx, operculum *epiglottis* dicitur. Ve-
e sanguinem cordi advehunt, inter quas
ninent *cava*, *porta* & *pulmonaria*, item
ediana & venæ *pulsatiles*: Arteriæ vero
'ehunt a corde sanguinem, suntque in-
;niores *aorta*, & *pulmonaria*. Ultimam
gionem seu naturalem implent hepar,
:ntriculus, lien, renes & intestina. He-
ıti adjacet *vesicula* fellis, & binis pa-
t venis illustrioribus *cava* ac *portæ*:
:ntriculus duobus instructus est ostiis,
ıorum primum *Oesophagus* vocatur ad-
ittitque cibos in ventriculum; alterum
lorus, per quem concocti abeunt in in-
te-

testinum: lien e regione hepatis situm, vas est percolando præparandoque sangui-ni destinatum: Renes, in quorum glandulis deponitur serum inutile, quod per tubulos distillat in *pelvim*, inde per *ureteres* in vesicam. Intestina tum chylum excipiunt, tum sordes evehunt: distribuuntur in *gracilia*, nempe *duodenum*, *jejunum*, *ilion seu volvulum*, & in crassa, scilicet *cæcum*, *colon* & *rectum*, quæ motu *peristaltico* agitantur, & ope *mesenterii* seu membranæ innumeris venulis *lacteis* colligantur. Præter hæc ad œconomiam corporis cognoscendam spectant partes, quas dicunt *similares* ac *dissimilares*: *Similares* seu ejusdem rationis sunt *os*, pars reliquis omnibus durior ad corpus fulciendum (ossa vero singula præter dentes & *Sesamoidea* tenuissima circumdat membrana περιοστέον acutissimi sensus, atque ex omnium compagine exurgit σκέλετος) *cutis* seu pellis vestit totum corpus, illudque involvit. In hanc omnes vasorum propagines e cunctis partibus corporis conveniunt, formantque *poros*, per quos vapores & fuligines emittuntur: cutim ambit *cuticula*, quæ illam adversus aeris injurias tuetur: *Caro* est pars mollior, rubri coloris, e pluribus composita fibris, glandulis & vesiculis,

in

in quibus liquor quidam limpidus continetur: *Arteriæ* seu canales e quatuor tunicis contexti, intra quos sanguis e corde in singulas corporis partes dispensatur: *Venæ*, per quas sanguis a partibus extremis ad cor redit, tenuiores sunt arteriis, unica instructæ tunica, sed pluribus *valvulis*, quibus partim hiantibus admittitur sanguis, partim occlusis regredi prohibetur: *Nervus* pars oblonga & teres est, ex subtilissimis filamentis contexta, a cerebro ad singulas fere partes extensa, per quam celerrime commeant spiritus animales, ad motus corporis & sensus servituri: *Tendo* constat solidioribus fibris, estque pars extrema *musculi*; hic autem excoriati muris speciem præbet, & liquidam quamdam mobilemque materiam in ventre gerit, qua illapsa dilatatur, & ope tendinum membra quibus adhæret, contrahit, estque motuum omnium instrumentum. *Ligamentum* connectit partes, præsertim ossa & viscera, ut una simul moveri possint. *Cartilago* est carne durior, ossibus autem mollior, qualis est *septum* illud, quod nares conjungit. Denique *fibræ* sunt filamenta oblonga, valida & gracilia ad motum quoque perficiendum destinata. *Dissimilares* corporis partes, seu diversæ rationis,

præcipuæ ſunt: caput, truncus, artus, omniaque organa ſenſuum, muſculi &c. Ad caput quod adtinet, in eo omnes ſenſus ſunt collecti, & anima veluti reſidet, quamvis toto corpore diffuſa. Sphærica gaudet figura atque dividitur in faciem, in ſinciput & occiput, ac verticem tanquam partem mediam: in tempora & cranium, cui triplex eſt ſutura: proximum vero collum, quod caput & truncum committit, mobilibus ad caput in hanc vel illam partem vertendum oſſibus præditum. Sequitur truncus, qui ad femora usque regionem ſuam extendit: in eo, pectus, quod etiam venter medius ſeu *thorax* adpellatur, tegitque pulmones, cor, aliasque partes vitales inſtar umbonis: venter infimus, quem *diaphragma*, ſeu denſior membrana a thorace ſeparat, usque ad os ſacrum porrigitur, partesque naturales omnes, jecur, ſplenem &c. concludit: Inteſtina, quæ *omento* ceu reti veſtiuntur, ac *peritonæo* membrana firmiſſima continentur. Artus, tertia *diſſimilaris* pars, ſunt membra articulis diſtincta: ejusmodi ſunt brachia & crura: brachium porro in *humerum*, *cubitum* & *manum* dividitur: crus in *femur*, *tibiam* & *pedem*.

His de corporis humani (eadem in mul-

tis

tis brutis ratio eſt) ſtructura breviſſime præmiſſis, ad facultates & functiones ſeu *naturales* & *vitales*, ſeu *animales* explanandas via patet. Inter primas numerantur *ſanguinis circulatio*, *reſpiratio*, *nutritio* & *augmentatio*. Sanguinis circuitus, græce Cycloſis, fit, dum cor motu diaſtoteles dilatatur; tum enim ſanguis e vena cava in dextram cordis auriculam, & ex hac in ejus ventriculum ſeſe infundit, ea fere ratione, qua follem explicatum aer ſubit: ubi vero motu ſyſtoles, contrahitur, per arteriam pulmonariam ſanguis in pulmones expellitur, e quibus per venam pulmonariam in ſiniſtrum cordis ventriculum denuo per diaſtolem dilatatum revertitur, & ſuccedente ſyſtole in aortam extruditur, per cujus ramos in totum corpus diſpenſatur: inde dum per venas capillares reſorbetur, & in venas majores transmittitur, demum in cavam illabitur, & ad fontem ſuum ſeu cor redit. Huic celebratiſſimo nunc ſyſtemati ſuffragatur ratio depromta tum ex ſanguinis defectu, ſi cycloſis hæc non admitteretur, tum ab experimentis illis, quæ in phlebotomia occurrunt. *Reſpirationis* negotium conficitur duplici motu, quorum primo pectus dilatatur contractis fibris diaphragmatis & thoracis, atque ita per

os & nares acr in traheam ſeu aſperam arteriam & ipſos pulmones immittitur: altero autem, quo remiſſis illis, de quibus dixi fibris, pectore contracto, aer ex pulmonibus per traheam rurſus egeritur. Totam rem exhibet optime follis igniarius, dum tabulis a ſe recedentibus aer per collum ſubit; iis vero coeuntibus eadem via remeare cogitur. *Nutritio & augmentatio* ſunt facultates naturales, quibus e cibo rite præparato partes corporis deperditæ vel reparantur, vel ejusdem membra ad debitam magnitudinis ſuæ menſuram promoventur: hoc autem ut fiat, opus eſt tum *Chyloſi*, qua cibus digeratur, vertaturque in chylum, tum *Hæmatoſi*, qua chylus in ſanguinem commutetur. Chyloſis perficitur dum cibus ori immiſſus primum dentibus frangitur & ſaliva ſolvitur; deinde per œſophagum motu *periſtaltico* in ventriculum propellitur, ubi lente fermentans & acidis quibusdam homoribus diſſolutus in inteſtinum, quod *duodenum* vocant, jamque purior & albicans ex hoc per lacteas meſenterii venas & ductum thoracicum in venam ſubclaviam, ac demum per venam cavam cum refluo ſanguine commiſtus in dextrum cordis ventriculum defertur. Hæmatoſis vero,

leu

ſeu chyli purioris in ſanguinem commutatio crebris percolationibus abſolvitur, dum chylus cum ſanguine circumactus potiſſimum in hepate, liene, ac renibus inutiles humores deponit, donec ipſam ſanguinis indolem & naturam induat. Atque hac ratione partes animalis fluidæ reparantur augenturque, quandoquidem ſanguis e ſiniſtro cordis ventriculo erumpens per arterias diverſa viſcera ſubit; partes autem ſolidæ, quatenus idem ſanguis per minimos tubulos excurrens in eas ſeſe inſinuat, & in porulis ſingularum aliquam ſui portionem relinquit, qua in majorem molem excreſcunt.

A facultatibus corporis naturalibus & vitalibus ad animales pergamus, quæ verſantur circa *ſenſationes*, ut Philoſophi loquuntur. Hæc ſenſatio aliud non eſt, quam ſenſibilium rerum objectarum per organa ad ſenſum deſtinata perceptio. Explicant hanc Recentiores, dum docent, objecta ſenſibilia primum vim ſuam adpulſu quodam exercere in organa ſenſuum exteriorum, in quibus tum inchoatur *ſenſatio*; poſtmodum vero impreſſio iſta ad ad cerebrum usque per nervos veluti transmiſſa animam ceu facultatem ſentiendi in præcipua ſede ſua ad percipiendum excitat; qua ratione demum *ſen-*

satio in organis inchoata perficitur. Ita sane experimur, eos qui phrenesi, apoplexia, aliisque morbis solum cerebrum afficientibus laborant, nihil omnino sentire, quantumvis exteriora organa a rebus sensibilibus vehementer commoveantur. Hanc opinionem multiplici experimento & ratione stabilitam per omnes quinque sensus late deducunt. Visio aliud ipsis non est, quam perceptio illius impressionis, quam ope luminis pupillam subeuntibus ab objectis rebus visibilibus in tunica *retina* patitur oculus. Nam e singulis illarum punctis plurimi radii ad oculum ita vibrantur, ut pupillam ingressi & in humoribus refracti, simulque collecti dum ad retinam promoventur, in ea objectæ rei imaginem scitissime depingant, non secus ac in *camera*, quam vocant, *obscura*. Porro lumen constituunt in motu quodam vibrante, quo materiæ subtilis seu ætheris globuli celerrime versus oculum concitantur, horumque nervulos vivacissime afficiunt. Hac enim ratione legibus visionis seu *directæ* seu *reflexæ*, seu *refractæ* optime satisfieri docent. Cætera e lumine aliis atque aliis modis reflexo oritur color, quem in *objectivum* & *formalem* distinguunt: prior pendet a magnitudine, figura & situ

ſitu particularum corporis ſuperficiem conſtituentium; poſterior autem a lumine ipſo, quod textura hæc ſuperficiei ad oculum reflectit. Hac enim ratione non ſolum geneſis colorum extremorum, ut albi & nigri, ſed etiam mediorum, ut flavi, cærulei &c. & adparentium in iride, prismate &c. phænomena ſcite ſolent explicari. Auditio contra eſt perceptio impreſſionis, quæ fit in nervorum fibrillis per *labyrinthum* & *cochleæ* gyros diſperſis, dum aer tremulo corporis ſonantis motu correptus atque impulſus fibrillas illas ſolicitat, eodemque tremore concutit, ſonumque efficit. Hic autem rurſus in *objectivum* & *formalem* dividitur: ille in motu, quemadmodum memini, tremulo partium minimarum corporis ſonori, dum percutitur, colliditur, diſploditur: hic vero in ſimili, qui a partium corporis percuſſi aut colliſi tremore aeri communicatur, & ad intimos auris aditus defertur, motu conſiſtit. Guſtus, cujus organum proprium eſt lingua, ſeu potius *papillæ nervaceæ*, ex intima linguæ ſubſtantia prodeuntes, & in ſuperficiem adſurgentes, ſenſus eſt, quo corporum ſaporem percipimus, ciboſque diſcernimus, quod fit ope particularum potiſſimum *ſalinarum*,

quæ ſecundum diverſam, qua papillas de quibus dixi, vellicant, impulſionem grati vel moleſti ſaporis ſenſum excitant. Odoratus eſt ille ſenſus, quo corporum odores exploramus; ejus organum eſt membrana tenuis, quæ interiores narium receſſus ambit & quaſi veſtit, quamque plurimæ nervorum ad hunc ſenſum deſtinatorum fibrillæ per oſſis *cribriformis* foramina tranſeuntes penetrant; itaque membranam iſtam, ſi particulæ ut plurimum ſalino-ſulphureæ e corporibus effluentes afficiant & irritent, percipitur & ſentitur odor. Tactus denique, qui ex omnibus ſenſibus latiſſime patet, partim quia per totum corpus diffuſus eſt, partim quia reliquos in ſe ſenſus certa ratione complectitur, quoniam omnes impreſſione quadam perficiuntur, tactus inquam propriam ſedem habet in *pyramidalibus* nervorum papillis minimis, quæ erumpentes ex cute in cuticulam deſinunt. In has enim ſi corpora exterius admota vel impingunt, vel molliter ſe ſe inſinuent, earum ſenſus pro cujusque indole percipitur. Jam vero in ſingulis ſenſibus hucusque enumeratis duo magni momenti probe notanda veniunt. Primum eſt, omnes illos ad tactum eſſe referendos, ſi Recentiorum

ſenten-

ſententiæ velimus ſubſcribere, quandoquidem objecta omnia vel per ſe, vel per aliquid a ſe emiſſum organa, nervos ſcilicet, membranas aut fibras afficiunt, diverſa tamen ratione, quum oculus ſubtiliſſimas impreſſiones, minus ſubtiles auris, mediocres odoratus & guſtus, tactus vero non niſi craſſiores patiatur: alterum, quod in ſingulis organis extremæ partes illæ, in quibus impreſſio fit, quemadmodum membranæ, papillæ, fibrillæ &c. cum cerebro arctiſſime ſint connexæ; unde fit, ut anima in cerebro potiſſimum velut regia ſua dominans, quum motus illos ibidem percipit, ad *ſenſationes* determinetur, ita ut hæ in organis quidem inchoentur, ſed in cerebro perficiantur.

A ſenſibus exterioribus via patet, licet abſtruſiſſima & ſalebris plena, ad interiores, qui plerumque tres diſtingui ſolent, ſcilicet ſenſus *communis*, *phantaſia*, & *memoria*. Primus eſt ea facultas animæ, qua hæc non ſolum unius alteriusve, ſed omnium quinque ſenſuum exteriorum actus & objecta cognoſcit, eorumque functiones expendit, atque inter ſe diſcernit. Hinc ſi quis vulneretur in pede, non in eo duntaxat vulnus percipit, ſed etiam in capite cognoſcit vulnus

in pede inflictum. Alter est phantasia seu imaginatio: hæc est vis quædam animæ, quæ imagines rerum objectarum per sensus exteriores & per interiorem communem cognitarum, etiam dum absunt, excitat, sibique præsentes sistit: non raro diversissimarum ejusmodi rerum species in sinu suo colligit & inter se nectit seu apte seu inepte, uti somniantibus contingere solet. Tertius seu memoria, quam Tullius adpellat *rerum omnium thesaurum*, est facultas animæ, qua hæc imagines rerum præteritarum sedulo custodit atque conservat, & ubi placuerit, vel opus sit, suscitat, ita ut ad animæ nutum fibræ ac spiritus animales incitentur, similesque in cerebro motus cieantur, quales dum primo res percepta fuit, facti sunt. Cætera organum sensuum interiorum, saltem si de animalibus iis, quæ Physici perfecta dicunt, sermo sit, cerebrum est; hoc enim læso hebetatur vel destruitur vis exercendi actus his sensibus proprios: non minus a Medicis in ejusmodi morbis pharmaca cerebro adplicantur; quin & perpetuum est spirituum animalium per nervos & fibras species deferentium cum hoc organo commercium. Quid autem sint species istæ, inter arcana summa naturæ ejus-

ejusque auctoris supremi referendum est. Sunt, qui existimant, esse omnino minimas & subtilissimas particulas sanguinis purissimi ad primum quemvis motum expeditas, quibus imagunculæ rerum ab objectis exterioribus imprimuntur, quæque in cavernulis cerebri quiescunt, donec ab anima excitentur. Sed malo hæc innocenter ignorare, quam imprudenter divinare.

CAPUT VI.

METAPHYSICA.

§. I.

Entis natura, & proprietates.

XXX.

Decurso Physicæ studio amplissimo ad intima & arcanissima Philosophiæ adyta penetrare fas est, nempe Metaphysicam, eam scilicet seu artis hujus seu scientiæ seu utriusque partem, quæ *Entis* cognitionem & doctrinam complectitur, primasque notiones & principia ad cæteras disciplinas rite percipiendas necessaria exponit. Nominis originem tra-

trahit non ex eo, ut nonnulli perperam existimarunt, quod supra rerum naturalium ordinem ideis suis eluctetur, sed quod agat de iis, quæ post rerum naturalium sub sensus cadentium scientiam consequuntur, uti nos docet inscriptio, quam libris suis metaphysices præfixit Aristoteles: τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Pertractat enim res a solo intellectu pendentes, & ab omni sensuum commercio remotissimas, nimirum de Entis natura, ejusque proprietatibus & diversis affectionibus, de anima rationali, de spiritibus ab omni materia secretis, immo de Deo ipso ut authore naturæ. Primo igitur Entis ratio est, quod sit illud, cui non repugnat existere, ea lege, ut rebus creatis *existentia* sit omnino contingens, Creatori autem omnino necessaria. Explicant hoc loco paucis Metaphysici, quid rei sit *essentia*, *existentia* & *subsistentia*, quæ ignorare sive Philosopho sive Theologo nefas est: varia item axiomata e natura ipsius entis depromta, inter quæ illud præcipuum: certissime affirmari posse id de re quadam, quod in idea clara & distincta ejusdem rei comprehenditur. Sic *existentia* geminæ rei nobis est indubitata: scilicet cuique sua, quum cogitare mens nostra nequeat, quin ex-

exiſtat: deinde Dei, entis ſumme perfecti, a cujus idea exiſtentiam reipſa ſejungere non valemus. Reliqua vero cuncta vel clare concipiuntur, & tunc exiſtentiam includunt ſaltem poſſibilem, quemadmodum alter mundus, vel nequeunt concipi, tumque impoſſibilia judicantur. Ab entis notionibus pergunt ad varias affectiones illi communes. Præſtantiores ſunt *verum*, *bonum* & *unum*. Veritas entis conſiſtit in conformatione rei cum cognitione, ita ut res cognitioni ſit omnino conformis, eique ideæ conſentiat, qua exprimitur: quodſi cognitio quoque cum ipſa re penitus conveniat, habetur etiam veritas cognitionis. Bonitas entis metaphyſica non in morum probitate, quæ nonniſi in res creatas intelligentia præditas cadit, ſed in perfectione poſita eſt, nimirum ut perfecta ſit in ſuo genere, & ad uſum finemque ſerviat, ad quem a Deo authore naturæ deſtinatur; qui finis quum nobis frequenter ſit ignotus, fit, ut ſingulorum entium bonitas ſæpe nos fugiat. Demum unitas entis in charactere quodam conſtituitur, qui facit ens *indiviſum in ſe, & ab omni alio ſecretum.* Quaſdam heic breviter quæſtiones & a neceſſitate & ab utilitate commendandas immiſcent Philoſophi: *de*

iden-

identitate ac distinctione numerica & specifica: de identitate ac distinctione reali ac formali, ut scholæ loquuntur, insuper habita *virtuali* seu Thomistica, quæ in rebus creatis, & secundum multos etiam in divinis, locum non habet; & ex *natura rei formali* seu Scotistica, quæ subtile commentum esse videtur. Non minus alias entium proprietates metaphysica detegit, dum qua ratione ad se referantur, aut sibi opponantur, quisve ordo inter illa sit, quodnam prius, quodnam posterius altero, explanat, vocatque entis *relationem, oppositionem* & *ordinem*. Hic varius est: quædam enim tempore præcedunt, quædam subsequuntur. Temporis autem notio, licet omnium animis insita sit, explicari tamen verbis vix potest teste ipso S. Augustino: *Quid est ergo tempus? si nemo ex me quærat, scio, si quærenti explicare velim, nescio* (a). Ut tamen aliquid dicamus, finiri potest, quod sit continua, sibique succedens rei existentis *duratio*: mensura vero temporis a motu astrorum præcipue solis ac lunæ dependet, utpote de quibus dixit Deus per Moysen (b), *ut sint in signa & tempora, & dies & annos*. Alius ordo est, quem

(a) *Lib.* XI. *Confess.* c. 14. (b) *Genes.* I. v. 14.

quem natura constituit, dum eodem tempore duo simul ponuntur, quorum unum vel est caussa alterius, uti sol & lux, vel alia ratione facit, ut quod sibi non sufficit, aliunde existat. Hinc *signa naturæ* originem suam habent, Philosophis notissima, & quæstio de mutua naturæ ut vocant *prioritate*. Ad ordinem quoque pertinet locus, quum nullum ens sine loco subsistere queat. Alius est locus *extrinsecus* seu mobilis, dum res quæpiam priorem deserit, & novum acquirit: alius intrinsecus seu immobilis, qualis est, qui mundum universum ambit, & spatium *imaginarium* vocatur, quod Augustino est: *Spatiosum nihil*. Heic utiliter disputant Philosophi de modo, quo res existit in loco, qui modus duplex est, *circumscriptivus* & *definitivus*, item de *replicatione*, qua corpus simul existit in pluribus locis virtute non quidem naturali, sed divina. Porro ad alias entis affectiones explanandas progreditur Metaphysica, dum agit de ente seu universim seu singillatim spectato, quod mirabile sane artificium est intellectus humani, ut modo una idea res innumeras velut nudas complecti, modo distinctis ideis quamlibet suis proprietatibus vestitam exprimere ac considerandam

ſibi proponere valeat, id quod ad ſcientias rite tractandas percipiendasve ſumme neceſſarium eſt. Ex hoc ortæ ſunt quinque illæ famoſæ *ideæ univerſales*, quas Porphyrius in libro Iſagoge dicto, & Chryſaorio Romano Adoleſcenti inſcripto copioſe illuſtravit: nempe *genus*, *differentia*, *ſpecies*, *proprium* & *accidens*; ubi ſeſe inſinuant quæſtiones controverſæ de *differentia ſpecifica*, & *individuali*. Prætermiſſis aliis adhuc proprietatibus entis ad illius cauſſas gradus fit, non eas, quas ſingulares, efficientes & fluxas Phyſica, ſed quas Metaphyſica rebus omnibus communes & primis naturæ legibus conformes contemplatur. Nota eſt diviſio in quatuor cauſſarum genera, *materialem*, *formalem*, *efficientem* & *finalem*. Nihil enim eſt in rebus creatis, quod non ex materia & forma vel re ipſa vel per intellectum componitur: nihil quod non ad certum finem deſtinatur: nihil quod non habeat aliud, a quo tanquam a cauſſa ſua efficiente proficiſcatur. Potiſſimum hoc in loco diſceptari ſolet, num cauſſis, quas vocant ſecundis vere inſit virtus agendi efficiendique res alias. Negarunt veteres Philoſophi non pauci, Deum circa res ſe inferiores ſollicitum eſſe, ſed fato, fortunæ, caſui ac

natu-

naturæ cursui omnia relinquere! contra Cartesius creatis rebus omnem movendi agendique vim abstulit; prærogativam hanc atque virtutem soli deferens creatori; sed perperam. ad quid enim tantus organorum adparatus, si nihil agunt, si se non movent, si non sentiunt, si non aliquid simile sibi procreant? & quod discrimen inter res vita præditas & illius expertes, si omnia soli Deo agenda relinquuntur? præterquam quod turpe semper visum fuerit Philosopho, ad *machinam* confugere, præsertim ubi alia caussa in promtu est.

§. II.

Anima Rationalis.

XXXI.

Ab ente cum suis affectionibus & proprietatibus considerato Metaphysica ad mentis humanæ naturam & originem ac dotes detegendas deflectit. Est autem mens humana, seu quod eadem res est, anima rationalis nobilissima quædam divinitatis imago, ac velut ejusdem particula, & spiritus omnis materiæ contagii expers:

Igneus est ollis vigor, & cælestis origo.

ait Poeta (c). Naturam illius & indolem optime produnt quatuor dotes, quibus insignitur, scilicet *spiritualitas*, *libertas*, *indivisibilitas* ac *immortalitas*. Graviter sane allucinatus est Tertullianus, qui eam subtile corpus huic crassiori, quod circumferimus, tanquam vaginæ immersum dixit. Spiritum esse animam satis declarat ejusdem operandi modus, qui teste Philosopho *essentiæ* mensura est: non enim solum a materia & sensibus maxime remota, uti Angelos, Deum &c. sed etiam futura, possibilia & generalia a singularibus abstracta intellectu scrutatur, voluntate autem spiritalia, quæ sensibus obnoxia non sunt, complectitur, nec ullo bono corporeo, sed solo Deo satiari se patitur, quæ omnia sicut rerum materia constantium sphæram excedunt, ita spiritibus propria sunt. Altera dos est libertas, qua non boni duntaxat & mali scientiam, sed etiam electionem Deus posuit in manu illius: hanc conceptis verbis S. Scriptura tribuit homini (d), *beatum* pronuntians eum, *qui potuit transgredi, & non est transgressus*. Crudelem sibi tyrannum fingunt Deum, qui hac facultate spoliant animam. Qua enim ratione æquissimus judex

(c) *Æneid.* 6. (d) *Eccles. cap.* 31.

dex ad gravissima æternaque supplicia damnare posset illum; quem ad ea, quibus hæc mereretur, vel nolentem cogeret; & quasi manu sua præcipitem ageret? ad quid leges, pœnarum metus, præmiorum spes, si fatali quadam necessitate ea quæ facimus, facere cogimur? Ex libertate oritur tertia dos animæ, scilicet indivisus existendi modus, quo ita se diffundit per universi corporis membra, ut partibus insit sine parte, & singulis totam se communicet: non crescit crescente corpore, non diminuto minuitur: in pygmæo tanta est, quanta in gigante: profecto si in partes divisa foret, vel libera non esset; vel peccare una, altera mereri, una damnari, altera fieri salva posset, id quod rectæ rationi simul ac fidei repugnat. Itaque nec cœlum plures soles, nec corpus plures animas ratione præditas capit. Quarta denique dos est animæ immortalitas: Epicurus eam *bullam* esse credebat, quæ corpus tantisper inflaret, brevi rumpenda & in auras evanitura. Hinc tritum illud Epicureorum: *Homo bulla* (e). Sed longe melius convenit animæ symbolum illud:

Non est mortale, quod opto.

Stul-

(e) *Greg. Nyssenus disp. de anima & resurrect.*

Stultitiæ notam certe non effugerent homines, qui delicias & bona fortunæ, vitæ commoda contemnunt, quin sanguinem profundunt, ubi fides & pietas exigit, si bonis præsentibus simul & futuris destituerentur, dum interea flagitiosissimi eadem cum probis sorte, communi nempe interitu miscendi forent. reclamat conscientiæ vermis, latrans ille cerberus, cui os nullo etiam bolo pinguissimo potest obstrui: reclamat inquam, & quid? Deum esse, qui bonos remuneratur, & malorum vindicem agit justissimum. Qua vero ratione talis esset, quum multi horrendas inter blasphemias sceleratam evomant animam, multi contra inter gravissimos dolores & virtutum heroicos actus præsenti vita fungantur, nisi altera in vita daret cuique suum, bene meritis præmia, sceleratis supplicia? igitur aliquo saltem tempore superstes erit anima: si autem aliquo, tunc omni; quum neque deus, qui conservet, nec corpus, quo tunc ad operandum non indiget, nec finis, qui semper adest cum objectis, quibus per intellectum & voluntatem se conjungat, nec quid contrarii, quod destruat, animæ extra corpus existenti interitum minitentur & inferant.

De-

Demonstratis his animæ dotibus Metaphysica porro in ejusdem originem inquirit. Aberrarunt heic toto cœlo veteres quidam sophi: Pythagoras & Euripides, qui animam

Partem divinæ mentis & haustus
Ætbereos dixere (f).

persuadentes sibi, deum per omnes mundi partes ita diffusum, ut homines & animalia ex eo velut fonte vitam & animam suam haurirent. Stoici & Priscillianistæ ac Manichæi teste D. Augustino & Hieronymo credebant animam hominis esse particulam ex ipsa Dei substantia decerptam. Platonis opinio fuit, animam hominis esse portionem vastissimæ illius animæ, qua mundus universus esset informatus; Errarunt etiam Origines, Tertullianus, Apollinaris & nonnulli Patres Ecclesiæ, existimantes animam rationalem ex parentibus in filios traduci, & cum semine humano transfundi. Verum missis Ethnicorum commentis a veritate prorsus alienum est, animas ea, qua dictum est, ratione propagari: hoc enim modo anima esset quid corporeum, non spiritus, qui utique in partes dividi nequit, ut a patre filio communicetur. *Illi*, ait

(f) *Virg. Georg. l. 4.*

ait S. Augustinus (g): *qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri.* Non minus absurda est Wolfii sententia, docentis animas omnium omnino hominum initio mundi simul fuisse a Deo conditas, easque singulas suis inclusas fuisse corpusculis, quæ jam tunc omnia a Deo ipso formata fuerunt (h). Verum hoc asserit absque ratione, absque authoritate: immo contra authoritatem Concilii Lateranensis V. dicentis (i): *Animam rationalem pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter esse multiplicabilem, multiplicatam & multiplicandam.* Quibus verbis satis clare docet, non initio simul omnes animas, sed successione quadam temporis creari atque infundi a Deo: contra rationem, quoniam sicut organis destructis & ad functiones vitales inutilibus anima separatur a corpore, ita illis ad vitæ munera obeunda idoneis creatur & unitur corpori, ut nihil dicam, omnia illa corpuscula organica, animasque iisdem inclusas

(g) *Epist. l.* 66. (h) *Psychol. rational.*
(i) *Sess.* VIII. *in Bulla Leon. X.*

ſas ſecundum hanc opinionem debuiſſe jam contineri in alterutro corpore primorum parentum noſtrorum. Vel ubi demum animulæ illæ ſuis concluſæ caveis interea habitaſſent?

Heic alia ſeſe prodit quæſtio, ſi a frivolis diſceptationibus abſtineatur, ſane utiliſſima, nempe de commercio inter mentem humanam & corpus intercedente, in quo tanquam vinculo & nexu arctiſſimo multi unionem conſtituunt hodie. Videmus certe una ex parte tamdiu corpus vivere, animamque cum illo velut eodem ſub tecto habitare, quamdiu partium fluidarum & ſolidarum mutuo ſe impellentium vitalis motus perſeverat; hoc autem ſublato animam excedere e corpore, omneque cemmercium tolli: ex altera vero iſtud conſiſtere in miro quodam nec ſatis explicando conſenſu utriusque partis, dum certæ mentis operationes cum certis quibusdam corporis motibus, & viciſſim conſpirant (quemadmodum alibi declaravimus, ubi de ſenſibus interioribus egimus) ita ut nunc mens a corpore, nunc corpus a mente in ſuis quodque functionibus excitetur atque juvetur. Hæc ut explicarent Carteſius & Malebranchius, ad *cauſas* quas vocant *occaſionales* confugerunt, docentes, ex occaſio-

ne imaginis cujusdam corporeæ, a re objecta excitatæ in cerebro, similem sed corporis expertem ideam in anima procreari; vicissim vero ex occasione certæ cujusdam ideæ in anima progenitæ affectionem quandam ac motum in corpore produci, ita tamen, ut neque mens neque corpus vim ullam aut fluxum in sese exerceant, sed solus deus sit, qui occasione factarum a foris impressionum, & ideas in anima, & in corpore motus efficiat. Wolfius vero Leibnitium auctorem secutus commercium hoc, de quo agimus, per *harmoniam præstabilitam* seu per seriem perceptionum in mente, ac motuum respondentium in corpore conatur explanare, ea tamen ratione, ut *perceptiones & appetitiones* (k) *in anima eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret: atque adeo anima eodem etiam, quo nunc modo sibi repræsentaret hoc universum, etiamsi mundus aspectabilis non existeret.* Idem sentit de corpore ejusque motibus ad mechanicas leges compositis: atque ita partes istæ mirum in modum inter se dissidentes, corpus scilicet & anima, neutra in serie operationum suarum ab altera reipsa penderet, sed per harmoniam duntaxat, mutuum

(k) In Psycholog. ration. §. 614.

tuumque consensum conspirarent. Verum utraque hæc opinio humanæ libertati est oppido infesta. Qua enim ratione stat integritas libertatis, si hominis mens omni virtute agendi exuatur, quemadmodum fit in hypothesi Cartesiana? aut si impedire nequeat harmoniam illam Leibnitianam atque consensum, utpote necessarium, quum nulla pars in serie suarum operationum pendeat ab altera? Quapropter commercium hoc in eo positum esse videtur, quod anima in corpus, & corpus agat in animam ita, ut immutata unius conditione, affectionibus, actionibusque alterius etiam conditio, affectiones & actiones immutentur, cum hac tamen animæ prærogativa, ut corpus functionibus suis famuletur menti, & licet juvare, inclinare, impellere, ac non raro secum abripere quasi nolentem possit in multis, anima tamen in iis, quas voluntarias & liberas adpellant, actionibus eidem dominetur, utens libertatis dono cœli benignitate sibi concesso. Hæc de anima corporis humani Domina: nunc præcipuæ illius facultates seu potentiæ, scilicet intellectus & voluntas, considerandæ veniunt, quas ut ab anima distinguerent, Thomistica schola necdum aliis persuasit, quum eadem sit, quæ intelli-

gat, eadem quæ velit. Eſt autem intellectus ea virtus animæ, qua res quasvis ſibi objectas percipit atque cognoſcit; qua vero id ratione fiat, non adeo promtum eſt definire. Carteſiani negant omnem humanæ menti vim rerum ideas in ſe formandi; ſed eas quaſi prima cognitionum ſemina initio ſtatim inditas eſſe credunt, ita tamen, ut a corporeis imaginibus, dum res quæpiam cognoſcitur, excitari debeant: contra vero Peripatetici, apud quos axioma civitate donatum eſt: *nihil eſſe in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*, ut ait Ariſtoteles (1), cognitionem ab exterioribus ſenſibus ortum habere ſuum arbitrantur, dum intellectus ab imagine cerebro impreſſa, quam phantaſma vocant, ſpeciem aliquam a materia abſtractam, & puriori luce perfuſam elicit, quæ ſpiritus naturam & indolem conſequatur. Sunt tamen, qui quasdam ideas innatas negari vix poſſe cenſent, non ab alio, quam a Deo ipſo in mente productas, quoniam nulla ſenſuum ope acquiri poſſe videntur, quemadmodum idea entis generatim ſpectati, entis infiniti &c. quorum ſpeciem haud alia præter Deum res continet. Verum & has primum naſci ex aliis rerum creatarum ideis fortaſſe melius affirmant alii.

(1) *Lib.* 3. *de anima.*

alii. Intellectum sequitur voluntas seu facultas animæ, qua aliquid appetimus vel aversamur. Ea enim est indoles humanæ mentis, ut bonum appetat & prosequatur, ac nulla ratione aversari ipsum queat, quatenus bonum est: contra malum ita aversetur, ut illud velle quatenus malum est, minime possit. Notum est S. Dionysii effatum: *Nemo intendens ad malum operatur*. Præcipuum voluntatis cimelium est libertas, quam duplicem illi tribuunt Philosophi, scilicet a *coactione*, & a *necessitate*. Prima facit, ut quod adtinet ad actiones proprias & internas eliciendas v. g. amorem, vel odium, nulla vis exterior eidem possit inferri; altera vero, ut immunis quoque sit ab omni vi interiore, diciturque *libertas electionis*, sive *liberum arbitrium*. Hinc licet allici possit aut absterreri voluntas propositis in unam vel utramque partem momentis, liberrimam tamen potestatem habet rerum eligendarum. Nihilominus pendet voluntas ab intellectu, ita ut nec velle quidquam nec nolle possimus, si non rei illius cognitio aliqua præcesserit, quam præviam dicunt. Unde intellectus voluntati facem præferre dicitur, secundum vulgare illud proloquium: *Nihil volitum, nisi præcognitum*, &: *ignoti nulla cupido*.

§. III.

§. III.

Spiritus, eorumque dotes.

XXXII.

Jam vero altius ascendit Metaphysica, & considerandis ab omni materiæ contagione liberis spiritibus se se applicat. Per hos intelliguntur Angeli tum boni, seu Genii cœlestes, tum mali seu dæmones. Existere autem Angelos seu Spiritus quosdam oculis nostris haud cernendos fides nos docet, quam debemus S. Scripturæ: quin etiam gentiles Philosophos ac Sapientes res hæc minime latuit. Nam frequens apud Ægyptios mentio *Geniorum* occurrit: non minus Plato, Aristoteles, Socrates, & alii sæpissime Geniorum & *Intelligentiarum* nomine Angelos insignivere, accepta utique a majoribus suis notitia, omnium ætatum testimoniis atque consensu comprobata. Originem eorum Moses quidem non prodidit, Concilium tamen Lateranense definivit, dum hunc in modum loquitur (m): *Creator omnium invisibilium, spiritualium & corporalium, sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis* (scilicet quo cœlum & terram creavit)

(m) *Decret. lib. I. cap. firmiter.*

vit) *utramque de nihilo condidit naturam spiritualem & corpoream, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam.* Quamvis autem Angelorum eadem sit natura, dignitas tamen diversa est: hinc Ecclesiæ Patres non sine Numinis afflatu triplicem inter eos Hierarchiam statuunt, supremam, mediam, & infimam; quarum quamlibet in tres denuo spirituum ordines seu choros distinguunt. In prima locum adsignant Seraphinis, Cherubinis & Thronis, Divinitatis ut ita dicam lateri semper adhærentibus: in altera Dominationibus, Virtutibus & Potestatibus, oracula supremi Regis excipientibus & aulam cœlestem regentibus: in tertia Principatibus, Archangelis & Angelis, populorum Præsides, arcanorum nuntios, & hominum custodes agentibus. Conditi autem sunt non in *termino* vitæ beatæ, ut loquitur Doctor Angelicus, sed in *via* ad illam, a qua tamen magna pars eorum unico superbiæ delicto excidit antesignano Lucifero, & in malos seu Cacodæmones migravit. Porro Angelorum ea est natura, ut sit substantia pure spiritualis secreta ab omni materia; creata tamen & completa, qua

ultima

ultima dote ab anima rationali differt; utpote quæ ad constituendam naturam integram & completam, nempe hominem, corpus exigit, quod intime sibi jungatur. Equidem fuerunt non pauca veterum Patrum Græcorum & Latinorum, qui existimarunt, Angelos esse veros spiritus, sed corporibus tenuissimis seu aëreis seu igneis veluti vestitos & involutos; quam opinionem e schola Platonis tunc famosissima hauserunt. Verum horum cœlestium Geniorum naturam non satis adhuc cognitam detexerunt posteriora secula, præsertim in Concilio Lateranensi, cujus paullo ante memini. Et ad quid purissimos spiritus istos corporea mole oneremus, quum omnes eorum functiones, quæ sunt intelligere, velle, ac movere, tali appendice haud quaquam indigeant? Intelligunt autem Angeli idearum ope a Deo infusarum primo, quo creati sunt momento, & quidem modo supra humanum intellectum longe perfectiore, non ratiocinando vel inferendo unum ex altero, sed velut intuendo cuncta penetrant, si cordis arcana excipias, quæ solis divinis oculis patent. Si quæras, qua ratione loquantur inter se, dum eo carent organo, quo nos homines utimur, respondet D. Thomas,

mas, hoc fieri *dirigendo conceptus suos*, ita ut dum unus propriam cogitationem alteri vult innotescere; statim in posterioris mente eadem cogitatio excitetur, quod quoties ex divinæ providentiæ ordine quodam fit, mutuum absque lingua sermonis commercium exercent. Quemadmodum vero Angeli intra temporis, ita & intra loci limites continentur; non quidem, ut eo instar corporum circumscribantur, sed ita definiantur, ut toti loco sint præsentes, simul & in singulis ejus partibus existant. Non minus ab uno in alium moventur locum; motus tamen iste neutiquam patitur eas leges, quas corpora observant. Quippe Angelus celerrime iter suum prosequitur, nec ullo corporis obice retardari potest, nec opus habet, ut per spatium intermedium transeat, si ab uno in alium locum sese transferat; sed sicuti anima, licet corpore, cui affixa est, non egrediatur, cogitatione tamen nunc in hoc mundi angulo, nunc in illo versatur, ita Angelus re ipsa sit ibi, ubi cogitat & vult esse præsens, mirabili sane non corporis, quo caret, sed mentis suæ motu, quod tamen intra potentiæ limitibus suis constrictæ sphæram intelligi oportet.

§. IV.

§. IV.

Deus Author naturæ.

XXXIII.

Denique ſupra ſe ipſam, licet viribus duntaxat naturæ reſpondentibus, elevata ad ipſum Deum tanquam primam rerum omnium cauſſam contemplandam ſeſe convertit Metaphyſica, ita ut iis ſolum ſe occupet, quæ de Deo lumine naturali poſſunt inveſtigari. Omnium primum eſt negotium, ut demonſtret contra Atheos, exiſtere Deum, id quod præſtat adductis in medium argumentis tum moralibus tum phyſicis, tum metaphyſicis, v. g. ex admirabili totius mundi fabrica, diſpoſitione ac ordine, quod opus utique non caſu coaluiſſe dici poteſt, ſed potentiſſimum ſapientiſſimumque Artificem ac Gubernatorem manifeſte prodit: ex ente neceſſario, & contingente ſeu ex indigentia exiſtentiæ, quam res omnes creatæ a ſe ipſis habere nequeunt; igitur ab alio non indigente, ſed per ſe exiſtente ac neceſſario: ex perpetuo conſtantique nationum ac populorum conſenſu, cui refragari non eſt niſi hominis mente capti: ex interiore animæ ac conſcientiæ teſtimonio, quod nos

cogit

cogit fupremum quemdam malorum vindicem timere, & bonorum largitorem colere, in extremo mortis periculo fosterem invocare. Nonnulli etiam cum Cartefio ex idea clara, diftincta, necesfaria & immutabili, quæ de ente fumme perfecto & illius exiftentia nobis eft indita ab ipfa natura, Deum demonftrari non fine omni fundamento exiftimant. Demonftrata vero Dei exiftentia, pofitaque illa Divinitatis notione, qua omnes Dei nomine intelligimus *Ens in omni genere fumme perfectum*, reliquæ perfectiones, quæ *Attributa* Dei folent adpellari, facile deducuntur: I. *Effe unum.* Nam ea entis fumme perfecti conditio eft, ut ab alio adæquari nequeat: vel fi adæquetur, fumme perfectum effe jam definat. Quapropter *Deos effe multos perinde eft, ac nullos dicere*, acute fcribit Athanafius (n): II. *Deum effe Spiritum, eumque fimpliciffimum*; quum enim fit ens in omni genere fumme perfectum, nequit effe corpus, utpote quod in multis deficere cernimus: neque compofitum. Nam *in quolibet genere*, ait Doctor Angelicus (n): *tanto aliquid eft nobilius, quanto fimplicius*: nobiliffimum igi-

(n) *Lib. contra Gentil.* 18.

igitur ens in omni genere, ſimpliciſſimum quoque oportet eſſe. III. *Omnia poſſe, omnia ſcire.* Si enim aliquid, quod non repugnat, facere non poſſet, hoc in genere non foret ſumme perfectus: ſi autem eſſet aliquid, quod neſciret, qua ratione illud poſſet perficere? IV. *Eſſe immenſum & æternum;* exigit enim ſumma perfectio ejus præſentiam in omni tam loco quam tempore, quum in omni loco & tempore omnia & in omnibus operetur. V. *Nec poſſe mutari.* Quum ens ſumme perfectum nec in melius nec in pejus mutari queat. VI. *Eſſe ſumme verum, ſumme bonum, juſtum, miſericordem, providum, infinitum* &c. quia in omni genere ſumme perfectum, atque ita nec ullis limitibus circumſcribendum. Cætera quæ Deum concernunt, Philoſophia Theologiæ, cui ſedulo famulatur, examinanda lubens relinquit: ipſa vero ſuos intra fines Logicæ nimirum, Phyſicæ ac Metaphycæ, quarum hucusque brevem ſynopſin dedimus ſe ſe continet. Supereſt modo nobiliſſima Philoſophiæ pars, ſcilicet *Ethica* ſeu *Moralis.* Dum enim priores ejusdem partes faciunt nos ſcientes; hæc ſapientes efficit, immo homines. Nam absque ea neque humanum commercium neque

que consortium firmo pede potest consistere. De hac igitur sit

CAPUT VII.

ETHICA SEU PHILOSOPHIA MORALIS.

§. I.

Ejus origo ac partitio.

XXXIV.

Quemadmodum Dialecticæ institutum est, ut intellectum dirigat ad veritatem indagandam, & consequendam, ita Ethicæ officium est, ut voluntatem ad morum honestatem sectandam comparandamque velut manu ducat. His enim duabus humanæ vitæ potentiis, intellectu & voluntate, rite conformatis prodibit opus numeris suis absolutum, scilicet *homo*, qui sine veritatis luce, sine honestate vitæ a brutis vix differt; certe nomen hominis tam sublime, ac supra res omnes inferiores dominans non meretur. Hoc inter Dialecticam Ethicamque discrimen simul ac comparationem

nem disertis verbis docuit Tullius (o): *Una pars Philosophiæ disserendi, altera vivendi.* Origo autem nobilissimæ hujus scientiæ merito ad Socratis ævum refertur: hic ubi præcedentes se Philosophos in rerum natura vestiganda, iisque quæ extra hominem sunt, cognoscendis & explicandis totos esse conspexit, ipse ad sui curam & culturam, moresque hominum formandos sese convertit incredibili studio, & fructu eo majore, quo latius postmodum propagato. *A Socrate*, inquit idem Tullius (p) *omnis, quæ est de vita & moribus, Philosophia manavit.* Et vero tantam labore isthoc suo admirationem plausumque apud omnes Vir iste consecutus est, ut familiare quoddam Numen adsistere ipsi existimarent: Plato *Genium* vocabat: Tertullianus (q) & Lactantius (r) dicebant verum fuisse *dæmonem* seu spiritum: Maximus Tyrius secretum quemdam *conscientiæ ductum* credebat, quo promoveretur ad bonum, & a malo avocaretur. Sunt qui Socratis ipsius commentum ad majorem sibi fidem faciendam fuisse censent, quemadmodum Legislatores quosdam, uti Numam Pompilium, Minoem

&

(o) *Lib. 5. de fin.* (p) *Lib. 3. Tuscul.*
(q) *In Apolog.* (r) *Lib. 2. Instit. c. 24.*

& Lycurgum arcana cum Diis aut Deabus commercia ad authoritatem legibus a se conditis conciliandam finxisse memoriæ proditum est. Certe Socrates philosophiam, in cœlis & elementis hucusque peregrinantem, illinc ethica sua scientia in domos & civitates abduxisse dictus est. Numeravit autem post se tot Instituti sui cultores, quot Philosophos, qui tunc relicta mundi hujus sterili contemplatione morum doctrinæ totis viribus se impenderunt. Inter hos eminuit Plato, qui ædificium a Socrate Magistro cœptum perfecisse visus est, dum per suas, quas immiscuit ideas, quamlibet virtutem ad eum, ad quem evehi potuit, supremum apicem deducere conatus est eo ipso tempore, quo caput erexerunt Sophistæ, qui in mores æque ac in rationem grassabantur, quales fuerunt omnium calculo Protagoras & Diogenes, quorum postremus mimum potius in regno morum, quam Magistrum se præbuit; nam paupertatem quam profitebatur, ingenti fastu, & moderationem animi maledicentia grandi corrupit, plusque illi nequitiæ in dolio, quam sapientiæ in cerebro fuit. *Cynicorum natio* ait Cicero (s) *inimica verecundiæ.* Verum Plato

(s) *Lib.* 1. *Offic.*

Plato hæc vitia emendavit in sua morali doctrina, cujus fundamentum firmissimum posuit opinionem de immortalitate animæ, quam ipse a Socrate, hic a Pythagora, iste ab Ægyptiis, hi ab Abrahamo per Ægyptum peregrinante hauserunt. Atque ex hoc fundamento alia facile principia mores concernentia deduxit, quibus virtutem potenter commendabat exspectatione præmii, & a vitio deterruit proposito pœnæ metu. *Plato multa dicit de immortalitate animorum, & reliqua post mortem tranquillitate bonorum, pœnis impiorum* (t).

Sat firmo pede consistere videri potuit Viri hujus Ethica, si non eam Stoicorum & Epicureorum secta magnis ausibus eversum ivisset. Stoici quidem duce ac capite Zenone teste Tullio (u): *Summum bonum nulla in re nisi in natura quærendum esse* docuerunt, ita ut beate vivere idem ipsis esset, ac secundum naturam vivere. Præterea eodem teste *placuit Stoicis omnia peccata esse paria:* tranquillitatem vero mentis in eo sitam esse credebant, si hæc ad bonum æque ac ad malum exterius se haberet, & in rebus omnibus seu prosperis seu adver-

(t) *Cicero l. 2. de Leg.* (u) *Quæst. Acad. l. 1. & l. 4.*

adverſis nullum quaſi ſenſus indicium, certe quemdam ſenſus ſtuporem præſe ferret, quam Græci Apathiam vocant:

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Ita regnum ſapientiæ neſcio quod, profecto imaginarium, ſibimetipſis condiderunt ſtoici, quos Zeno *mundi Dominos* adpellare conſuevit, eamque adfectarunt *ſapientiam, quam adhuc nemo mortalis eſt conſecutus.* Aliam inivere viam Epicurei, quorum Princeps Epicurus multa quidem ſevere, multa præclare dixit, patrocinium tamen voluptatis ſenſus moventis non raro ſuſcepiſſe, & ſine hac ſummum poſſe bonum obtineri negaſſe videtur: ſunt tamen, qui non corporis ſed animi ſe ipſo contenti voluptatem exoptaſſe illum cenſent. Id certum, ſequaces Epicuri ejus doctrina morali ad omne genus luxuriæ ac deliciarum fuiſſe abuſos. In qua re vero ſummum bonum conſiſteret, poſtea tot quæſtiones a Philoſophis excitatæ fuerunt, ut Varro teſte D. Auguſtino (x) fere ducentas & octoginta octo diverſas opiniones numerarit. Sic nobiliſſimam quæſtionem, & totius Ethices principium involverunt po-

(x) *Lib.* 19. *de Civit. Dei cap.* 1.

potius tenebris & erroribus, quam explicarunt. His omnibus longe saniorem Ethicam excoluit Aristoteles, uti ætate, ita etiam sapientia reliquos supergressus. Quippe Platonis principia & oeconomiam secutus (nam *idem finis erat utriusque, eadem rerum expetendarum partitio*) (y) scientiam hanc ope Analyticæ adeo sibi familiaris in methodum certam non minore ingenio quam industria redegit. In hac per notiones admodum claras optime distinxit non solum inter virtutem publicam & privatam, sed etiam inter prudentiam Principis in constituenda republica, & inter prudentiam patrisfamilias in gubernatione domus. Unde nata est divisio vulgata Ethicæ in *Ethicam* proprio nomine dictam, quæ privatim cujusque animum ac mores informat: in *Oeconomicen* seu quæ familiam componit: & in *Politicen*, quæ cætus congregationesque populorum regit.

Porro Ethicam suam Aristoteles decem libris (seu ad Nicomachum filium scriptis, seu ab ipso Nicomacho conscriptis) complectitur, statuendo finem ultimum, & media ad illum perveniendi. In primo dari aliquam beatitudinem, cujus homo capax est, multis argumentis docet: in reliquis octo

(y) *Cic. l. 1. Quæst. Acad.*

octo subsidia declarat, quibus homo ad illum promovetur: in ultimo demum ostendit, quod beatitudo hæc in actione nobilissima consistat, qua ad summum ac perfectissimum bonum sese convertat. Fateri oportet, in Aristotelis morali nihil deesse methodo doctrinæ; adeo ad leges analyticæ exacta est; multum vero pietati ac disciplinæ morum. Quippe non desunt viri magni, qui censent, Aristotelem ad popularem sensum se accommodasse, in hac vita duntaxat quæsiisse beatitudinem: alteri nihil reliquisse, quum tria statuat bonorum genera, animi, corporis & vitæ: docuisse virtutem in mediocritate positam, nempe inter duo extrema, ex quo consequitur, moderate quibusvis voluptatibus corporis uti licere: fortitudinem versari circa terribilia non quævis, sed in periculis bellorum, qua ratione nec Martyres, nec viri pro republica mortem obeuntes vere fortes dici possent: magnanimitatem sitam esse in cupiditate magnorum bonorum, quum potius in honoribus contemnendis quam expetendis conspiciendam se præbeat &c. Non minus Cicero, qui omnium ante se Philosophorum moralium doctrinam & opiniones scite refert, hac in re plane desultorius est, & plerorumque errorum participem se reddit, dum

modo hujus, modo illlius de virtutibus & vitiis, de fine bonorum & malorum, sententiis maxime contrariis adhærere videtur.

XXXV.

Sed quid mirum, allucinatos fuisse hoc in negotio Gentiles, utpote veræ fidei luce destitutos, qua deficiente virtutis potius umbram sectati sunt, quam ipsum corpus? Quid mirum, quod a fine scilicet summo bono multum aberrarint, quem non penitus, vel omnino non cognoverunt? adjumenta illum consequendi talia statuerint, quæ non ad eum ducunt, sed magis per avia & invia abducunt hominem a fine suo ultimo? ejusmodi principia stabilire conati sint, quæ cum principiis Christianismi, & prima morum regula pugnant? Certe omnis morum doctrina, quam excoluerunt Pagani, ubique aliquid grande, elatum & sublime, ne dicam sæpe vanum & superbum præsefert, dum Christiana per modestiæ, sinceritatis & proprii commodi contemptus professionem se commendabilem reddit. Et vero totum veteris hujus Philosophiæ moralis ædificium subtracto veluti fundamento subvertit Æterni Patris Verbum, & ipsa Veritas ac Sapientia Christus Jesus illo sermone, quem ad

disci-

discipulos in monte habuit, quove beatos pronunciavit pauperes spiritu, humiles, mites, misericordes, lugentes &c. Ex hoc fonte hauserunt admirabilem suam morum disciplinam Apostoli, quam quum Gentiles frustra imitari conarentur, in novos errores inciderunt, præsertim ostentationem & vanitatem. Severitas morum & tolerantia, qua Christiani utebantur, in Stoicorum sensa eos præcipites dabat. Sectabantur nomen virtutis, sed ad ipsam virtutem haud pervenere. Hanc melius docuit, & vivis characteribus expressit primorum Christianorum vita simplex adhuc & pura, nec obnoxia pravis affectionibus. Contempserunt enim dignitates, opes ac voluptates: ignoscebant facile inimicis, quin & diligebant eos, a quibus odio habebantur: nulla in iis fastus aut intemperantiæ nota, nulla ambitio: Humilis ubique vitæ conditionem sunt amplexi: charitatis vinculo tam arcto inter se colligabantur, ut non solum omnia bona corporis inter eos essent communia, sed etiam cor unum & anima una esse viderentur. Interea ob veræ fidei odium a sævientibus in se tyrannis & lictoribus non tam ad tormenta & necem rapiebantur, quam ipsi properabant plusquam heroica fortitudine, & e vita mortali crudelissimis

modis

modis exturbabantur læti, quia certi, coronam immortalem in altera se adepturos, & summo bono se perpetuo fruituros. Hæc quotidie spectabant Pagani, ignari qua e schola admirabilem hanc morum disciplinam hauserint Christiani: hinc nescio quibus præstigiis & incantationibus eorundem constantiam, fortitudinem, aliasque virtutes adscripsere. Nolim tamen hæc ita intelligi, ac si Veterum Philosophorum Ethica omnino foret superstitiosa, fallax, vana, & idciroo penitus contemnenda. Absit, multa eaque præclara morum principia naturæ lumen & pertinax, quod impendebant, studium ipsis detexit, quemadmodum in Platone ac Aristotele cuivis patet, quorum alter methodo construendæ, prior affectibus ciendis plurimum operæ dedit, & dum ille intellectum convincere, hic voluntatem expugnare conatus est. Monstret igitur morum Magister Christianus discipulis suis, leges quasdam honestatis admodum puras, & principia vivendi sublimia in illis Auctoribus contineri, ita ut intelligant, virtutem non esse merum nomen, neque officia religionis vitæque civilis esse inventa quædam humana & politicas artes ad multitudinem intra limites moderationis & obedientiæ continendam: sed simul osten-

ostendat, has omnes leges, morum præcepta, & hominis officia intra naturæ sinum esse inclusa, & dei tanquam naturæ authoris supra hominem molitionibus accenseri debere: præsertim vero adjungere ac immiscere studeat ea principia, quæ lex Evangelica suppeditat, eo magis sincera, quo e fonte puriori, doctrina scilicet ipsius Dei-Hominis, Apostolorum, primorumque Christianorum manarunt, & exemplis sublimissimis stabilita fuerunt. Qua in re nostris etiam temporibus & in media Evangelii luce haud desunt in Anglia, Gallia, Germania, qui denuo in Veterum quorundam errores non sane leves cæci prolabuntur, quum in scriptis librisque suis, illecebrarum linguæ ac styli plenis, doctrinam morum vendant atque propinent, maxime juvenibus, talem qua non tam boni sint, quam esse appareant, & corticem frangere discant, nunquam vero ad nucleum penetrent. Abstinentes enim a fundamentis veræ religionis vitæque christianæ, mortuam quandam virtutis effigiem, non ipsam virtutem exhibent, ad exteriorem speciem mores componere docent, incurii culturæ interioris; & artibus instruunt, quibus magis aliorum indolem explorare, quam nosmetipsos intime nosse liceat: denique rationibus illis supersedent,

&

& incitamentis ſublimibus ac ſupra naturam poſitis, quibus ad virtutem amplectendam, vitamque placitis divinis ac legibus chriſtianis conformandam impellamur.

§. II.

Ethica ſeu Monaſtica.

XXXVI.

Ut autem propius ad inſtitutum noſtrum accedamus, brevi calamo delineare juvat, qua methodo, quove ordine nobiliſſima hæc Philoſophiæ pars ſeu morum ſcientia in bene ordinatis Catholicorum ſcholis pertractari ſoleat. Atque imprimis meminiſſe oportet illius, de qua nuper dixi, hujus diſciplinæ diſtributionis in *Ethicam* ſeu *Monaſticam*, quæ ſui curam gerit, & mores hominis informat: in *Oeconomicam*, quæ familiæ regendæ modum tradit, & mutua conjugum, parentum, liberorum, Dominorum ac ſervorum erga ſe invicem officia exponit: in *Politicam* ſeu *Civilem*, quæ optimam rempublicam inſtruit, ejus recte gubernandæ rationem profert, eoque hominem dirigit, ut bono communi ac reipublicæ utilitati tanquam membrum corpori ſervire diſcat. Jam vero Ethica ſeu Monaſtica primo loco agit

agit de bono tum universim, tum speciatim considerato: bonum universim est id, quod omnes adpetunt, quoniam ubique ratio vel species saltem boni quæritur. quis enim non abhorret a malo, quod tanquam malum ipsi proponitur? Est autem bonum aliud supremi ordinis, quale solus Deus est: alia bona sunt inferioris, uti bona corporis, bona animi, & bona fortunæ. hæc vero dicuntur bona, quatenus ad finem supremum perducunt: secus si ab eo abducant, mala sunt. Porro quamvis fines peculiares sint sine fine, unicus tamen est, quem *ultimum* dicunt, & ad quem omnia referri debeant, uti probe agnovit ipse Aristoteles (z). Si enim nullus esset ultimus finis humanæ vitæ, appetentia illa, quam cujusvis menti naturæ author impressit, irrita foret & inanis, quum nunquam satiari, nec in re ulla quietem invenire posset: non in divitiis, uti existimant homines avari, quorum Deus est Mammon. hæ enim in vita plerumque sunt irritamenta malorum, & in comitatu suo habent curam servandi, augendi sitim, atque metum amittendi; in morte vero tanquam spolia ridentibus sæpe ac ingratis hæredibus, aliisque harpiis sunt reliquendæ: non in honoribus,

ut

(z) 1. *Ethic.* 2.

ut credunt ambitiosi; quippe horum ratio pendet ab opinione hominum semper lubrica & instabili, ut plurimum fallaci, ac in extremam non raro ignominiam desinunt, & cum vita veluti fumus igne subtracto evanescunt: non in potentia, ut sibi persuadent Politici quidam; utpote quæ nunquam est sine satellitio curarum ac timorum, protegit malos, bonis nocet, & non raro viam sternit Principi ad ruinam.

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Non in voluptatibus corporis, uti perperam jactant Epicurei; quoniam hæ sunt communes brutis, corpus enervant, rationem opprimunt, & in fœdissima quæque scelera præcipitant: non denique in ipsa virtute, quemadmodum multis explicant Stoici, quum virtus duntaxat via sit ad veram felicitatem, quæ proemium est virtutis, & hac præditi ad ulteriora sublimioraque bona sibi comparanda suspirent. Atque ex his facile patet, supremum ultimumque finem ac felicitatem numeris omnibus absolutam in solo Deo positam esse; hic enim quum summum bonum sit, velut in sinu suo omne bonum complectitur, & quidquid boni est,

in eo inveniri potest, nec quidquam mali admixtum habet, uti habent cuncta, quæ extra ipsum vagantur, bona: ex quo consequitur, solum Deum satiare posse appetitum rationalem, dicente Augustino: *Fecisti nos Domine ad te, & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Nunc post bonum hactenus explicatum plana via est ad mali naturam intelligendam. Hoc enim est, quod omnes fugiunt, si ut malum proponitur, & externa species boni, quam sæpe præsefert, velut larva detrahatur. Contingit enim non raro, ut malum vocetur bonum cum appendice: *bonum apparens.* Ut autem ratio mali penitius inspiciatur, malum est quod bono, & verum malum, quod summo bono opponitur: unde morbum, paupertatem, ignominiam, bellum, pestem, mortem mala dicimus, quatenus adversantur bono sanitatis, opulentiæ, honoris, affluentiæ, pacis, vitæ, quamvis hæc omnia inter bona recensenda sint, si ad summum bonum acquirendum nobis serviant; si vero ad hoc amittendum, malis merito adnumerentur. Quemadmodum igitur unicum est verum & summum bonum, scilicet Deus, ita unicum est verum & summum malum, nempe peccatum, quod solum Deo opponitur: reliqua enim ma-

la hic velle poteſt tanquam inſtrumenta, quibus homines ad ſe utpote ultimum finem adducat; peccatum autem nunquam velle poteſt, quod ab ultimo fine abducit, ſed permittere duntaxat, conſtituto ſemel humanæ libertatis regno.

Hæc de bono & malo univerſim ſpectato: jam de utroque ſpeciatim conſiderato agendum. Quamobrem Ethica virtutes morales proponit, quibus finis ille, de quo dixi, obtinetur, nec omittit vitia contraria, quibus perditur. Illarum plurimæ ſunt, quæ tamen ad quatuor principes reducuntur, quas *Cardinales* adpellant. Prima eſt *Prudentia*, & quidem merito ſuo, quoniam virtutes reliquæ omnes ſi extra prudentiæ fines evagantur, virtutes eſſe deſinunt, & potius in vitia degenerant. Hæc docet in omni occurrente negotio ductum rectæ rationis & honeſtatis ſequi, ita ut quæ cogitamus, loquimur vel agimus, fiant circumſpecte ac cum præmeditatione, ſic proſequendo bona, ut aſſequamur; mala fugiendo, ut evitemus. Sed melius intelligitur ejus indoles ex actionibus ſibi propriis, quales ſunt inquiſitio mediorum ad finem conducentium, eorundem delectus, & vis illa, quæ executioni mandet ea, quæ maturo judicio conſtituta

fuerunt; ad quæ opus est vel maxime memoria præteritorum, intelligentia præsentium, & providentia futurorum. Ejus filia præclarissima est moderatio judicii, quam *directionem* vocant; quandoque etiam epiikia seu æquitas, ad quam legislatoris mentem revocamus & benigne interpretamur. Late autem regnat Prudentia, extenditque se ad monastica circa sui ipsius regimen: ad œconomica circa bonum familiæ, ad politica circa Principis erga subditos, & subditorum erga Principem officia: ad Polemica circa militem in disciplina continendum, & Ducem cautum ac providum faciendum &c. Peccant vero contra virtutem hanc seu per defectum seu per excessum vecordes, præcipites, versipelles, inconstantes & negligentes &c. Proximum post prudentiam locum obtinet *Justitia*, cui elogium hoc tribuit Philosophus (a): *Quod sit præclarissima virtutum, & neque Hesperus neque Lucifer sit adeo admirabilis.* Hæc fines admodum latos habet, & distribuitur in legitimam seu *Legalem*, quæ partem ordinat ad totum, facitque ut membrum communitatis exequatur ea omnia, quæ ad bonum commune pertinent: in Com-

(a) *Lib.* 5. *Ethic.*

Commutantem seu *Commutativam*, qua pars parti se accomodat, neminem lædendo, & suum cuique tribuendo: in Distribuentem seu *Distributivam*, quæ totum indulget parti, seu honores, beneficia, munera & magistratus distribuendo pro cujusque meritis, seu in noxios & sceleratos animadvertendo, quod ultimum dum facit, vindicans sive *Vindicativa* proprio nomine adpellatur. Cætera amplum virtutum comitatum post se tradit, scilicet Religionem, qua debitum Deo cultum & honorem exhibemus: pietatem, qua parentes, patriam & municipes complectimur: observantiam erga majores vel ætate vel dignitate ac virtute præcellentes: gratitudinem, quam in bene de nobis meritos exercemus: liberalitatem, qua non solum nobis, sed & aliis prodesse studemus elargiendo facultates: veritatem, qua quis verbis & factis talem se demonstrat, qualis est, ita ut cor, os, & opus conspirent: amicitiam, quæ mutua est duorum vel plurium inter se benevolentia, certis legibus finita, quas qui transgreditur, amicitiæ vinculum solvit. Atque ex his virtutibus vitia Justitiæ opposita intelligere licet, nempe superstitionem, impietatem, irreverentiam, ingratum animum, prodi-

gali-

galitatem, avaritiam, fraudem & fallaciam, malam fidem &c. *Temperantia.* Hæc strictim accepta moderatur voluptatem, quæ gustu & tactu percipitur: late vero sumta cupiditates atque affectiones quasvis minus ordinatas temperat & refrenat, præsertim eas, quæ homini cum belluis communes sunt. Præclaras autem comites habet, quarum ministerio in omnes pravas cupiditates dominatur; nimirum abstinentiam & sobrietatem, queis oblectationem immoderationemque in cibo & potu castigat: internos animi motus ex ira vel vindicta ortos mansuetudine, externos vero corporis pudori adversantes aut omnino lascivos continentia coercet: affectiones alias extra orbitam saltantes lege necessitatis & honestatis circumscribit. Denique temperantia Eutrapeliam sibi familiarem habet, dum etiam in ludis, jocis & conversationibus moderatione utitur. Ultimo loco memoranda venit *Fortitudo*, quæ in animi firmitate consistit, ad ardua strenue suscipienda, & adversa fortiter sustinenda, ita ut nec indigno timore, nec audacia temeraria ab officio virtutis deflectamus, id quod Romani diverbio expresserunt: *Fortia agere & pati.* Hoc ut adsequatur, in subsidium vocat fidentiam & securitatem,

roborando mentem ſpe, ac excludendo curas inutiles: quodſi de rebus grandibus ac difficilibus ſuperandis agatur, magnanimitatem in ſubſidium vocat; patientia vero & æquanimitate velut ſcuto ſe tuetur in malis tolerandis & periculis ſubeundis: conſtantia demum ſuperat virtutis impedimenta, & opus ſemel rite cœptum coronat. Elucet autem fortitudo apud homines Chriſtianos potiſſimum in ultimo vitæ actu, dum mors, quam Ariſtoteles *terribiliſſimum omnium terribiliſſimorum* adpellat, aut fidei ac religionis, virtutisve amore contemnitur, aut æternæ vitæ conſequendæ ſpe cum magna animi tranquillitate excipitur. Hoſtes tamen non paucos numerat, ſcilicet ignaviam, animi abjectionem, temeritatem, levitatem, ac deſperationem, cum quibus perpetuo ipſi pugnandum eſt, ne ſuccumbat, aut in portu naufragium patiatur.

XXXVII.

Hæc de virtutibus & vitiis ad mores ſpectantibus. At inter hæc mediam veluti viam, tenent animi affectiones, quas Græci vocant πάθη, vulgus *paſſiones*. Equidem his virum ſapientem penitus vacare volentes Stoici conabantur introducere

ἀπα-

ἀπάθειαν seu mentis tranquillitatem, nullis affectuum motibus obnoxiam; sed severiore imperio, quam lapsa post primam sui originem humana natura patiatur: mitius sensere Platonici ac Peripatetici, cum Christianis asserentes, non posse hominem quantumvis sapientem his affectibus, tanquam communis naufragii reliquiis, omnino carere; circumfert enim secum corrupta natura, quocunque se vertat, peccati fomitem. Quare ad vitia revocari possunt *passiones*, si jugum ab illis imponi nobis patiamur: contra ad virtutes, si moderari eas noverimus, & rectæ rationi servire cogamus, uti præclare docet Augustinus, dum ait: *Cupiunt, timent, lætantur & boni & mali: sed illi bene, isti male; sicut hominibus seu recta seu perversa voluntas est.* Recenset autem undecim ejusmodi affectiones D. Thomas, sex quæ ad Facultatem appetentem seu partem *concupiscibilem*, quinque vero, quæ ad irascentem seu partem *irascibilem* pertinent. prioris generis sunt amor, odium, desiderium, fuga, gaudium & tristitia: posterioris autem spes, desperatio, timor, audacia, ira. Turbam hanc affectuum semper inquietam & intra nos tumultuantem melius sentimus, quam explicamus. De harum do-

minio illud dicere licet, quod apud Virgilium Neptunus de ventis, & fluctibus maris cecinit:

Quos ego! sed motos præstat componere fluctus.

Evellere una cum radice affectiones ad malum inclinantes, tam parum nobis fas est, quam parum naturam exuere:

Naturam furca expellas, tamen usque redibit.

Moderari tamen, atque intra honestatis limites eas cohibere possumus, quod Ethica nos docet, non illa quidem Gentilium Philosophorum, sed Christiana, & ad leges Evangelicas composita. Illi enim utut ingenio & prudentia præstantes nihilominus nunquam perfectam virtutem, sed virtutis umbram uti sectabantur, ita sunt adsecuti, cujus rei caussa videtur fuisse, quia quoties operam dabant coercendæ alicui perturbationi, non id faciebant solo amore virtutis, aut ut Deo id per lumen naturæ suggerenti obsecundarent, sed amore nimio sui, humanarumque laudum incitati stimulo. Unde quoties se offerebat materia ardua & difficilis, si ex ea sperabant redundare in se magnam apud homines laudem, admira-

tio-

tionem, opinionem virtutis, strenue se in ea etiam cum periculo sanitatis, fortunarum, & aliquando vitæ exercebant: si vero nulla spes honoris affulgebat, illico deserebant tanquam inutilem, quod non solum in Diogene Cynico, sed vel in Socrate, Platone & Catonibus Laertius, Theodoretus, & Lactantius observarunt, quorum postremus de his veterum sapientibus vere pronunciavit: *Fuisse Magistros virtutum, quibus ipsi carebant* (b); exemplisque in medium allatis docet, eos fuisse obstinatos, arrogantes, iracundos, vindictæ cupidos, & libidini deditos, qui sapientiæ externa quadam specie ac pallio sua obtexerint flagitia, domique fecerint, quod publice in foro & scholis reprehendebant. Si vero intueamur prodeuntes e schola Christi & Evangelii discipulos, Apostolos, Martyres, Anachoretas, aliosque viros sanctos, quin & fœminas lectissimas, quis est, qui non fateatur quod motus omnes seu corporis seu animi velut in potestate habuerint, se suamque naturam superarint, & omni virtutum genere fuerint exornati?

Recensitis virtutibus, vitiis & affectionibus, monstrat Ethica primam & proximam

(b) *Lib.* 3. *Divin. instit. cap.* 15.

mam actionum humanarum regulam. Dicuntur autem actiones humanæ, quæ ex deliberata voluntate procedunt; unde duo in genere morum principia nascuntur: *voluntarium* ut vocant, & *liberum.* Illud est, *cujus principium est*, secundum Aristotelis placitum, *ex agente cum cognitione finis;* atque huic adversatur tum violentia, tum ignorantia, quæ vinci nequit: duo hæc *voluntarium* omnino perimunt, metus vero minuit, non tollit; *concupiscentia* autem seu cupiditas potius facit & adjuvat. At liberum dicitur id, *quod positis omnibus prærequisitis esse potest vel non esse.* Nulla fere fuit ætas, qua non heterodoxi quidam libertatem hominis, præstantissimam illam animæ dotem cœlitus concessam, impugnarunt: at veritas Catholica & fides eo firmius semper stabilivit hoc dogma de libertate, non solum ea, quæ a coactione, sed etiam, quæ a necessitate immunis est. Hanc S. Scriptura, hanc Patres, hanc Concilia, hanc ipsa experientia & ratio palam faciunt. Ad quid enim monita, leges, vituperia, præcepta, supplicia, prœmia, si impetu quodam ac fatali necessitate agamur? *Si non voluntate male facimus, nemo objurgandus omnino, aut monendus: quibus sublatis*

Chri-

Christiana & disciplina omnis religionis auferatur necesse est, ait S. Augustinus (c). Jam vero actiones humanæ, sic, ut dixi, *voluntariæ* ac *liberæ* regulam certam exigunt, a qua si recedant, malæ: cui si conformentur, bonæ sunt. Hæc autem prima & suprema est non alia, nisi lex æterna Dei, quam Augustinus vocat *summam rationem, cui obtemperandum est.* Equidem præcipiuntur aliqua, quia honesta: alia prohibentur, quia inhonesta, atque ita naturæ rationali conveniunt vel non conveniunt; sed hanc ipsam naturam rationalem necesse est æterna lege moderari ab illo, qui eam condidit primus ac supremus omnium rerum opifex. Proxima vero regula est præscriptum seu *dictamen conscientiæ* ut adpellant, quod intra humanæ mentis sinum latet, dictatque voluntati, quid sit bonum, quidve malum. Quapropter prout voluntas se conformaverit vel non conformaverit huic regulæ ac normæ (si recte constituta sit) monstranti aliquid esse honestum vel inhonestum, actio quoque hominis honestatis vel inhonestatis nota insignietur.

§. III.

(c) *Lib. de ver. Relig. cap.* 14.

§. III.

Oeconomica.

XXXVIII.

Hucusque de Ethica propie dicta, seu Monastica, quæ mores hominum informat: sequitur Oeconomica, quæ familiæ regendæ modum, mutuaque officia explanat. Est autem familia consociatio quædam ex triplici hominum genere, scilicet conjugum, libererum (si qui sint) & servorum, ita ut regimen sit penes Patrem & Matrem familias: filii & filiæ subsint: his omnibus servi famulentur. Totius vero regiminis finis est felicitas privata seu domestica, quæ rem familiarem parando, paratam conservando, & conservatam augendo amplificandoque obtinetur. Ethica relictis aliis, quæ ad possessiones, acquisitiones, ædificationem, totiusque contubernii ordinationem pertinent, potissimum considerat officia mutua, quæ intercedunt inter conjuges, & inter hos ac liberos, & inter utrosque. Basis familiæ est conjugium a Deo ad generis humani propagationem institutum: inde veniunt legitimi liberi, & propter hos maxime famulatus cum reliquo adparatu œconomico. Firmissi-

mum

mum autem conjugii vinculum est mutuus amor & auxilium cum fidelitate ac patientia sociatum : quapropter mariti est sustentare ac protegere uxorem, honorifice de ea sentire ac loqui, verecunde cum illa vivere, reverentiam potius quam metum sui conciliare, vel certe extra orbitam saltantem suaviter coercere. Hinc sollicite monet Apostolus (d) : *Viri diligite uxores vestras - - qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit.* Itaque non ut ancillam, sed ut sociam habere debet; quippe e viri latere eductum fuisse mulierem recte observat Doctor Angelicus (e) ad socialis vitæ argumentum, ne si educta esset ex capite, viro dominari cuperet; si ex pedibus, eam vir servilem in modum aut nimis aspere tractaret. Contra vero uxoris est obedire marito : *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris*, ait idem Apostolus l. c. custodire domum, castimoniæ studere, labores domesticos dispensare, non alienis negotiis se immiscere, nec imitari hirundines loquacitate Sit igitur concordia inter utramque partem non violanda; uxor viro placere studeat, vir imperet, sed non cum despicientia, neque sit uxorius. Ita fiet, ut licet diversa

(d) *Ad Ephes.* 3. (e) *1. p. q. 92. a. 3.*

versa sint utriusque munia, in unum tamen finem nempe in bonum familiæ conspirent. Ubi vero conjuges incipiunt esse parentes, quod edita in lucem sobole contingit, commune illis officium est, sustentare prolem ac educare; Mater quidem recte faciet, si proprio infantem lacte nutriat, nec alienis admoveat uberibus, ut ille indolem & parentum amorem cum lacte sugat, nec vitiatos nutricis humores, ut sæpe fit, imbibat: Pater vero curas suas eo vertat, ut de necessariis ad vitam honeste sustentandam etiam in tempus futurum prospiciat, nec opes suas dilapidet, ut non tam liberos quam mendicabula post se relinquat. Prima tamen omnium solicitudo parentum in bonam educationem prolis feratur, tanquam optimum patrimonium, quod relinquere possunt: cum Tobia seniore verum Numinis supremi cultum, amorem, timoremque a teneris instillent, retrahant ab otio, lusu, protervia, petulantia, mendacio, aliisque vitiis huic ætati familiaribus; præsertim curent, quod Satyricus monet:

Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est.

Contra

Contra verbo & exemplo virtutes doceant Christianas, & a teneris pietati, reverentiæ, sacrisque religionis nostræ mysteriis assuefaciant, in disciplinis indoli ac ætati convenientibus instituant aut institui curent, atque in morum civilitate sedulo informent. Sit mater blanda, pater severus, ut ætas hæc in omnem partem flexilis media inter limites istos consistat, & recto velut vertice crescat in spem patriæ ac parentum solatium. Non minora sunt, quæ liberi genitoribus debent, quibus vitæ suæ post Deum authoribus ad nutum obsequantur, reverentiam exhibeant, amore illos genuino prosequantur, omneque genus officii, opis & auxilii præcipue senibus, aut eum morbo vel paupérie luctantibus præstent cum Tobia juniore. Familia per sobolem aucta vel etiam imminuta opus est pro domesticis sevitiis conduci famulos, & famulas, quum multa sint officia, quæ parentibus aut liberis non conveniant. Circumscribitur autem hæc societas tum imperio Heri, tum Servi obsequio. Hujus effigiem optimam vivis coloribus exprimit Apostolus (f) dum ait: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate*

(f) *Ad Ephes.* 6.

tate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino. Caveant igitur servi, ne sint harpaces, nugivendi, bibosi, rixosi; secus erunt, ut cum Plauto loquar, mastigiæ, verberones, flagriones, plagipatidæ, quos scilicet jure Heri verberibus, flagris, & plagis excipiant: sint potius boni & frugi, damnum familiæ avertant & bonum procurent, sint celeres in obsequiis cum dexteritate, obedientes cum reverentia, nec palam faciant, quæ intra domesticos parietes contineri oportet. Non minus Heri officium, quod servo debet, paucis explicat idem Apostolus (g): *Domini quod justum est & æquum, servis præstate.* Æquitas autem postulat, ut victus congruus præbeatur, reddaturque suo tempore pactum salarium, ut servitium exigant non severe nimis, & cum grandi supercilio, ut non canum loco habeant verbis & verberibus, nec contumeliarum tempestatem in eos effundant ad iram præcipites, ita ut Dominum suum colant potius famuli, quam metuant: denique ipsorum etiam moribus & saluti invigilent,

(g) *Ad Coloss.* 4.

lent, uti monet memoratus Apoſtolus (h): *Siquis autem ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

§. IV.

Politica.

XXXIX.

Oeconomica ſic rite conſtituta progrediamur ad Politicam ſeu civilem, quæ rempublicam optime inſtituit, ejusque gubernandæ rationem docet. Regimen politicum e geminis fontibus ortum eſt. Primum quidem, quum homo natura ſua ſit animal ſociale, expetit vitam vivere non in ſolitudine, ac ferarum inſtar circumvagari, ſed in communitate, ubi aliorum hominum ſocietate adjuvetur in iis, quæ ad vitam humanam pertinent pluribus indigentem, quibus comparandis unus atque ſolus ſibi non ſufficit. Deinde quia communitas hominum diu nequit ſubſiſtere ſe ſola, opus eſt poteſtate, quæ gubernet communitatem. Sunt enim in hac duo bona probe conſideranda: unum quidem ſingulare & privatum, de quo ſingu-

(h) *Ad Timot.* 5.

ſinguli providere ſibi poſſunt mutuo ſocietatis vinculo colligati; alterum commune ac publicum, in quod omnes conſpirare debent, quod absque facultate aliqua gubernante, quæ curam totius communitatis ac boni huic adhærentis gerat, fieri ſane non poteſt. Unde Sapiens ait (i): *Ubi non eſt gubernator, populus corruet.* Inde naſcitur Respublica, quæ aliud non eſt, quam conſociatio multarum familiarum ſub unum regimen, eo triplici conſilio, ut primo omnes vitam degere poſſint tranquillam, quivis agat ſua ſecure ac ordinatim, nec imbecillior opprimatur a potentiore: ſecundo, ut diverſi ſint ordines inter membra reipublicæ, alii præſint cum poteſtate ac jurisdictione, ſubſint alii cum ſubjectione & obſequio: tertio demum, ut certis legibus & inſtitutis omnes & ſinguli in unum corpus colligantur. Atque ut ab ultimo ſeu legibus initium ducam, ſine quibus gubernandi poteſtas inanis atque inermis foret, humana lex non minus quam naturalis & divina, poſtquam rite lata ac promulgata eſt, atque ad ſubditorum notitiam pervenit, eos obligat in foro, ut ajunt, tum externo, tum interno (niſi mere pœnam intentet) dummodo juſta ſit, ad quod quatuor ſunt,

quæ

(i) Proverb. XI.

quæ requiruntur, scilicet ut rationi sit consentanea, ut religioni conveniat, ut sit utilis, ut saluti prospiciat. *Omnis anima*, inquit Apostolus (k), *potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quamvis autem omnis potestas a Deo sit, hoc tamen non prohibet, quin facultas condendi leges humanas penes homines quosdam resideat. Ita Caput totius Ecclesiæ summus Pontifex, cui suas in terris vices demandavit Christus, facultatem habet amplissimam condendi leges quas vocant Ecclesiasticas, quibus parere tenetur tota Ecclesia: Civilium vero legum ferendarum potestas illi competit, qui supremum habet in communitate perfecta, qualis est civitas, regnum &c. jurisdictionem tum dirigentem tum cogentem. Hæc autem jurisdictio suprema in nullo homine singulari reperitur, quum quivis, si naturam spectes, nascatur liber, sed in ipso hominum communitatem perfectam constituentium cœtu: est enim corpus quoddam politicum, quod ubi coalescit, quamprimum quoque in eo potestas seipsum

(k) *Ad Rom.* 13.

ſum regendi exſurgit. Quodſi ejusmodi communitas certam regiminis formam arbitrio ſuo ſemel eligat, ac Principem Supremum vel Regem &c. conſtituat, jam in eum dominationem ac regiminis jura transfert, ſeque illi ſubjicit, & libertate priſtina exuit.

Quoniam autem (quod alterum caput erat) quidam in republica ſubſunt, præſunt alii, triplex forma regiminis prodit: harum infima eſt *Democratia*, quando ſcilicet plebs ipſa permutat inter ſe officia per vices, & in conventu quodam quilibet e populo jus habet ſuffragii, quale imperium multitudinis olim fuit in exordio Romanæ Reipublicæ. Proxima forma regiminis dicitur *Ariſtocratia*, ubi Optimates ſeu viri virtute ac dignitate cæteris præſtantes dominantur, & ad reipublicæ clavum ſedent. Suprema vero eſt *Monarchia*, nempe ſi rerum potitur unus & ſolus, communemque utilitatem curæ ſuæ concreditam habet; ſecus ſi privatum commodum publico præhabeat, in Tyrannicum imperium degenerat. Quænam vero ex his tribus formis gubernandi præſtantior ſit, adhuc ſub judiee lis eſt: regimen Monarchicum, ſi ejus indoles ſpectetur, cæteris anteferendum eſſe creditur, utpote quod in Eccleſia ſua re-

gen-

genda ipse Christus adhibuit, supremam potestatem conferens Capiti in omnia reliqua Ecclesiæ membra. Quoniam autem in Civili conditione difficile admodum est, tot ac tales invenire dotes, quales in Monarcha requiruntur, non desunt, qui autumant regimen ex Monarchico, Aristocratico & Democratico mixtum, seu Monarchiam reliquis duobus temperatam antecellere. Jam ut ad primam ordine inverso dotem reipublicæ progrediamur, ea est, ut omnes vitam degant tranquille, secure, ac ordinatim. Tranquillitas obtinetur per mutua civium inter se officia, præsertim amicitiæ cum æqualibus, cultus honoratioribus exhibiti, pietatis ac liberalitatis erga miseros & indigentes: Securitas per legum & justitiæ custodiam, fugam litium & seditionum, ac Magistratuum vigilantiam: Ordo autem præcipuum reipublicæ ornamentum simul ac fulcrum est. exigit hic, ut alii civium sint Patritii, oriundi claris prosapiis, alii Ephori seu Optimates cooptati in magistratum seu suffragiis seu subsortitione, alii plebeii, qui privata curent. Porro Magistratus conflatur ex Senatoribus publicæ saluti invigilantibus, Prætoribus, qui litigiis componendis sunt intenti, Ædilibus publicarum ædium cu-

ram gerentibus, & Tribunis plebis, quorum eſt populum in officio intra limites ſtatutorum continere. Horum autem munus eſt multiplex: inprimis ut videant, ne republica capiat quid detrimenti, quod fieret, ſi permitterent cives otio enervari, luxu aut veſtitu ſupra conditionem pretioſo prodigere patrimonium, quæſtum exercere malis artibus, commeſſationibus, & ganeis, aliisve inhoneſtamentis operam dare, aut ſi Magiſtratus ipſe in diſtribuendis publicis functionibus & officiis non tam meritis, quam privatis favoribus & commodis operam daret. Præterea incumbit illis, ſeveram legum rationem habere, ut ab omnibus ſancte obſerventur, nec impune violentur a quoquam: juſtitiam adminiſtrare celeriter ac ſapienter, & ſine partium ſtudio, maxime pupillis, viduis ac miſeris: providere communitati de adminiſtrandis neceſſariis, de commeatu aliisque utenſilibus per mercatores, proletarios, & omnis generis opifices. Denique quod inter primas curas eſſe debet, quam optima juventutis educatio conſtituenda eſt, ut per magiſtros, doctores, atque artifices, quantum fieri poteſt, ſelectiſſimos, in bonis artibus, literis & moribus ac religionis veræ dogmatibus ſolertiſſime erudiantur,

tur, e qua re salus vel interitus reipublicæ potissimum pendet. Atque hæc sunt, quæ Philosophia Moralis, scientia sane pulcherrima utilissimaque, in triplici Ethica, scilicet proprie tali, Oeconomica & Politica ampliore stylo ac sermone ingenuis cultoribus suis consideranda proponit, & latissime explicat.

CAPUT VIII.

CRITICE PHILOSOPHICA.

§. I.

Temperies Philosophica.

XL.

Lustrata satis longo itinere universæ Philosophiæ Oeconomia, qua Logicam, Physicam, Metaphysicam atque Ethicam complectitur, operæ pretium esse videtur, ut in tanta, quæ modo ubique terrarum grassatur, opinandi ac philosophandi libertate, dicam an libidine, pauca quædam, quæ majoris momenti sunt, ad sanæ Critices trutinam expendamus, certamque temperiem Philoso-

losophicam constituamus. Atque inprimis vela facienti per mare Philosophicum tam vastum, quam periculis plenum, geminos evitari debere scopulos contendo. Sunt nostris etiam temporibus, qui nimium tribuunt authoritati Veterum; sunt alii, qui nihil, vel certe parum. Primi Julianum Apostatam imitari videntur, qui Christi doctrinam tunc satis adhuc novam respuere non dubitavit, ne dimittere eam, quæ Phythagoræ ac Socratis olim erat, cogeretur, de quo Ammianus Marcellinus vere pronunciavit: *Loquax Talpa, purpurata simia, literio Græcus, homo brevis, Idolianus.* Si quid in medium proferatur, quod Peripatum non sapiat, quodque placitis Aristotelicis, quibus a teneris imbuti sunt, adversari ipsi quidem autumant continuo insurgunt caperata fronte ac clamitant, non secus ac si Hannibal ante portas: totam susdeque verti Philosophiam, periclitari Theologiam, & ipsius veræ fidei dogmata labefactari. Sed ut cætera taceam, quis eorum vadem se nobis præbet, veram Aristotelis doctrinam atque sensum doctrinæ Aristotelicæ (idem esto judicium de reliquis antiquis Philosoph s) penes se velut custodes sacrarii Philosophici esse? Multa certe Aristoteles

scri-

scripsit obscure admodum, non pauca, quæ diversis in libris inter se pugnare videntur, plura interpretes latini vel corruperunt, vel privatis suis opinionibus, prout primus quisque occupabat, servire coegerunt, maxime in rebus physicis. Quod autem omnium in Aristotelis seu intelligentia seu interpretatione difficillimum est, quis dictatoria potestate ausit pronunciare de plurimis, quæ idem incredibili labore ac studio indagat, atque explanat, num de his in sensu metaphyco vel potius physico locutus fuerit? profecto si hoc ultimum dicas, mundi latissime patentis universitas innumeris reculis, modulis, accidentibus & qualitatibus *realiter* ut ajunt Philosophi a *substantia* distinctis, nunc recens natis, nunc brevissimo tempore rursus interituris, referta erit, quæ alii non nisi corporum affectiones & modos esse volunt *formaliter* solum, & per intellectum distinctos a substantia. Exemplum habes in *duritie* & *mollitie corporis*, in *humiditate*, *siccitate*, in *magnitudine*, *superficie*, *mole* ac *figura*, fortassis etiam in *frigore* atque *calore* &c. Ausim dicere, *substantiva*, ut adpellant Grammatici, multos veterum Philosophorum, qui Aristotelis vestigia nimis presso pede sequebantur, vehementer de-

cepisse, credentes omnia hæc, quæ ille doctrinæ ac explicationis gratia non nisi cogitatione sua, sed admirabili quodam ordine divisit & discriminavit, re ipsa ab *adjectivis* esse distincta, nec tam affectiones rerum, quam reculas esse intime illis insitas, & ab iis omni loco omni tempore & sine fine progenitas. Illud dolendum, quod res hæc nulla satis ingenii acu tangenda tot retro seculis clamores inconditos, & lites nunquam finiendas in scholas nobilissimas invexerit, ac si non essent alia plurima gravioraque naturæ arcana, juvenum virorumque ingeniis, studio, & honestissimis exercitationibus digna, quæ utilitatem simul adferant, ingenium acuant, & disputationibus eruditis, quæ nunquam abesse debent, copiosam materiam præbeant. Mali autem hujus origo profluxit a nimium servili obsequio uni alterive Authori jurato. Ita Peripatus Aristotelem, Gassendus & Cartesius Democritum & Epicurum, alii ipsum Gassendum, Cartesium, Wolfium velut super aram statuentes, ingenti sectatorum turba stipati rempublicam philosophicam magnis motibus concusserunt. Accedit & aliud malum, scilicet quod Præceptores unius vel alterius authoritati mordicus inhærentes

eam-

eandem ingenii pertinaciam discipulorum animis velut cum lacte instillent; unde nascuntur præjudicatæ opiniones, longissima serie integras scholas late inficientes, & ex his continua bella & lites, nemine etiam post graves allucinationes ejusmodi Authorum probe detectas cedere, quovis alteri resistere semper parato; quod jam pridem animadvertit Cicero (l) dum ait, *obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui docent.* Parum dico, qui hac zelotypia laborant, plerumque seu fastidiunt, seu dedignantur adversariorum doctrinam & caussæ momenta intimius & seposito partium studio expendere, sed ante tabulas rite inspectas jam ferunt sententiam, damnantque quod non intelligunt: blasphemant, quod ignorant.

Alia ex parte, ut dixi, sunt, qui parum vel nihil tribuunt authoritati, nec limites aut fines ingenio suo ac opinionibus singularibus poni patiuntur. Imperium Monarchicum in Philosophia non ferunt, sed Democraticum amplexantur, ubi quivis prout lubet, sentire ac dominari potest. Equidem lues hæc primis jam Philosophiæ nascentis temporibus grassari cœpit. Plato, Pythagoras, Ocel-

lus,

(l) *De nat. Deor.*

lus, Timæus, Leucippus, Parmenides, Hippocrates, Melissus, Democritus, Empedocles, Anaxagoras &c. quivis opiniones suas quasi merces venum exposuit, & famam simul ac clientelam aucupatus est: postea vero Philosophiæ solium ac sceptrum fere solus Aristoteles occupavit, nec sine quodam merito suo. Nam uti Josephus Scaliger, magni nominis Criticus, acute observat, plurimi Philosophorum levibus ducti rationibus dicunt ea, quæ ipsis placent: solus Aristoteles materiam, quam tractandam proposuit sibi, exhausit: hanc enim præparavit destruendo id, quod alii perperam docuerunt: hinc Physicam suam aggressus est velut historica quadam narratione, recensendo omnia veterum & præcedentium Philosophorum sensa, quæ probe ponderata deinceps acriter refellit. Verum ultimis hisce seculis plerique Novatores junctis quasi signis in ipsum Aristotelem insurrexerunt, & omni propemodum authoritate in scholis exuere tentarunt: sua vero seu commenta, seu placita miris modis ac mutuis obsequiis extulerunt plaudentes sibi solis, alios omnes grandi supercilio despicientes. Si rem ut est fateri velimus, constantia, firmitas animi ac ingenii, atque studiorum

per-

pertinacia nos ævo noſtro deſtituit, quibus tædium laboris, nauſea veteris doctrinæ, cupiditas multa & nova ſciendi ſine delectu, ſine ſolida methodo, ſine longiori meditatione ac ruminatione ſucceſſerunt: nimirum cibos amamus nonniſi palato ſapidos, eosque tanto numero ingerimus, ut iis concoquendis ſtomachus par non ſit, delectationem quærentes, de juſto nutrimento parum ſoliciti. Hinc volumina veterum Authorum averſamur, in quibus latens veritas per ambages & prolixum ſtudium quærenda eſt: contra Recentiorum libros & ſcholia fugacibus oculis volvimus atque revolvimus, veluti prædæ inhiantes ſingulari cuidam ac novæ opinioni, aut ſyſtemati, quod multis fucatum ratiunculis dum ſpeciem veritatis præbet, ab ea longiſſime recedit. Inde fit, ut graviores ſeverioresque diſciplinæ, quæ poſt Philoſophiam ſunt exantlandæ, puta Jus utrumque, aut Medicina vel Theologia, bono publico ac religioni adeo neceſſariæ, eadem qua Philoſophia levitate percurrantur, cum inſigni tribunalium, cauſſarum forenſium, humanæ vitæ, ſanitatis, & morum ac fidei doctrinæ diſpendio. Nam ejusmodi quos dixi homines, qui Philoſophicum Nilum duntaxat lambebant, non aſſueti

rerum

rerum momentis rite ponderandis aut discernendis, obvia quavis seu ratione seu conjectura, etiam leviuscula, etiam sophistica in transversum acti caussas male dijudicabunt, morbis quorum fontes ipnorant, non tam medebuntur, quam suppetias ferent; & authoritate contempta sibi præsidentes commissas curæ suæ animas in gravissimos errores præcipitabunt. Quod autem maxime dolendum est, experimur his temporibus quotidie; ejusmodi male tinctos, quos sciolos adpellant, si oris volubilitas, sermonis adfectatâ mollities & audax crisis accedat, aliis vere doctis, in præstantium authorum monumentis probe versatis, & omni scientiarum genere imbutis non solum ab ejusdem furfuris hominibus non posthaberi, sed etiam præferri. Ita decipi ac decipere gaudemus. Certe antiqua Philosophia profunda fuit in suis cogitatis, indefessa in veritatis indagine, firmaque in ratiocinationibus & placitis suis: nova vero in sola naturæ curiosa consideratione occupatur, nec ultra superficiem progreditur: ubique festinat, nec ætas nec tempus idoneum indulgetur: exulat passim invicta methodus scholastica, tantaque rerum addiscendarum farrago objicitur, ut memoria potius quam

intellectus excolatur, & doctissimus ille sit, non qui plura scit, sed qui plura narrare novit. Antiqua Philosophia reipublicæ tum sacræ tum profanæ omni tempore suppeditavit Legislatores, Consiliarios, Jurisconsultos, Theologos, quorum libri scientia, eruditione, doctrina pleni sunt, & quorum oracula etiamnum a sapientibus adorantur: contra nova literarium ac politicum regnum levidensibus, vagis, male criticis, & plusquam oportet sapientibus ingeniis ut plurimum implet, qui contempta Majorum disciplina bonum publicum turbant magis quam curant. Quare nostris etiam temporibus nonnemo rerum peritissimus pronunciare non dubitavit: *bonum judicium primorum Philosophorum toti arti & toti continnitati Novorum esse præferendum*; nisi forte malumus, antiquam nova sobrie ac prudenter temperatam amplecti, conando detegere novas veritates absque neglectu veterum, nec destruendo res exploratas ad stabilienda minus certa, tuendoque libertatem, sed rationis usum non perdendo: verbo, merita seu Veterum seu Novorum probe ponderando. Et ne quis istud temere a me dictum existimet, novas opiniones atque sententias non esse passim contemnendas satis do-

docent omnes bonarum artium cultores, qui antiquitati bellum indixerunt, & inventis ſuis de literaria republica immortaliter meriti ſunt. Certe in palæſtra Eloquentiæ Tullius veterum Oratorum vitia palam fecit: in re poetica Mantuanus ab antiquorum vatum moribus & carmine procul receſſit: in arte Medica rejectis antecedentium Medicorum aphorismis Hippocrates & Galenus novos ſanioresque induxerunt: in Matheſi Ptolemæus & Alphonſus Rex plures Aſtrologorum quam aſtrorum errores detexerunt: in Ethicis aliam omnino a majoribus doctrinæ viam iniit Plato: in Phyſicis Ariſtoteles fere omnium priorum Philoſophorum opiniones ac methodum eliminavit: in Theologia Magiſter ſententiarum ac D. Thomas innumeras inanium & falſorum dogmatum tenebras nova luce veritatis diſpulerunt. Modus igitur tenendus eſt, & grata temperies, nec ſine delectu ac prudenti conſilio quidquam novandum, præſertim a junioribus, quibus plerumque ad nova pruniunt aures & dentes:

Pluraque canities novit, quam læta juventus (m).

Cenſoria opus eſt virgula, optandumque, ut Sinarum mos in regnum quoque

(m) *Nazianz.* in carmin. *Nicobuli.*

que literarium introducatur. Gens hæc Monarchico assueta imperio, & si quæ alia politicis artibus adprime dedita, quavis in urbe *Præfectos Novitatum*, ut vocant, habet, quorum munus est, quidquid novi contingit in regno, ad Regis tribunal & arbitrium deferre, etiam exigui & pene nullius momenti, quale illud fuit, quo Principem accusarunt, quod contra morem gentis comam raderet: neque delictum hoc impune abiit. Quapropter ut vera Philosophia sarta tectaque servetur, ipsi Philosophantes in officio suo sunt continendi. Est enim reperire quosdam, qui in eas tantummodo res ingenii aciem intendunt, quæ manibus palpari, tractarique possunt, & quidquid sub sensum oculorum cadit, ac vulgi adprobationem conciliat, ambabus manibus arripiunt, parum soliciti, ut ipsa rerum principia investigent, per quæ ad veritatem velut manuducantur. *Horum ratio & disciplina*, inquit eruditissimus Possevinus (n) *tantam adfert rebus cladem ac ruinam, ut nulla unquam pestis major hominum vitam invaserit.* Nam lectores suos & discipulos per tot amba-

ges

(n) *Tract. 2. de Platon. Philosophia cap. 3.*

ges & anfractus inutilium quæstionum ac ratiocinationum circumducunt, ut nullibi firmum pedem figere ipsis liceat, nec ad illorum, quæ proponunt, veram intelligentiam pervenire. Longe melius sapiunt illi Philosophi, qui quæ oculis perspexere, ac curiosius contemplati sunt, ad interius conclave mentis secum abducunt, nec *ad parvulam sensuum cynosuram* dirigunt cogitata sua, sed ad clarissimos rationis septentriones convertunt, & caussam ex caussa repetentes, nectentesque non prius quiescunt, quam ad extremam rerum caussam, ex qua omnia profluunt, solidis nixi principiis per occultas licet & obscuras vias pertingant. Atque ab his quidem Philosophis, ait memoratus Possevinus, magnas & immensas adipiscimus in vita utilitates.

§. II.

Ratio disceptandi, & norma tradendi hanc disciplinam.

XLI.

Temperie Philosophica sic constituta, ad crisin revocanda venit tum ratio disceptandi, tum norma tradendi hanc disciplinam. Effatum est sapientissimi ac in

in ſcientiis verſatiſſimi Viri, ſacra purpura insignis, Cajetani, quo de ſe ipſo pronunciare non dubitavit: *Circulus & calamus me doctum fecerunt.* Nempe circulus, ut vocant Philoſophi, quando velut in orbem conſiſtentes diſcipuli nunc opponendo nunc reſpondendo exerceri ſolent: & calamus, quo Magiſtri vel Doctoris ſcripta & explicata excipiunt. Ad primum quod adtinet, crebra diſputatio de rebus vel in utramque partem dubiis, vel necdum ſat cognitis tam neceſſaria eſt Philoſopho, quam militi armorum exercitatio & velitatio. Cujus rei duplex cauſſa eſt; primum quidem humanæ mentis caligo, quæ facit, ut veritatem non uti aquilæ ſolem intueri valeamus: neque iſta plerumque explicatam nobis frontem indulget, ſed ultro citroque longiore diſputationis ſerie primum ſe ſe evolvit. Quot & quanta non ſunt, quæ aut primo obtutu aut ſolitaria etiam ac diuturniore meditatione certa vel veroſimillima pronunciamus; quodſi vero ſeriæ diſputationi ſubjiciuntur, dubia vel omnino falſa eſſe deprehendimus? Si prima fronte exercitum bene paſtum, & veſtibus armisque ad omnem elegantiam inſtructum videas, invictum eſſe credes: at ubi ex adverſa parte pe ſpedi, & vir

viro committitur, ubi æquo marte aliquamdiu certatum fuerit, victum sæpe dices, quem victorem credidisti. Si omne aliud hoc in negotio abesset, illud sufficeret, quod disputando non solum doctiores, verum etiam cautiores in proferendis opinionibus & placitis nostris efficiamur. Altera caussa est, quod ad veritatis arcem nonnisi per ambages & mæandros satis multos aditus pateat. Statuitur thesis: propugnantur a Petro: sed Paulus negat: producit ille argumenta sua, sed hic distinguit, vel omnino inficiatur: instat ille rursus, urget: refellit alter, vel propria in adversarium arma retorquet: tandem post varios assultus arx expugnatur, & in victoriæ præmium cedit veritas tantis quæsita studiis. Quod si dubia, ut non raro contingit, palma sit, illud saltem emolumenti percipimus, ut discamus docte dubitare. Præterea expediti promtique simus disputando ad firmandas sententias nostras, vel alienas opiniones refutandas. Hæc dos si absit, quis est, qui non videat omnem jacere Philosophiam, immo scientiam omnem? Quis enim vel afferat aliquid, vel neget prudenter, si rationem asserti sui afferre non possit, aut si nequeat reddere caussam, cur neget? su-

pre-

premorum Principum est, non Philosophorum, dicere:

Sic volo, sic jubeo: stat pro ratione voluntas.

Veritas quantumvis nuda sit & aperta; fere nunquam sine comitatu disceptationis & ratiocinationis in publicum prodit. Dicat unus, solem circa terram moveri, alter terram circumire solem; si neuter habeat, quod opponat alteri, neuter quo effatum suum stabiliat, hærebunt ambo, nec quid sentiant, quid credant, habebunt. Quis suadere poterit, ne dicam, persuadere, quis decidere caussas, quis convincere partem adversam, si non calleat artem disputandi, seu argumentis probandi firmandique asserta sua, aliena vero dissolvendi ac enervandi? Sola fides est, quæ cæcum poscit adsentiendi obsequium: nulla scientia sine dissensu. Demum disputatio est cos ille humani ingenii, quo excitatur vehementer, & acuitur. ipse fervor disputandi multa non raro suggerit seu ad veritatem propugnandam, seu ad falsitatem demonstrandam, quæ languida meditatio nunquam subministrasset; quæque alias in mentem nunquam venissent: dum cedere statim nolumus adversario, nec arena excedere,

intendimus vires omnes, omnemque tentamus vincendi aut certe non succumbendi aleam, & quod de furore dicitur:

Furor arma ministrat.

Quis non jam indignetur vehementer illi sophorum plebi, quæ hisce temporibus contra veterum morem & institutum prudentissimum fere omne disputationis genus e scholis & cathedris eliminare contendunt? Sunt, qui enthymemata, syllogismos tanquam pueriles nænias rident, & indignas, ut in virorum doctorum consessu proferantur, quum tamen omni ævo, in omnibus Academiis & exedris, in ipsis, qui de rebus ad scholam pertinentibus agunt, voluminibus eruditissimorum hominum tanquam invicta ad disputandum, convincendum, & veritatem eruendam instrumenta fuerint semper habita & in usum deducta. Heterodoxorum futilis & toties profligata hæc querela nunquam non fuit; probe cognoscentium, quanta falsis dogmatibus suis strages hac disputandi methodo inferatur: nunc etiam, quod dolendum, ad male feriatos Orthodoxos transiit, vel perverso quodam literarum sublimiorum gustu, vel imperitia tractandi ejusmodi armorum genus, vel mera novandi libidine laboran-

rantes. Alia ſane mens fuit Sapientiſſimorum Principum, tum Catholicorum tum Acatholicorum, qui anno Chriſti 1601. colloquio Ratisbonæ celebrato præſidebant. In hoc Conlocutoribus (ut vocabant) lata lex fuit, *argumenta ſyllogismo, vel alia in Logicis probata argumentandi forma includere.* Acatholicis vero Theologis omnem ſcholaſticorum formam procul ablegantibus, lex eadem renovata fuit in hæc verba: *ſingula argumenta in forma dialectica ſingulatim & ſeorſim diſcutiantur, & uno diſſcuſſo ad alterum modo jam prædicto procedatur.* Sunt etiam, qui in publicis concertationibus poſt duos tresve ſyllogiſmos velut levi brachio excuſſos ad longas ultro citroque diſſertationes ſeu narrationes hiſtoricas etiam voce patria, Italica, Gallica, dilabuntur, qua re quidem memoriæ vim & ſermonis elegantiam palam faciunt, vix ullum tamen ſolidæ doctrinæ ſpecimen præbent, non ſine neglectu finis, quem diſputationibus ſuis Majores noſtri præfixerunt: qui plus garrivit, plus laudis obtinet, ac denique totus Actus adplauſu finitur. Nolim autem heic vitia diſſimulare, quibus non pauci nobiliſſimum diſputandi opus deturpant, & exoſum reddunt. Aliqui de rebus ſæ-

pe frivolis & inutilibus, quas quæstiones de nomine vocamus, quasi pro aris & focis certant: alii mirabilibus terminis, phrasibus, ac *distinctionibus* utuntur, quas nec ipsi intelligunt, & quibus quæ satis jam obscura sunt, adhuc reddunt obscuriora. Quidam ad ravim usque clamitant, & velut œstro perciti nullum altercandi finem faciunt; modo qui præsidet, modo qui defendit, modo qui argumentatur, modo omnes simul clamoribus aulam infestant, & velut campanarum in turri una pulsarum strepitu aures fatigant: nonnulli ipsás urbanitatis leges disceptandi rusticitate egrediuntur, eorumque argumenta & responsa non raro in convicia desinunt, eo turpiora, quo minus inter homines doctos & bene moratos ejuscemodi charites locum habere oporteret. Ajebat Joannes Picus Mirandulanus, homo ad miraculum doctus (o), eas disputationes prodesse, quæ placido animo ad vestigandam perquirendamque veritatem privatis in locis exercebantur; & illas obesse plurimum, quæ in propatulo fiebant ad captandam vulgi auram, atque imperitorum ad plausum, vixque fieri posse omnino censebat, ut honoris cupiditate, qua frontivagi illi disputatores exagitantur, inseparabili vinculo

(o) *In vita.*

culo annexum non sit illius, cum quo disputatur, desiderium infamiæ confusionisque, lethale vulnus animæ, venenumque charitatis mortiferum. Hæc utique abesse debent longissime a tam gravi negotio: rationibus agendum, quæ fortiter simul & clare proponantur, eademque claritate ac energia refellantur: relinquatur utrique parti spatium loquendi, explicandique tum argumenta tum responsa; meminerit Præses se Doctorem esse: defendens discipulum: & opponens veritatis in lucem protrahendæ potius, quam victoriæ obtinendæ cupidum se commonstret. Ubi satis in hanc & illam partem controversa quæstio ventilata fuerit, facto silentio, qui præsidet mentem suam atque sententiam brevi ac nitida anacephalæosi aperiat, qua percepta Auditores judicare possint, quid sibi sentiendum sit, quamque opinionem amplecti malint. Ista si fiant, innocentissima, utilissima & decentissima res erit etiam palam disputare, præsertim si honoratiores adsint Hospites, qui nunquam abesse deberent, tum ut honestissimam e rebus, quas & ipsi quondam tractabant, voluptatem capiant, tum ut præsentia sua Literatorum consessum cohonestent, ac eruditas hujuscemodi concertationes toti reipublicæ ac patriæ in pretio

esse demonstrent. Hæc de Cajetani circulo quem dixi:

XLII.

Jam ad calamum, nempe alterum instrumentum, quo se doctum evasisse professus est magnus ille Cajetanus. Quæstio heic occurrit multis studiis jam olim agitata: scilicet an præstet in Philosophica republica viva voce, an scripto excolere ingenia adolescentum. Juvat in utramque partem audire Duumviros omni scientiarum genere instructos, & libris editis celeberrimos, Antonium Possevinum, Mantuanum, & Sfortiam Pallavicinum postea S. R. E. Cardinalem, utrumque e Societate Jesu. Prior (p) vivæ vocis usum præfert, & ejusdem patrocinium suscipit: dictandis prælectionibus, ait, adolescentum ingenia premi potius, quam per veterum semitam deduci, dum viva vox latente quadam energia melius in discipulorum animos influit; in scriptis vero non raro aliena & mortua tanquam propria traduntur, aut certe sine delectu commiscentur: dein vanam quandam in ejusmodi scriptis fiduciam poni a juvenibus, non tam solicitis, ut res animo comprehendant, quam ut memoriæ, quæ dictata

(p) *Lib. de cult. ingen. c. 26.*

ctata sunt, imprimant: præterea scribendi celeritate characteres rite formandi vitium contrahi, ac sæpe brevitatis studio eleganti veterum dictioni barbaras voces substitui: ipsis qui prælegunt, occasionem demi, qua serio materias excutiant, contentis ea mandasse chartæ, quæ properantibus occurrunt: demum temporis non modicum fieri dispendium, dum quæ in libris longe perfectioribus pridem edita fuerunt, novo & minus utili labore describenda veniunt. Quare jam olim anno 1355. in Academia Parisiensi lege cautum erat, ne Doctores, quos vocabant *Nominatores ad pennam*, auditorum manum potius exercerent, quam continenti explicatione mentem erudirent: idem a nostris factum Patribus in Lusitaniæ Academiis, ubi Philosophiæ naturalis partes e prelis emisere, tum ut subtraheretur scriptio, tum ut relinqueretur occasio prolixiori & accuratiori explanationi disputationique. In hanc fere sententiam de re præsenti scribit Possevinus. Contra Pallavicinus ætate posterior, acerrimi vir judicii mentem suam sequentibus declarat (q): Experientia docemur, inquit, hoc est probatione omnium, si non potissima, certe clarissima, dictandi usum ad

(q) *Lib. Vindicat. Societ. c.* 26.

ad Philosophiæ traditionem necessarium esse. Nam Magistrorum commentationes si auribus, non calamis committantur, velut crustularia in conviviis simulacra non tam ad alimoniam sunt quam ad pompam. Nimium hebes est sensus & obliviosus aurium, per quas solas admissa doctrina brevi dissipatur & evanescit, priusquam ad mentem perveniat, & in ea radices figat. Adducit postea exemplum reliquarum Religiosarum Familiarum, immo & Jurisprudentiæ Doctorum, de quibus, inquit suo utique seculo, non tam facile videris, qui si minus publica, certe privata dictatione discipulos non erudiant, quum tamen huic arti, quæ vel maxime nititur authoritate, promtissimum foret aliena tantum prælegere atque exponere. Porro expedit, ut præter paucas quasdam opiniones & doctrinas ex veteribus quasi jure hæreditario acceptas quilibet Magistrorum habeat plures privatas ac proprias, suo ingenio excolendas, quum eædem semper dapes in mensa, eædem merces in taberna, eædem vestes in corpore denique nauseam creent, & vilescant. Has vero opiniones nisi scripto tradat, nunquam satis assequentur discipuli mentem & sententiam Magistri. Equidem fateri oportet, & Veterum & Recentium quo-

rum-

rumdam Philosophorum libros multis parasangis esse meliores scriptionibus Præceptorum; sed an ideo hæ contemnendæ vel abjiciendæ? neutiquam. Illorum libri validiora quidem sunt arma, sed discipulorum manibus & humeris non ferenda: plus interdum habent succi, succum tamen illum infantia condiscentium ingenia pati & concoquere non possunt. Multum interest, an convivium instruas Optimatibus, an vero lac pueris edentulis propines. Denique Philosopia sicut imber est, qui si largus sit ac præceps, diluit non imbuit: guttatim assiduus cadat necesse est, ut in solum penetret, illudque aridum emolliat. Non minus commode irrigantur ingenia, si Magister in singulos dies pauculum quid dictet atque enarret, quam si longis ambagibus, magnoque supercilio diffusam instituat explanationem, eaque animos audientium obruat. Ita ratiocinatur Pallavicinus, Possevino & rerum experientia & ingenio ac scientiæ amplitudine nihilo inferior. Graves utrinque rationes in medium afferri non inficior: illud animadverto in præsenti negotio, Possevinum eo scripsisse ævo, quo, provectioris jam ætatis Alumni Literarii Philosophiæ studio admovebantur, & quidem per plures annos, nec tam festinanter,

ter, tamque cumulate, ut modo fit, tradebatur hæc ſcientia. Quapropter longiore ac repetita explicatione, & authorum & interpretum mens ac ſententia facilius percipi potuit, nec opus erat, calamo in ſynopſin contrahere, quæ optima in libris reperiebantur & necdum ſat maturis adoleſcentum ingeniis adaptare. Pallavicino autem ſexaginta fere annorum ſpatio noſtris temporibus proximiori & experientia & uſus poſtmodum in præcipuas ſcholas receptus, atque utilitas rei contrariam opinionem injecerunt. Damnanda igitur prolixior ſcriptio, quæ de rebus levis momenti fit, quave non pauci pretioſum tempus explicationi ſuffurantur, unde in invidiam incidit mos dictandi prælectiones : neutiquam autem e ludis & cathedris Philoſophicis penitus proſcribendus eſt, excutiendusque e manibus juvenum calamus, quam parum militi gladius eripiendus etiam pacis tempore.

XLIII.

A calamo ad ſtylum progredior, cujus in philoſophia ſeu dum ſcripto traditur, ſeu dum e libro prælegitur, uſus eſt, non raro parum caſtigatus: & virgula cenſoria dignus. Certe ſubitus a ſtudio amœniorum literarum tanſitus ad Philoſophicum,

cum,

cum, id est, ad regionem ut plurimum siccam, spinosam, & salebrosam non paucos juvenum terret: quod si etiam stylus hispidus, & formulæ loquendi aut scribendi barbaræ ac inconditæ, & nec Scythicis Vandalicisque auribus ferendæ accedant, quid mirum, si penitus absterreantur, & a suscepto tramite retrahantur? Equidem fateri oportet, eam esse Philosophiæ, sicut & cæterorum, quæ sublimiora vocamus, studiorum naturam & indolem, ut flosculos & attici styli elegantiam respuant. Nam quemadmodum sanitati corporis, ita & soliditati spiritus nihil magis nocivum est, quam juvenes in perpetuis tenere deliciis, & adpositis bellariis quotidie pascere. Hac enim ratione contrahunt facile mollitiem quandam, & mentis debilitatem, quæ ineptos reddit ad quidquid forte est, aggrediendum; ad superandas, quæ in hac & aliis scientiis subtilioribus passim occurrunt difficultates, ad laborem in perscrutandis naturæ arcanis, ac rebus a corporis & sensuum contagio remotis. Quærere nil nisi delectationem animi in studio Philosophico, est velle quotidie lacte nutriri, & in cunis ac infantiæ fasciis morari. Æque tamen perniciosum est, omnem saporem ac gustum genui-

næ

næ latinitatis ab adytis Sophiæ excludere, uti faciunt, qui ſibi perſuadent, totam philoſophandi artem in diſcrimen adduci, niſi phraſibus a communi uſu Latii procul recedentibus res obvias exponant, & vocibus pro lubidine in omnem partem variatis, nunc prolongatis, abſtractis, adulteratis frequentiſſime utantur, quibus affirment, negent, diſtinguant, explicent &c. omnemque curam proprietatis abjiciant, qua re vel maxime fit, ut & qui docent, & qui diſcunt, plurimas voces & verba minus latina, exoleta, & barbara tam alte in animum demittant, atque imbibant, ut etiam quum ſobria latinitas in colloquio aut libris adhibenda foret, prope invitis, certe non advertentibus ſimilia excidant ore vel calamo, in quibus etiamnum pueri in ſchola Poëſeos aut Rhetoricæ erubuiſſent. Vitium hoc rei literariæ ſane nocentiſſimum invaluit poſt ea tempora, quibus Gothi, Vandali aliæque gentes barbaræ Latium cæteraſque regiones finitimas inundarunt; ſimulque linguam populorum corruperunt. Nam e communi ſermone conſpurcata latinitas illa diffudit ſe in libros quoque eorum, qui de humanioribus ac ſublimioribus, & vel maxime de ſacris diſciplinis ſcripſerunt,

præ-

præsertim Monachorum, penes quos fere solos longo tempore scientiarum studium & emporium erat: atque ita ab ejusmodi librorum, etiam summo ingenii acumine in quavis literarum classe conscriptorum lectione ac meditatione in hanc usque diem dimanavit in Philosophiam & Theologiam deplorandum illud fatum, utramque paginam implendi vocibus, phrasibus, distinctionibus plane inconditis, nescio an brevitatis vel potius obscuritatis studio, vel utriusque ut Poeta canit:

Brevis esse laboro,
Obscurus fio.

Non ita primi & his proximi Sophi, Plato, Aristoteles, Cicero &c. qui cum severitate doctrinæ styli quoque nitorem conjunxere: etiam aliqui, sed pauci fuerunt, qui post tristia illa, de quibus dixi tempora velnti reliquias Danaum colligentes, stylo probe latino in literarum negotio usi sunt; in Humanioribus ac Philosophicis Joan. Ludov. Vives, & in Theologicis Melchior Canus. Absit tamen, ut damnare velim novas & his artibus proprias rerum adpellationes, quas *terminos technicos* vocamus. Cur enim has adhibere suo loco, & his mentem suam explicare non liceat Philosophis,

quum Pictoribus, omniumque artium & opificiorum cultoribus absque censurā id liceat? *licet Themistocli, licet & Epaminondæ.* Exponat igitur Philosophus mercem suam clare, strictim, nitide quantum potest & res patitur; caveat autem periodos, phaleras, & quidquid affectatum est in sermone, nec adeo religiose latinitatem sectetur, ut per ambages vocabulorum evolvat ea, quæ brevissima via *terminis technicis* complecti potuisset. Scientia enim hæc, uti sordes sermonis non amat, ita & pigmenta ac cerussam aversatur.

CAPUT

CAPUT IX.

METHODUS DISCENDI AC DOCENDI PHILOSOPHIAM.

§. I.

Methodus Analytica & Synthetica.

XLIV.

Intellectus humani post primi hominis lapsum ea est imbecillitas & humilis conditio, ut non secus ac homo ipse *in sudore vultus sui* (r) panem quærere, ita etiam scientias nonnisi magno labore ac studio comparare sibi cogatur. Hæ non amplius velut primo obtutu & in ideis primigeniis conspiciendas se præbent, sed per intervalla & ambages quasi e latibulis ignorantiæ sunt protrahendæ. Nimirum janua ad veritatem, ad quam pervenire commune votum est omnium scientiarum, tot pessulis est obserata, ut nonnisi unam post alteram reserare oporteat. Per partes atque per gradus eundum est, & ex cognitis ad incognita de-

(r) *Genesis* 3.

descendendum. Ad hoc autem consequendum uti cunctis aliis in scientiis, ita vel maxime in Philosophia, opus est certa probataque methodo, quæ non aliud est, quam ordo discendi docendique. Hæc si negligatur, pronum est in scepticismum prolabi, ubi veritas semper quæritur, nec invenitur, sed cum perpetua dubitatione luctamur. Quoniam autem prius est veritatem invenire, antequam inventa proponatur, iccirco Philosophi distribuunt *Methodum* in eam, quæ *inventionis*, & & illam quæ *doctrinæ* dicitur. Primæ officium est, ut ideas, judicia, & ratiocinationes ita disponere norit, ut latens veritas in apricum producatur, quod fit ope *analysis* seu *resolutionis*, dividendo totum in partes, resolvendo composita in principia simplicia, & revocando effecta ad caussas suas. Hac enim via optime veritas investigatur ac reperitur. Alterius munus est, veritatem inventam ac probe cognitam aliis quoque ita exponere, ut clare, distincte, ac solide percipiatur, id quod obtinetur per *synthesin* seu *compositionem*, dum a simplicibus ad composita, ab universalibus ad singularia, a primis principiis ad veritates minus notas veluti pede presso progredimur. Utriusque hujus methodi Analyticæ

lyticæ ac Syntheticæ discrimen apta similitudine petita ex genealogia declarari potest. Quemadmodum enim ad inveniendam stemmatis originem per gradus, tum recta, tum per latera ascenditur, donec primus conditor reperiatur, quæ progressio analytica est; ita ad docendam originem jam cognitam sumto a majoribus initio per posteros paulatim descenditur, donec ad illum perveniatur, cujus origo demonstranda est, quæ ratio explicandi Synthetica vocatur. Sic D. Evangelista Matthæus (s) genealogiam Christi synthetice ab Abrahamo deducit: contra D. Lucas (t) analytice per Progenitores ad Abrahamum & ultra prosequitur. Atque ex his patet, methodum Syntheticam exordiri ab eo, quod postremo loco inventum est ab Analytica, ibique finem facere, ubi ea initium duxit. Utraque methodus in scientiis seu comparandis seu tradendis summopere commendari meretur: Synthetica tamen Analyticæ in docendo præferri solet, quoniam ordine brevissimo ac solidissima ratione a primis & generalibus principiis ad rem propositam demonstrandam descendit. Non ita tamen religiose huic inhæ-

(s) *Cap.* 1. (t) *Cap.* 3.

hærendum esse existimant non pauci, ut altera excludatur, sed utraque non raro, uti res demonstrabiles ac discentium ingenia postulant, utiliter commiscetur, unde methodus *mixta* exurgit. Ne autem ulla istarum trium vaga sit & incomposita, earundem dotes præcipuæ sunt memorandæ, ac certæ leges constituendæ, intra quarum limites contentæ eo certius utilitati ac necessitati tum docentium tum discentium serviant. Universe loquendo methodi decora sunt *perspicuitas*, *brevitas* & *soliditas*. Ad primum obtinendum adhiberi debent claræ notiones seu *termini*, tales nimirum, qui rei cujusque propositæ notas & significantias nobis exhibeant, ad eam agnoscendam & ab aliis discernendam aptas. His enim si obscuris aut dubiis utamur, ipso statim in limine cæcutiemus. Opus igitur erit, accurata definitione *terminos* omnes explicare. Tum ex his propositiones per proprias iis leges ita ordinentur, ut inter id, quod subjicitur, & quod prædicatur, clare adpareat convenientia vel discrepantia, & e notis seu præfixis seu tacitis tum generalia & singularia, tum affirmantia & negantia rite intelligantur. Demum ratiocinationes ea ratione pertractentur, ut constanter præcedant illa,

unde

inde cognitio sequentium pendet. Alterum seu *brevitas* habetur, si præmissa facili materiæ occurrentis distributione, velut corporis in membra, missis ambagibus & resectis inutilibus circa quasvis voculas altercationibus, singula nitide ac stylo rebus accomodato exponantur: si præmissis quibusdam principiis notis recta veluti via ad inferendas veritates incognitas descendatur: si adsertiones illatæ paucis sed validis rationum momentis stabiliantur, unde vis omnis profluat ad ea refellenda, quæ in contrariam partem obiici possunt: si dicendorum ordo ejusmodi servetur, ne priora identidem repetere necessum sit. Denique tertium seu *soliditas*, ut obtineatur, oportet uti principiis nonnisi certis ac demonstratis, aut si pro materiæ conditione haberi demonstratio nequeat, quam fieri potest probabilissimis, satisque probatis; neque ulla probatio admittenda, si non ex ejusmodi principiis deducta sit. Probabilia vero a certis probe discernenda sunt, nec unquam certum vendi debet, quod solum intra probabilitatis fines continetur. Præterea propositiones, quæ demonstrationem sequentem ingrediuntur, jam sint manifestæ ac demonstratæ in antecedentibus. Ad extremum ratiocinationes sic

disponantur ac promoveantur ita, ut posterior ab ea quæ præcedit, vim & robur, ac lumen accipiat, & prior posteriori loco principii serviat. In hac enim ratiocinationum probationumque catena virtus omnis methodi consistit. Atque hæ leges ac præcepta sunt utrique methodo seu Analyticæ seu Syntheticæ communia; quamvis etiam quælibet ex his peculiares quoque admittat.

§. II.

Methodus Mathematica & Scholastica.

XLV.

Nunc ad formam methodi. Ab omni retro tempore viguit, vigetque etiamnum in bene moratis disciplinarum sublimiorum domiciliis ea, quam *scholasticam* vocant; non tamen desunt, qui vel nominis hujus pertæsi toto conatu *mathematicam* substituunt. Hæc quæstionem propositam per definitiones, axiomata, postulata, hypotheses, consectaria (vulgo *corollaria*) scholia seu animadversiones ad id usque perducit, quod erat demonstrandum. Illa vero, nimirum Scholastica, post accuratas definitiones, claras divisiones, & ratiocinationes legibus conformes per legitimam argumentationem

nem infert propoſitionem unam ex alia, & quæ opponuntur, refutat. Intercedit autem inter utramque non leve diſcrimen. Quippe Mathematica gaudet evidentiis; Scholaſtica ut plurimum probabilitate: hæc contentioſa eſt, & per ſyllogismos ac enthymemata procedit: illa vero demonſtratione rei propoſitæ contenta eſt, nec plerumque ſe occupat diſſolvendis iis, quæ opponuntur. Jam vero acris hodie fervet contentio, & velut pro aris & focis certatur inter Philoſophos, quænam ex his aptior, immo aptiſſima ſit ad ſcientias tradendas. Mathematicam methodum duce Wolfio usque ad ſidera extollunt non pauci, nullamque veritatis inveniendæ ac docendæ viam certiorem eſſe brevioremque palam jactant, ita ut quidquid hac methodo ſcriptum non ſit, Eruditis jure ſtomachum movere aſſerant. Fuerunt etiam (quod vitium eſt hominum majore ingenio quam prudentia præditorum) fuerunt inquam, qui impetu quodam abrepti, & amore hujus methodi velut inſanientes, eam non ſolum in Philoſophiam, verum etiam in Jurisprudentiam, Theologiam, & in ipſas etiam ſacras Cathedras invehere ſunt conati: quo jure, quove emolumento, operæ pretium erit, breviter heic diſcutere. Equidem fateri

oportet, ubi veritas una ex altera evidenter deduci potest, ita ut in partem adversam nihil possit opponi ab ullo, qui notionum primarum vim & significationum cohærentiam rite perspectam habet, methodo Mathematicæ vel maxime locus est, & quidem præcipuus, quum brevissimam & invictam demonstrandi rationem in se contineat. Ast ubi materiæ duntaxat probabiles occurrunt, uti fit in plerisque dogmatibus Philosophicis, aut riduculum erit, affectare demonstrationis rigorem, eoque quandam evidentiæ speciem velle effingere; aut inane quid ac tædio plenum est, notam rei probabilitatem per longas definitionum, axiomatum, hypothesium, consectariorum, scholiorum ambages circumducere, quorum nec singulis nec omnibus certum veritatis ac demonstrationis inest vestigium. Non omnis equus ad iter faciendum hippodromi legibus, est regendus: nec ad severa militiæ præcepta miles in acie cum hoste confligens adstringendus est, quemadmodum in castris & intra urbis moenia consistens. Et si diversis artibus ac opificiis diversa sunt instrumenta, nec idem omnibus efficiendis sufficit, cur eadem scientias omnes pertractandi forma adhibeatur? ubinam in regno probabilitatis

prin-

incipia illa certa, definitiones, axio-
ata, hypotheses inconcussæ, super quas
ritatis solum probabilis aut probabilioris
monstratio pede firmo consistere possit?
autem ista deficiant, nullus erit finis
u negandi seu probandi ipsas definitio-
s, axiomata, hypotheses &c. Non ra-
contingit, ut qui thesin aliquam pro-
abilem defendit, adversarii argumentum
atiens sustineat, nec explodat, quamdiu
itra probabilitatis limites ille se con-
neat: at ubi demonstrare se velle jacti-
it Adversarius, defendens illico negat
c pernegat id, cui probationis quidem
im inesse fatetur, neutiquam autem de-
onstrationis. Longe facilius, felicius-
ue negotium hoc conficit methodus
cholastica, dum a facilioribus ad diffi-
iliora, a notioribus ad minus nota, a
ertis ad dubia velut recta via & presso
ede per syllogismos aut alia ratiocina-
ionum genera progreditur, attendens
uid sibi negetur, quid concedatur, ita
it semper præcedens conclusio trahat
equentem, aut sequens confirmet præce-
dentem.

XLVI.

Ex his patet, minus commodam esse
scientiis aliis, præsertim Philosophiæ,
Ma-

Mathematicam methodum. Sed plus dico: etiam noxia est, nimirum, illa, quam Wolfianam tanto cum plausu commendant docti cæteroquin viri, istius pedissequi. Neque desunt adsertioni huic gravissimæ rationes: primo quidem cruciandis potius discentium ingeniis, quam poliendis perficiendisque nata est. Circumducit enim Lectorem, dum dogma quoddam Philosophicum demonstrandum suscipit, per innumeros paragraphos, sæpe ad rem non facientes: nunc remittit πρότερον seu ad antecedentes paragraphos, nunc ὕστερον ad sequentes; ab his iterum ad alios, neque solum in eodem, sed omnibus fere, quos de re Philosophica edidit, libris dispersos: ad Logicam, ab hac ad Ontologiam, ab ista ad Psychologiam, a Psychologia ad Cosmologiam, a Cosmologia ad Theologiam naturalem &c. Atque ita fit, ut quum in uno loco de inventa demonstratione securum te credebas, mox ad alium migrare cogaris, non secus ac Venator, quem fugax cerva per cunctos sylvæ latissime patentis angulos circumagit, ac denique lassum omnis prædæ capiendæ spes destituit. Certe post longissimam indaginem vel non reperies demonstrationem promissam, vel in labyrintho

rintho locorum citatorum deprehensus obliviſceris prioris viæ ac reditus, vel non niſi tenue veſtigium veritatis invenies, aut omnino extra ſemitam illius ad alia abripieris, quæ ad rem præſentem non pertinent. Quid obſecro id eſt, niſi cruciare ingenia, memoriam debilitare, ac demum tempus nobiliſſimum perdere volvendo & revolvendo libros omnes Wolfii. Quapropter aptam, licet non ſine ſale, criſin tuliſſe videtur D. de Cruſaz ſeu Cruſa (u) ſcriptor Acatholicus, dum frequentes Wolfii paragraphorum circuitus vocat *circulos vitioſos*, ejusque methodum ſervire ait magis typographis & bibliopolis ad lucrum faciendum (quum omnia illius opera emi debeant ad invenienda, quæ ubique ſparſim citat) quam diſcipulis ad veram ſtudii Philoſophici rationem: ſub magno nomine Ontologiæ nil reperiri, niſi res inutiles: Logicam Wolfii ideis confuſis eſſe refertam, aptiſſimamque, ut nauſeam creet ob ambages, quibus utitur ſæpiſſime in iis, quæ duobus verbis dici potuiſſent &c. Ita de *veriloquio & falſiloquio Tom. 3. de Jur. Nat. cap.* 2. propoſitiones centum ſexaginta

&

(u) *In lib. Obſervations Critiques ſur l'Abregè de la Logique de Monſ. Wolf. a Geneve* 1744.

& unam longissima serie velut catenam protendit, easque prolixis commentariis auget, ut tandem *mendacium esse licitum ob publicam necessitatem* grandiore mendacio evincat. Alterum, quod merito exosam reddit hanc methodum Wolfianam, est, quod lectorem semper suspensum teneat. Incipit enim, quin sciat, quo tendat: si in legendo pergat, mox nova sese res offert, sed denuo quo collineet, ignorat. Non ante præmonetur, de qua re tractandum sit: eundum ipsi per tenebrosos anfractus argumentorum sine prævio lumine, & ubi novi quid incipiat, non docetur, neque partium nexus ullibi adparet: sæpissime eadem res repetitur, demonstrantur longa serie, quæ nulla indigerent demonstratione, & ubi hac opus esset, vel saltem apta probatione, remittitur lector ad alios paragraphos, ad alias propositiones, ad alios libros, usquedum quærendo legendoque fessus succumbat, contingitque illi, quod viarum ignaro, qui ab uno itineris indice ad alium nunc dextrorsum nunc sinistrorsum ire jubetur, donec loco, ad quem tendit, penitus excidat, & in labyrinthum incidat. Quod autem absque bile audiri nequit, si qui viri in Philosophiæ ac Mathe-

Mathesis studio clarissimi conquerantur, non reperire se veritates, quas tanquam demonstratas jactat Wolfius in libris suis, continuo grandi supercilio Wolfiani respondent, eos esse indociles, tardi ingenii, & ad penetrandas veritates minus apti, expertes methodi, ac in vera Logica, Metaphysica, Psychologia peregrinos. Nimirum unus fere Wolfius sapit, & in disciplina morum res quamplurimas, sine quibus hominum vita consistere nequit, antea ignoratas primus ipse velut terras incognitas methodi ope detexit, quemadmodum in præfationibus suis non obscure innuit. Quæ hæc jactantia! Denique, methodus Wolfiana etiam apud Acatholicos prudentiores non solum parvo in pretio est, verum non modice quoque vapulat. Erudita quædam societas Lipsiensis scripto cuidam Periodico, quod *Hebdomadarium* vocant, inseruit hanc de Wolfii methodo crisin (x): *Nimium olet scholam, & absolutus est prædantismus, si mathematica methodus tam stupendo in pretio habeatur, existimeturque, nihil recte cogitari sine hac posse. Cicero, Plato, Aristoteles, Leibnitius omnium seculorum admirationi erant, etsi rigorosa hoc methodo*

(x) *Sect.* 16.

thodo non conceperint cogitata. Admodum pauci homines ea sunt patientia, ut tractationem rigorosissima methodo ad nauseam usque extensam perlegant. En! *pædantismum* plenis buccis alias crepant Philosophi heterodoxi, eumque regnare in scholis Societatis ad invidiam concitandam perpetuo vociferantur: nunc eorum in hortis crescit & dominatur hoc lolium. D. Crussaz loco superius citato apud Eruditum Desingium (y) ubi methodum Wolfianam perstringit: „ quamlibet, inquit, scientiam tra„ ctare per definitiones, axiomata, theo„ remata, problemata, corollaria, scho„ lia, hoc reipsa nihil aliud est, quam „ superficiem & corticem Geometriæ se„ ctari &c. Nihil legi potest obscurius & „ implicatum magis, quam quæstio de „ origine idearum, ut illam D. Wol„ fius exponit &c. Deceptionis & inver„ si ordinis adeo amans est, ut nullo „ amplius hujus rei sensu tangatur. Nisi „ tempus pretiosum esset, & si fas esset „ aliquot septimanas perdi facere ab ali„ quo tyrone meæ curæ commendato, „ facerem ipsum percurrere omnes pa„ ragraphos, quos Wolfius allegat. „ Hoc quidem malum esset pro tyrone meo:

(y) *Diatribe de methodo Wolfii c. 5.*

„ meo: sed grande hic posset oriri bo„ num pro permultis aliis, qui hac ex„ perientia (stultorum magistra) con„ vinci possent, quam cæco impetu ju„ venes obsequantur hortationibus quo„ rundam *pedantum*: nimirum qui „ D. Wolfii Logicam & Methodum „ commendaverant.„ Hinc mirum nemini videri debet, Wolfium, magnum illud in ore multorum nomen, theatro quod per tempus aliquod occupavit, Philosophico sensim excedere, uti olim Gassendo, Cartesio, & aliis Neotericis contigit. Ferunt enim, ejus docendi methodum in quadam regali ditione acatholica Principis Magni jussu a scholis proscriptam fuisse, tanquam noxiam juventuti, ejusque ingeniis destruendis potius, quam instruendis aptam. Hæc tamen neutiquam officiunt famæ Wolfii, Viri in Mathematicis & Physicis disciplinis admodum periti, sed methodum ipsius in Physicis rebus tractandis duntaxat tangunt, atque perstringunt.

Quam diversa, meliorque facies est methodi scholasticæ, tot jam seculorum usu comprobatæ in toto regno Literario? Quippe instructa est illis dotibus, quæ ad bonam, immo optimam docendi

discendique rationem ab omnibus requiruntur. Clara est, Ordinata, & Solida. *Clara*, dum voces ac notiones suas, seu terminos perspicua definitione explicat & eorum vim ac potestatem declarat, certisque legibus circumscribit: dum totum in partes accurate distribuit, & a generalibus ad singularia descendit: dum *statum quaestionis* ut vocant, dilucide exponit: dum argumentationes adhibet breves, & intra regulas formae syllogisticae probe conclusas. *Ordinata*, siquidem Scholastici in ipso limine quo tendant, quamve in quaestionis alicujus tractatione rationem sint habituri, ante oculos ponere solent; quid primo quid secundo loco dicturi sint, enumerant, ut velut in digitos mitti omnia valeant: tum a facilioribus ad difficiliora, a notioribus ad ignota progrediuntur, praemissis quae certa sunt, minus certa & dubia ad eum veritatis gradum, quem adsequi possunt, promovent per Conclusiones, quarum una post se trahat alteram, aut sequens confirmet praecedentem. *Solida*, nam ea, quae demonstrationem admittunt, per varia ratiocinationum genera, praecipue per syllogismos validissime demonstrantur, nec minore vi, quam ipsa me-

methodus Mathematica suppeditare posset, *quum Philosophia* fatente etiam Wolfio (z) *methodum suam non mutuetur a mathesi, sed perinde ac mathesis eam ex veriori Logica hauriat.* Illa vero, quæ probabilitatis fines non egrediuntur, argumentis minime dubiis ita firmat, ut prudentem assensum mereantur apud omnes, qui non sophismata & cavillationes amant. Demum quæ a parte adversa opponuntur, fortiter infringit atque refutat; secus ac Neoterici cum Wolfio faciunt, qui frequenter propositiones, quas ponunt, levi ratiuncula quadam velut obsignant, parum soliciti de refellendis gravibus argumentis, quæ adversarius intorquet. Patet igitur, quod initio dixi, Scholasticam methodum rigidæ illi Mathematicæ in Philosophica palæstra præhabendam esse, cui sententiæ subscribit Eminens purpura & scientia Philosophus Cardin. Ptolomæus S. J. (a) qui politiori Philosophiæ, præsertim Physicæ, quam *experimentalem* vocant, ex asse deditus, licet plurimum tribuat methodo gemetricæ, fatetur tamen

(z) *In Log. Ration. discur. Prælim.*

(a) *Art. Log. l. 3. c. 4.*

men eodem loco: „Sobrie se in Philo-
„ sophia sua, & duntaxat ex parte uti
„ methodo geometrica; hoc enim ad
„ cavendum positum esse e regione pe-
„ riculum, si geometrice omnino Phi-
„ losophica pertractentur, quod usu
„ ipso & aliorum conatu compertum
„ sit, nec in omni passim proposito ad
„ philosophandum argumento præstari
„ posse, nisi tantum in speciem, efficta
„ videlicet, non inventa serie & pro-
„ pagine propositionum male invicem
„ aptatarum, & cohærentium: & ubi
„ methodum illam materia patiatur,
„ simplicitate ipsa sua implexam reddi
„ non sine tædio legentium, & memo-
„ riæ labe.„

CAPUT X.

PICRISIS SUPER PHILOSOPHIAM UNIVERSAM.

§. I.

Philosophia Vetus.

XXLVII.

Non tantum seu ingenii seu authoritatis mihi arrogo, ut judicium quasi decretorium ferre velim in rebus a ambiguis, uti sunt Philosophicæ, is scriptorum, quæ methodus, quod: systema præferendum sit alteri, æve norma tradendi hanc scientiam regno hoc literario communibus stu- & publicis suffragiis stabilienda sit. ficiet sensa privata in hoc negotio ıdere, relicta cuivis aliter opinandi icandique libertate. Quatuor autem issimum scientiæ hujus periodi consiandæ veniunt: primam periodum ilosophia Vetus: alteram varia illius s & mutatio: Tertiam ea, quæ Reıtior dicitur, quartam Eclectica conuit, quæ hodie dominatur. Antiım fundarunt & monumentis post se ictis illustrarunt scientiæ istius Princi-

 pes

pes Thales Milesius, Pythagoras, Socrates, Plato & Aristoteles præter alios, de quibus in Historia Philosophiæ mentionem feci. Thales ab Ægyptiis multa doctus, quæ ad Astronomiam & Geometriam pertinent, primum coelo contemplando se applicuit, & obliquam Zodiaci viam, Tropicorum & Zonarum coelestium numerum, diametrum solis, ejusque cursum annuum, atque eclipses explanavit. Tum ad terrestria conversus unicum statuit rerum omnium principium, nempe aquam, teste Tullio (b) quid autem aquæ nomine intellexerit, non satis constat; utique non solum hoc elementum, sed fortasse illam, de qua in mundi Opificio loquitur S. Scriptura *Genes. cap.* 1. quum & Ægyptii & Græci multa e Sacris Codicibus mutuarint. Nomen *Philosophi* sibi comparavit, dum ex principiis certis veritates deduxit aliarum rerum non ita certarum, quod proprie est Philosophorum; nomen vero *Sapientis* ob moralem civilemque prudentiam, qua excelluit. Disputationes suas literis mandavit, uti refert D. Augustinus (c), quæ tamen ultra Socratis & Platonis tempora non pervenerunt. Pytha-

(b) *In Lucullo.* (c) *Lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 2.

Pythagoras (qui Scholæ suæ reverentiam conciliavit discipulorum silentio religioso, quibus de hausta doctrina loqui fas non erat ante quinquennium) docendi methodum tenuit reconditam ope geometriæ, per quam res sensibus obnoxias declaravit, & numerorum, per quos ea explicavit, quæ a sensibus sunt remota, & soli pervia intellectui. Melior fuit, magisque ad regulas composita Pythagoræ schola, quam illa Thaletis. Naturalem tamen doctrinam funestavit absurdo dogmate περὶ μετεμψυχώσεως, seu animarum ex uno corpore in aliud vaga migratione: moralem vero ea doctrina, quam de duobus principiis *bono* scilicet & *malo* tradidit, cui postea Manichæi sectam suam & errores superstruxerunt. Socrates, qui a Cicerone *primus Philosophiam devocasse e cælo* dicitur, præcedentium Philosophorum doctrinas satis dispersas in ordinem redigere cœpit, artemque ac scientiam ex illis construxit. Ita disputare solitus erat, ut parum affirmaret, plus vero refutaret. *Socrates, ipse sibi detrahens*, ait Tullius (d) *in disputatione plus tribuebat iis, quos volebat refellere.* Quare aptior erat ipsius Philo-

(d) *Lib. 4. Academ. Quæst.*

Philosophia destruendo falsum, quam verum stabiliendo. Fundamenta quidem jecit, & rudia velut lineamenta duxit Dialecticæ, Moralis, & Physicæ: ratiocinationis tamen felicitatem & famam posteris reliquit. Plato, quem *quemdam quasi Deum Philosophorum* adpellat Cicero (e), vir incredibili quadam ingenii vi præditus, postquam rediit in patriam, in *Academia* seu horto Athenis adsito, scholam discipulis fere innumeris undique convolantibus erexit, cujus limini jussit inscribi: *Nemo geometriæ ignarus ingreditor*. Quam disertus, floridus & magnificus erat in sermone (explicavit fere omnia per Dialogos) tam parcus fuit & timidus in doctrina sua stabilienda, quod vitium a Socrate Magistro suo traxisse videtur. Quippe *in Platonis libris nihil affirmatur, in utramque partem multa disseruntur, nihil certi dicitur* (f). Aristoteles primus dispersa Philosophiæ membra in unum corpus collegit (g), artemque syllogisticam ex ingenio suo depromsit, per tot secula in scholis etiam celeberrimis dominantem. Hunc Plato *naturæ Spiritum*, Plinius summum in omni doctrina & immensæ subtilitatis virum adpellat; Averroes Aristotelis disciplinam asserit summam esse

(e) *Lib. 2. de nat. Deor.* (f) *Lib. Academ. quæst.* (g) *Laertius lib. 5.*

esse veritatem, quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus, datus nobis divina providentia, ut sciremus, quidquid sciri potest. Non tamen omnino caruit hic Philosophiæ sol maculis suis. Imprimis graves ei errores objectant non pauci, circa Authorem omnium, mundi originem, naturæ regnum, animæ immortalitatem, & circa mores ac pietatem; quamvis non desint viri magni, qui Aristotelem ab his criminibus absolvere conentur. Non minus in Physicis de motu ac æternitate illius, de tempore & loco, de cometis, iride, aliisque meteoris quibusdam, de coelis & sphæra ignis supra lunam, de constructione corporis humani &c. eundem sæpius allucinatum fuisse multi credunt, licet non tam ingenio Aristotelis, ubique in suis ratiocinationibus æque fortis ac validi, quam defectui experimentorum, & rerum naturæ tam sagaci indagine necdum exploratæ tribuendum hoc esse censeant. Demum obscuritas in scribendo & explicando Aristoteli a plurimis vitio datur. uti enim Pythagoras plerumque symbolis, & Plato allegoriis, ita Aristoteles stylo nimium conciso sensa sua involvere videtur, non tam ad informandos sectatores suos, quam scholastico bello inter se committendos, dum mentem suam aliis imper-

viam relinquit. Unde Laertius eum comparare non dubitavit pisci, qui aquam turbat ob metum, ne capiatur. Non desunt tamen, qui hanc caliginem non tam ab Aristotelis profundo ingenio, sed tum ex materiarum quas tractat, subtilitate, tum ex Commentatorum (ultra quingentos quidam numerant) dum lucem affundere studuerunt, tenebras adspergentium diversitate ortam fuisse existimant. Omnes vero hi Philosophiæ Principes antiqui ævi, Thales, Pythagoras, Socrates, Plato & Stagirita habuerunt sectatores & discipulos plurimos, qui non solum magistris suis, verum etiam eorum opinionibus mordicus inhæserunt. Hinc tot sectæ Philosophorum in lucem prodiere, & cum sectis altercationes innumeræ. Nam ut recte notat Ludovicus Vives, multi horum in id acriter invigilarunt, qua ratione male a se prolata defenderent, ab aliis vero bene dicta impugnarent. Inter has autem rixas & diversa opinantium tumultus silere, quin & latere coacta est veritas cum ingenti discrimine genuinæ Philosophiæ, factumque, ut sequentibus temporibus Socratis, Timæi, Platonis, Plinii, Ciceronis & Senecæ scripta removerentur, quæ plurimum lucis ad naturæ arcana de cœlis, elementis, animantibus & stirpibus detegenda poterant

affer-

afferre, iique ut plurimum Ariſtotelis libri adſumerentur, qui rixantium circulis eſſent aptiſſimi, neglectis aliis, in quibus doctrinam de animalibus, problemata & meteora acute non minus quam docte exponit. ita qui promptiſſime poterant litigare, *ingenium metaphyſicum* habere protinus dicebantur. Hæc de *antiqui ævi* Philoſophis.

§. II.

Varia ſors Philoſophiæ.

XLVIII.

Sub *medium*, uti varia fuit fortuna Philoſophiæ, ita & ſcriptorum diverſæ opiniones ac ſenſus fuerunt. Initio quidem Peripateticorum ſecta fere ſola principatum etiam Romæ obtinuit, ubi doctis eam commentariis illuſtrarunt Athenodorus Tharſenſis, Nicolaus Damaſcenus ſub Auguſto Imperatore, ſub Adriano Favorinus, ſub Marco Aurelio & Lucio vero Soſigenes, ſub Marco Antonino Galenus, ſub Gratiano Dydimus S. Hieronymi Præceptor &c. At aliquo poſt Chriſtum natum tempore Platonica ſenſim caput erexit, & ab ipſis Chriſtianis ad religionem adverſus Idololatras defendendam culta fuit: Multis tamen er-

roribus detectis Tertullianus, Firmianus Lactantius, Arnobiusque eam vehementer impugnare cœperunt. Et reipsa similitudine quadam hujus sectæ cum Christiana minus cautos decipiente, priscarum omnium hæresum, quæ primis tribus seculis exortæ fuerunt, historia palam facit, Simoniacos, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos ac cæteros non aliunde quam ex commentis Platonicis subornatos fuisse ad fabricanda illa errorum monstra, ad quæ debellanda Patres illi arma stringere coacti sunt. Non tamen defuerunt alii Patres, sacrique Scriptores, qui plus Platoni quam Aristoteli adhæserunt, a cujus Philosophia alienum conceperunt animum propter temporum illorum hæreticos, qui armis sophisticis e logica Aristotelica depromtis tum ad errores suos tuendos, tum ad Christianos simplices seducendos frequenter usi sunt. Hinc primi Ecclesiæ Patres ac Scriptores, uti eorum in libris licet deprehendere, Platonicum quoque stylum ac methodum adhibuerunt, sermone amplo & ad motum potius affectumque, quam præciso & acuminato ad leges dialecticas composito. Neque gravibus censuris abstinuere, quibus Aristotelem ejusque doctrinam perstrinxerunt. Tertullianus (h): *Inferunt,*

(h) *Lib. de præscript. cap. 7.*

runt, inquit *Ariſtotelem, qui illis Dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi & deſtruendi veriſipellem, in ſententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operatoriam contentionem, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia retractantem, ne quid omnino retractaverit.* Fauſtinus adverſus Arianos ſcribens ait; *ubi nunc ſunt impia illa veſtra ſophismata, quæ Ariſtotelis Epiſcopi veſtri magiſterio didiciſtis?* D. Ambroſius (i): *Sic enim Arianos in perfidiam ruiſſe cognovimus &c. Reliquerunt Apoſtolum, ſequuntur Ariſtotelem.* Eo denique res devenit, ut & Ariſtotelis & Platonis ſchola, utraque mutuis viciſſitudinibus propemodum extincta fuiſſe viſa fuerit. Nihilominus brevi mutata eſt ſiniſtra de Ariſtotelis doctrina opinio: præcipue Dialecticam ejus ſummi inter Chriſtianos Viri mirum in modum commendarunt, inter quos D. Hieronymus & Auguſtinus: Severinus vero Boetius Ariſtotelis opera incredibili ſtudio primus latinitate donavit, quæ tamen rurſus bonis literis per Barbarorum incurſiones fusdeque verſis Arabes duo Philoſophi Avicenna & Averroes obſcurarunt, quorum alter *græcæ linguæ ignarus* Cœlio Rhodigino, alter D. Thomæ *non tam Peripateticus, quam Peripateticæ depravator* audiit. Porro e fre-

(i) *In Pſalm.* 118.

frequenti cum Arabibus commercio novum Philosophiæ genus Raymundus Lullus moliri cœpit, scilicet Chymicum, immo & Cabalisticum, quod promoverunt per aliquod tempus adscita in partem laboris mechanica Cardanus & Paracelsus. Sed hoc quoque somniis, mysteriis, & arcanis nescio quibus divinationibus plenum, vix bene ortum ætatem non tulit, sed brevi interiit, nonnisi fumo post se relicto. Prodierunt denique illo maxime seculo, quo in Galliis vapulabat Aristotelis Philosophia, Viri omni exceptione majores Albertus M. D. Thomas Aquinas, & Alexander Alensis, qui eam magnopere depravatam atque corruptam doctissimis commentariis illustrarunt; unde orta est *Scholastica*, seu Philosophia Aristotelica in scholas introducta, & communibus suffragiis recepta. Hæc ipsa tamen in tres denuo sectas & scholas abiit: prima, quam *Thomisticam* nuncuparunt ab Auctore suo D. Thoma, oriundo e comitibus de Aquino, Doctore *Angelico*: alteram erexit Joannes Duns natione Scotus, scilicet *Scotisticam*, Doctor *Subtilis* adpellatus. Tertiam seu *Nominalem* Guilielmus Ochamus fundavit, quem Doctorem *Singularem* & *invincibilem* dixere. Thomistica latissime per Academias & cathedras publicas dominata est ob in-

genii

genii aciem & doctrinæ ſoliditatem. Scotiſtica plus privatos intra parietes cultorum ſuorum conſtricta fuit, ſubtilitate ſua commendanda: Nominalis vero una cum nominibus, quibus ubique adhærebat, multum clamoris parum utilitatis intulit ſcholis. Horum omnium præſidio potenti fulta *Scholaſtica* per plura ſecula in Philoſophorum gente principatum obtinuit; ob mutuas tamen *Thomiſtarum, & Scotiſtarum, Nominalium & Realium* pugnas & bella civilia, nimiamque in argutiis & ſubtilitatibus metaphyſicis ſectandis contentionem, criminationum & odiorum ſemina in ſe jam tunc excitaſſe viſa eſt. Interceſſere illi, quos *Recentiores* vocant, quique nulli certæ ſectæ ex profeſſo addicti ſunt, nec in verba Magiſtri jurare ſolent. Hoc nomine deſignarunt præcipue Societatis Jeſu homines, qui in varias & clariſſimas Europæ Academias, earumque cathedras recepti ſaniora Ariſtotelis placita, & Doctoris Angelici dogmata ut plurimum ſecuti ſunt cum magno Peripati ſplendore ac incremento. Studuerunt enim clara ſimul & contracta methodo ſenſa ſua explicare, doctrinam latiſſime ſparſam in ordinem redigere, & diſcentium utilitati ratione qua poterant optima conſulere, ita ut Viros in republica ſacra & profana ma-

ximos

ximos ex horum scholis prodiisse apud omnes in confesso sit. Philippus Alegambe (k) quadraginta quinque numerat societatis hujus, qui in universam Philosophiam commentati sunt; septuaginta quinque vero, qui varias partes Logicam, Metaphysicam, Ethicam, Politicam, oeconomicam editis in lucem libris illustrarunt. Inter hos eminuerunt notissima orbi literato nomina: Franciscus Suarius, Gabriel Vasquez, Franciscus Oviedo, Thomas Comptonus, Petrus Hurtado de Mendoza, Sfortia Pallavicinus, Toletus, & Ptolomæi, tres Purpurati Patres. Opposuere se tamen totis viribus Aristotelicæ doctrinæ, maxime ejus Dialecticæ illi, quibus formidandam se præbuit, nempe Lutherus, Calvinus, Bucerus, aliique errorum magistri, probe agnoscentes, arte syllogistica & disputandi methodo fraudes suas detegi ac everti. Nec minus Janseniana factio, quidquid fellis est, in Aristotelem ejusque sequaces dudum evomuit. Certe hac de re seculo nostro notissimus & eruditissimus Scipio Maffejus *in Jansenismo novo n.* 2. ita scribere non dubitavit: „Cum „ vere inter omnes antiquos speciatim re„ splendeat Aristoteles, inque celeberrimis „ suis

(k) *In Bibl. Script. Societ. usque ad annum* 1676.

„ suis tractatibus præcipua cum veterum
„ tum recentiorum sectariorum axiomata
„ funditus evellat, ac destruat, in Aristo-
„ telem potissimum ipsorum (Jansenianō-
„ rum) invectivæ ac tela torquentur. Credi
„ volunt hunc Philosophum sentinam om-
„ nium hæresum, & fontem gravium om-
„ nium in rebus credendis offensionum, vi-
„ denturque sibi, quando ostenderunt opi-
„ nionem aliquam a peripateticis non dissi-
„ dere doctrinis, eadem etiam opera hanc
„ Christianam non esse demonstrasse „.
Pergit idem Auctor ita loqui *n.* 5. „ Quan-
„ doquidem autem hodie nonnullorum ope-
„ ra adeo divulgata fuit execratio Aristo-
„ telis, adeoque invaluit opinio, quod
„ ad hæreses viam sternat, abs re non fue-
„ rit, ostendere, in quanto hi homines
„ versentur errore, & quomodo ex adver-
„ so nemo gentilium ad doctrinas Catho-
„ licas propius illo accesserit „. Ad fi-
nem autem *n.* 4. affert testimonium Lau-
noii, accerrimi cæteroqui hostis Sta-
giritæ, qui *in lib.* de varia Aristotelis for-
tuna in Universitate Parisiensi *c.* 17. refert,
Facultatem Theologiam ad annum 1624.
solemni decreto proscripsisse propositiones
aliquas *quod essent ex professo contra doctri-
nam Aristotelis omnium Philosophorum sine
controversia principis.* Quare mirum vi-

deri non debet, nihil hac in re a sanioribus scholis mutatum, sed potius cautum, ne respublica Catholica detrimenti aliquid patiatur.

§. III.

Philosophia Neoterica.

XLIX.

Postquam Aristotelica, ut dictum est, Philosophia per *medium* ævum late regnavit, limites ei posuit *novum* sive Recens, quo seu tædium Logicarum ac Metaphysicarum subtilitatum, quibus multi Peripateticorum collotenus se immerserunt, seu honestissima voluptas in detegendis ope studii physici arcanis naturæ, permultos ad novam philosophandi rationem concitavit. Primi, qui magno rem arduam conatu aggressi sunt, fuerunt Franciscus Baconus de Verulamio in Anglia, & Galilæus de Galilæis in Hetruria, quibus accessit Robertus Boyleus Anglus. Hi triumviri labore improbo totam naturæ penum excussere, ac physicam ad staticæ ac mechanicæ leges composuerunt, additis inventis plurimis. Novitas rei & nominis fama continuo excitavit alios bene multos, ingenio, manu & calamo præstantes viros, qui operam

em-

omnem protrahendis in lucem rerum naturalium abditis thesauris impenderunt, ita ut brevi tempore aliam mundus Philosophicus faciem induisse sit visus. Commercium cum cœlestibus per Telescopia instituit Galilæus, maculas & faculas in sole detexit Christophorus Scheinerus S. J. comites Jovis idem Galilæus, & satellites Saturni Cassinus: in Luna terras & maria, montes & valles Hevelius, Keplerus, Grimaldus S. J. Hugenius &c. motuum leges sideribus, præcipue planetis præscripserunt Tycho Brahe, Ricciolus S. J. Copernicus &c. Aeris æquilibrantis naturam & stupendam vim elasticam in Antlia pnevmatica deprehendit Otto Guerickius, & Casparus Schottus S.J. Aquæ indolem, gravitationem, & pondus explorarunt multi nauticæ artis peritissimi, præsertim Angli & Hollandi: in fontium origine detegenda plurimum desudarunt Cabeus, Bernoullius, Mariote, Cassinus, Falckius S. J. de maris æstu reciproco, ejusque caussis præclare scripserunt Galilæus, Cartesius, Kircherus S. J. de Chales S. J. & Newtonus. Terræ absconditos thesauros, salium & mineralium virtutes, fossilium & metallorum præstantiam detexere nobis magno numero Chymiæ & Alchymiæ periti; magnetis vero stupendam vim doctissimis commentariis illu-

straruntde Chales S.J. Purchotius, Muschbroechius, Hugenius, Daniel Stadlerus S.J. Ignis pondus, ejusque dotes exploravit Casati S. J. ac vim urendi per specula caustica Tschirnhusius. Stupenda vero electricæ, machinæ, lucem ac ignem vomentis, ac fulminantis, phœnomena detexerunt Haucksbecus & Grayus Angli, Du Fay Gallus: Joan. Gabriel Doppelmayr, Andreas Gordon O.S.B. Christian. Augusti. Haussenius, Joan.Henricus Wincklerus. J.H. Weitzius, Christian. Gottlieb Krazensteinius, Germani. Plantarum, animalium & corporis humani anatomicam Raius, Willisius, Malpighius, Aselius, Pequetius, Hoffmanus: sanguinis in venas & arterias per orbem circuitum Harveius, & Fabri S. J. alii alia quam plurima hactenus incognita orbi palam fecere. In ipsum adeo mundum *Subterraneum*, ut vocant, itinere ecstatico penetravit Kircherus, & Franciscus de Lana S. J. integrum naturæ ac artis Magisterium condidit. Vix ipsa natura melius se potuisset nobis explicare, quam summi hi Viri doctissimis lucubrationibus, & solertissimis experimentis eam ante oculos posuerunt.

Quin etiam nova Philosophiæ systemata hisce temporibus in publicum prodiere. Petrus Gassendus sex libris scientiam hanc complexus Democriti ac Epicuri vestigia

&

& atomos secutus, horum quidem errores emendavit, novos tamen non paucos immiscuit, Aristoteli ultra modum & meritum offensus: nec facile quisquam Philosophorum est hac ætate, qui ejusdem doctrinæ subscribat. Renatus Cartesius ex milite Philosophus & Mathematicus novam mundi fabricam molitus est, modesto *hypotheseos* nomine velatam, qua mire gloriati sunt ejus Asseclæ, pulchras ideas ac imaginationes Ducis sui pro veris rebus atque principiis vendentes. Acris & subtilis ingenii fuit Cartesius, aptissimique ad detegenda varia naturæ arcana: palam tamen est, eum in multis graviter allucinatum esse, præcipue circa motum, gravitatem ac levitatem corporum, circa fluxum ac refluxum maris, circa effectuum caussas, quas nonnisi certæ figuræ, certo motui, certæque *extensioni* tribuebat. At nullibi magis ridiculum se præbuit Cartesius, quam dum animæ humanæ regiam sedem exstruxit in glandula cerebri, quam *pinealem* vocant Medici, negans illam per totum corpus diffundi, sed ex hoc velut solio in reliquas corporis partes dominari asserens. Heic, si credimus huic Philosopho, sedet reginæ instar, & regni habenas tenet, nimirum *nervos sensorios*, per quos spiritus vitales, qui e corde per arterias *carotides* ascendunt,

& dum ex aliis particulis sanguinis crassioribus sese extricantes in animales transeunt, tanquam celeres cursores ad omnes regni sui provincias quaquaversum emittit. Mobilem esse glandulam istam vult, quo anima illam movens spiritus animales ad influendum in hos potius quam illos *musculos* determinare possit. Sed infelicem animæ Cartesianæ sortem! dum regiam illi struit, in cisternam ignarus demittit: est enim hodie Anatomicis certum, glandulas omnes nonnisi receptacula esse humorum, qui a contiguis partibus advecti secernuntur ibidem; præcipue vero in glandulam pinealem a subjacentibus arteriis non spiritus sed serum superfluum exonerari. Quare cloacæ similior est, quam regiæ sedi. Et qua ratione heic anima in reliquas partes exerceret imperium, quum uti denuo Anatomia recentior & accuratior demonstrat, neque mobilis sit hæc glandula, neque nervi, spirituum viæ, eidem implantentur? atque ita captivæ similior heic foret anima quam Reginæ. Cætera constat, scripsisse Cartesium plura, non quæ re ipsa sensit, sed quæ seculi sui genio novorum cupido, veri specie quadam contento satisfacerent. Isaacus Newtonus aliam philosophandi viam ingressus est; rejectis enim hypothesibus, quas alii non eadem felicitate, qua ingenii

com-

commendatione sibi ipsis fabricarunt, ex ipsis experimentis & phœnomenis leges, quas natura operibus suis præscripsit, investigare ac eruere conatus est, mutuamque corporum in se gravitantium vim & fluxum quemdam materiæ, quo invicem sese attraherent, intimeque complecterentur; præter alia nobilissima phœnomena detexit, vir a perspicacia & sublimitate ingenii maxime conspicuus; quamvis ut alii, suos quandoque manes patiatur. Nullam enim Newtonus caussam physicam virtutis attrahentis adsignat, quod tamen præcipuum Philosophi munus est: corporibus vim attrahentem simul & repellentem tribuit, ubi dum primam quasi in infinitum se porrigere docet, nullum secundæ spatium relinquit: planetas, solem v. g. & saturnum in se mutuo agere contendit, licet spatium intermedium potissimam partem sit vacuum; qua ratione actio, quam Philosophi *in distans* vocant, quamque communissime rejiciunt, evitari sane nequit &c.

§. IV.

Philosophia Eclectica.

I.

Inter hæc Recentiorum docta molimina, & ingentia novandi studia, dum inter se non raro dissiderent, nata tandem est, quæ ho-

hodie regnat, Philosophia Eclectica, seu quæ nullius obnoxia seu authoritati seu doctrinæ libertatem quamdam sobriam profitetur, optima quæque maturo consilio & profunda meditatione seligendi atque sectandi, neque admittendi aliorum Philosophorum placita, si non clare ac solide probata fuerint. Hanc tum præterito, tum hodierno seculo amplexi sunt, & amplectuntur viri præstantissimi Franc. Baconus de Verulamio, velut Antesignanus, Robertus Boyleus, Sturmius, Purchotius, Gravesandius, Leibnitius, Muschenbroechius, Du Hamelius, Nolletus: alii quoque e diversis sacris Familiis Mersennus, Maignanus, Corsinus, Fortunatus a Brixia &c. & e nostra societate Patres Fabri, Kircherus, Schottus, Franc. de Lanis, Card. Ptolomæus, Regnault, Falckius, Josephus Mangold, Bartholdus Hauser, Josephus Kell, Josephus Zanchi, Carolus Scherffer &c. Neque desunt integræ Eruditorum Societates in Anglia, Gallia, Italia, Germania, quæ infinitis laboribus, editisque in lucem quamplurimis novis inventis Philosophiam hanc, quam dixi Eclecticam, illustrare pergunt. Atque ex his hucusque de præcipuorum Authorum charactere commemoratis facilior via patet ad judicium ferendum de systematum diversitate, de methodo

do & normæ tradendi hanc scientiam. Antiquo jam ævo, ut vidimus, tot pene sectæ, quot Philosophi erant: hi partim mutuis bellis semetipsos atriverunt, partim ab Aristotele, qui omnium ante se lapsus & errores diligenter notabat & refellebat, fuerunt debellati, ita ut in medio ævo fere solus scholæ suæ authoritatem arte Dialectica & methodi soliditate sustentarit, quamvis variantem, ut dixi, sæpius fortunam sit expertus. Instauratum tamen majoribus viribus est bellum ævo posteriore. Insurrexere *Cartesiani* magno numero, magnamque breve intra tempus regni Philosophici partem occuparunt: *Gassendistæ* & *Atomistæ* non minore vi corpusculis suis omnem late regionem Peripati inundarunt. *Mechanici* quoque ac *Chymici* suppetias tulerunt, suis furnis, machinis ac experimentis in publicum prolatis. *Wolfiani* vocata in subsidium mathesi novam struxere methodum. *Historici* demum quidam citra omnem ratiocinationem ac disputationem conati sunt planam narratiunculis Philosophiam reddere, firmissimumque argumentationis munimentum solo æquare. Omnes, diversis tamen viis ac studiis, Philosophiam ad perfectionis apicem perducere adlaborarunt. Num autem attigerint votorum suorum ac promissorum metam, sub

judice lis est. Tot enim nova systemata, novæ opiniones, novæ methodi hisce temporibus in conspectum prodeunt, & aures circumsonant, ut sapienti plane consilio opus sit, eligere ex his ea, quæ optima, & verosimillima sunt. Unum tamen est, quod animadversione videtur egere: nimirum quod scriptores illi & sectatores, de quibus primum ante memini, junctis veluti signis in Aristotelem, in Peripatum, & in Societatis nostræ scholas facundissime declament, ac si nil nisi stramen & quisquilias Philosophicas suis cultoribus proponerent, utramque paginam rixosis & inanibus quæstiunculis & argutiis ubique implerent, & vix ullo in pretio studium physicum ac *experimentale* haberent. Verum qui has movent querelas sine testibus, sine tabulis, vel peregrini sunt in Peripato & scholis nostris, vel malitiosi homines, adplausum sibi suisque mercibus inde nundinantes, ut quisque acrius in Jesuitas tanquam Aristotelis & Peripati patronos fuerit debacchatus. A seculo jam & amplius non defuerunt, qui Peripatum expurgarunt a loliis & inutilibus, quos aliqui miscuerunt, sententiis; qui amoenioris Philosophiæ placita magnis curis tradiderunt, qui plurimis novis inventis ac experimentis Physicam ditarunt. Quis ausit injuriam hanc im-

imponere ſummis viris, Suario, Vasquio, Comptono, Semery, Pallavicino, Toleto &c. quos reliqui velut Magiſtros ſecuti ſunt, eosque nugarum, rixarum & inanitatis poſtulare, quando agitur de dogmatibus Philoſophicis firma, ſolida & inconcuſſa doctrina illuſtrandis? quis dicam ſcripſerit Kirchero, Fabri, Schotto, de Lanis, Regnaultio, Ptolomæo, qui ſi non primi parentes, certe proximi adjutores fuerunt illius, quæ tantopere celebratur, Phyſicæ *practicæ*, *mechanicæ*, *experimentalis?* Non dubito aſſerere, quod ipſemet olim ſedula inveſtigatione deprehendi, ſcilicet ex horum libris præclariſſimis Neotericos, præſertim Acatholicos, pleraque mutuaſſe inventa, & ſpecioſioribus induta coloribus ac parergis quibusdam exornata in paſcua Philoſophiæ ſuæ tranſtuliſſe, quæ ſi quisque illorum, quorum memini, Authorum ſua ſibi vindicaret, inſtar corniculæ deplumis nuda omnium conſpectui pateret. Eruditis hæc loquor, & facile perſuadeo: Sciolos & malevolos non curo, qui criminandi detrahendique finem nunquam facient. Longe aliud loquuntur & teſtantur Muſea & Armaria omnis generis inſtrumentis ad experimenta facienda fabrefactis plena, quæ in præcipuis Academiis & Lyceis noſtris per Galliam, Italiam, Germa-

niam

niam exstructa visuntur: testantur publicæ concertationes; in quibus coram doctissimorum hominum consessu quidquid amœnioris florentiorisque Philosophiæ est, in medium profertur, & sobria disputandi methodo in utramque partem excutitur.

LI.

Quid obsecro habent Neoterici, quod adeo displiceat in Philosophia nostra? & quid, quod tantopere suam extollant cum insigni contemptu alterius? in Logica, clamant, nimium tribuitur litigiis & contentionibus, atque maturius quam oportet: Physica sterilis est, & expers recentium inventorum: in Metaphysica ordo deest: moralis Philosophia & jus naturæ primum in Theologia docetur. Sed parum provide, minus vere. Quam ita deprædicant logicam suam, si ad substantiam attendatur, a nostra vix differt, nisi quod aliis vocibus utatur, & quod parte optima, nempe argumentis formandis dissolvendisque careat. Metaphysica nostra longe præstat ea, quam ipsi tradunt, dummodo quæ ad Ontologiam & Psychologiam pertinent, ex Logica nostra majore, ac ex ea Physicæ parte, quæ de caussa prima & anima agit, in Metaphysicam transferan-

ferantur. Theologia naturalis illorum ac Jus naturæ miserum est, & pro Lunæ incolis scriptum videtur, dum felicitatem ponunt nonnisi temporariam, ac *statui naturæ puræ*, ut loquimur (qui nunquam fuit, nec erit) non autem *statui naturæ elevatæ*, in quo vivimus, convenientem, atque ita ad nil aptam, quam ut hominem ad speciem bonum progignat. Ethica & Politica, qua parte bona & utilia exhibet, congeries est depromta ex libris Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Senecæ ac D. Thomæ. Physica illorum talis est, quæ ab aliis inventa, quemadmodum superius dixi, sparsim colligit, & absque profundiore indagine ac ratiocinatione proponit. Nihil ex his omnibus intactum relinquit Philosophia nostra, uti ævo isthoc traditur, sed insuper decenti ordine, clara paraphrasi, & solidis rationibus illustrat ea, quæ profert. Patent hæc & plura lustrantibus scripta & libros Nostrorum, quod tamen homines isti facere dedignantur, ne vel pravum ac temerarium judicium suum deponere, vel a præjudicata opinione, qua tot querelas falso effutiunt, discedere cogantur. Si lubet auscultare, dicam quod sentio, remque apta ut spero similitudine declarabo, quamvis hæc, uti omnis alia claudicet. Nolim enim, ut quis existimet,

stimet, me rem hanc tot diversis judiciis obnoxiam cum alia summi momenti atque certissima ex æquo comparare velle: Videtur itaque mihi Philosophiam Aristotelicam simili fato subjacere, cui Ecclesia Catholica est exposita. Nullo pene seculo defuerunt, qui ejus fidei ac morum doctrinam acerrime impugnarent, turbarent, ac novare conarentur, unde tot hæreses & schismata fuerunt exorta. Ut nihil dicam de Gnosticis, Valentinianis, Novatianis, Donatistis, nihil de Ario, Nestorio, Eutychete, Manichæis, Pelagianis, Iconoclastis aliisque, qui antiquiora Ecclesiæ secula funestarunt; ultimis temporibus in eam insurrexere Lutherus, Calvinus, Zwinglius &c. e quorum nido tot aliæ prodierunt sectæ, doctrina quidem dispares, sed odio in Catholicam fidem pares. Hi omnes novam sibi Ecclesiam fabricare, nova dogmata spargere cœperunt. Ita etiam Philosophiam Aristotelicam vix non omni seculo quidam Novatores acriter aggressi sunt, aliamque ab ea condere adlaborarunt: postremis præsertim seculis, ut uberius dictum est, Cartesius, Gassendus, Atomistæ, Wolfius &c. in diversas divisi sectas illam pene funditus pessum dedere. Porro quemadmodum Ecclesiæ Catholicæ hostes, dum ob errores

quos-

quosdam pravosque abusus, qui tamen fidei substantiam non attingebant, sed disciplinam duntaxat ac mores, eam se reformatum ire clamabant, reipsa studebant penitus evertere, ita etiam Neoterici propter quorumdam seu docentium seu scribentium argutas nimium, ac profundas quæstiones, inanesque quas vocant speculationes (an omnes, quas perstringunt, tales sint, heic non disputo) Philosophiæ reformandæ manus adjiciunt, eo tamen consilio, ut fundamenta ipsa convellant, & suo in cerebro male natam superstruant. Illud tamen non inficior, quod sicuti cæteræ hæreses aliquando ad reformandam Ecclesiam in iis, quæ ad morum disciplinam, & consuetudines quasdam pertinent, profuerunt, ita etiam Novatorum hypotheses, dogmata, & præclara alia inventa ad Philosophiam, uti nunc castigata traditur, multum contulerint. Denique quemadmodum doctrina Catholicæ Ecclesiæ, licet per tot secula & a tot hæreticis validissime oppugnata, tamen quod dogmata fidei & bonos mores concernit, semper infracta stetit, nec expugnari potuit, ita etiam doctrina Aristotelica, quantum adtinet ad Dialecticam, ad ratiocinandi leges, & Metaphysicam, & ad docendi discendique methodum tot inter adversario-

rum insidias, & detectas fraudes ac machinas ad hæc usque tempora apud saniorem hominum vere doctorum partem incolumis & invicta perstitit, reliquis fere omnibus Novatorum ætatem non ferentibus.

Quare, ut concludam, Eclectica Philosophia præ aliis merito eligenda videtur, nimirum ea, quæ *Primo* pedissequa non est, sed libera, ita ut nullius in verba Magistri juret. Fieri enim non potest, ut in tanta Authorum dissensione unus semper vera, alter semper falsa doceat. Aristotelis dialectica, quæ veluti succum solidæ ratiocinationis, ad omnes quoque alias scientias acquirendas necessariæ, in se continet, omnino retinenda est: non minus Metaphysica ejusdem, quæ res a sensibus nostris abstractas explicat, & sine qua præstantissima pars hominis, nempe mens & intellectus, altiora se penetrare, immo ne quidem recte novit concipere; modo nimiis subtilitatibus & longiore in his mora sobrie abstineatur. Physica servato ordine novis inventis, naturæ phænomenis, quæ indies plura deteguntur, meteoris ac experimentis adscita in consortium Thechnologia, Statica, Hydraulica & Optica large ditetur. Ipse Aristoteles, si viveret, multa emendaret in libris suis physi-

phyſicis, ſi quæ ſeculo ſuo ignota, noſtro nunc ſatis perſpecta ſunt, intueretur. *Secundo*, quæ rationi ſimul & experientiæ plurimum tribuit. His geminis columnis ſane herculeis Philoſophia nitatur oportet: experientia ſine ratione velut equus ſine freno per prata Philoſophica vagatur; ratio ſine experientia ſterilis eſt, & expers mirabilium naturæ operum. *Tertio*, quæ nec inutilia admittit, nec quæ ſolide probata non ſunt, recipit. Inutilia ſunt, vel quæ neque ad eruditionem philoſophicam, nec ad ſcientiam rerum naturalium pertinent, vel licet utilia ſint, nonniſi per ambages, & argumentorum in contrariam partem adductorum integra plauſtra circumducuntur. Sunt, qui gemmam ex aurea corona perdidiſſe ſe autumant, ſi quæſtiuncula vel minima de re propoſita ipſos prætereat. Hinc coacervant has cum non modico principum quæſtionum detrimento. Solide autem probata ſunt, quæ aut communi Auctorum ſenſui ſuffragantur, aut rationibus convincentibus vel veroſimillimis ſtabiliuntur, ita ut certum aut ſatis firmum adverſus quosvis inſultus fundamentum præbeant. *Quarto*, quæ methodo Ariſtotelica, qua melior hucusque inventa non eſt, ſcilicet clara, brevi, & ſolida utitur, diſcentium ingenio & pro-

fectui accomodata, non hiſpida illa, anfractibus plena, & plura quam valet promittente: quæve in diſputando non clamoribus & rixis omnia implet, ſed per argumenta clare ac nervoſe propoſita ad veritatem, vel ſaltem limina veritatis alacri paſſu contendit. His dotibus ſi prædita ſit Philoſophia, quam Eclecticam dicimus, displicere nemini poteſt, plurimum autem emolumenti præ reliquis omnibus afferre, quemadmodum in bene moratis atque florentibus Academiis & Lyceis optimus Magiſter uſus docet, modo civitate donatus.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI VIII.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

B.

C. Caje-

C.

D.

E.

F.

G.

I.

Meta-

Pici

Regula

S.

Socra-

Ven-